This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Le Camus

Sh

Champagne

Coll. complet

fiche faite déc 68
ordin.

Digitized by Google

810927

NICOLAI BORBONII PROFESSORIS Et Interpretis Regij, Opera omnia.

POEMATA.
ORATIONES.
EPISTOLÆ.
Versiones è Græco.

PARISIIS,
Sumptibus SIMEONIS PIGET, via Iacobeâ sub signo Prudentia.

M. DC. LIV.
Cum Priuilegio Regis.

8237

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO VIRO
DD. MATTHÆO MOLE'
PROCVRATORI CHRISTIANISSIMI
Regis catholico, sanctioris
Consistorij consiliario, &c.
S.

VLGARIS est illa publicantium sua scripta præfatio (vir illustrissime) vt statim initio præ se ferant, nihil gloriæ & proferendi nominis studio datum, sed amicorum duntaxat ea quotidianis conuitiis efflagitantium, ac tantùm non vim parantium voluntati esse obtemperatum. Quod excusationis ge-

Digitized by Google

nus, quia iam à plerisque non minori vanitate quàm dissimulatione vsurpatum nemo ignorat, vix est vt deinceps etiam vera dicentibus fides apud homines possit inueniri. Ego verò quamquam in opere alieno, iudiciorum vtcunque securus esse possum, tamen ne qui seruarim inuitum, idem occidenti fecisse videar, mea quoque interesse arbitror, certo constare testimonio, cui hæc prodeuntium miscellaneorum fiducia debeat imputari. Et sanè illa, siue quòd author pro derelicto habuit & occupantis fecit, siue quòd à me & aliis quibus id negotij dederam, haud minimo labore vndecúmque licuit, conquisita fuerunt, nonnullo nunc iure mea vocare possum. Quippe cùm amici sæpe repetitis apud eum, colligendi saltem quæ sparsa iacerent, consiliis & cohortationibus frustra fuissent, qui certus

Digitized by Google

esset tergiuersatione & mora eorum petitiones eludere, sibique adeò, concerptis pridem autographis, omnem eius rei potestatem eripuisset, restabat, vt aliena opera, si quid ad hominis minimè omnium philostorgi odium in suos fœtus fortuna reliqui fecisset, ab interitu vindicaretur. Cum autem pro longè maximo quod geris munere, nihil tantum tantulúmve sit eorum quæ in publicum veniunt, quod tuam authoritatem & notitiam subterfugere debeat, & alioqui exploratum habeam, authorem confessione sua tibi multis nominibus obstrictum, qui nullo modo hic sibi satisfaceret, aliquando digniore victimâ tibi facturum, geminata interim consilij causa, è re illius duxi, vt pauca hæc à me in vnum quasi corpus redacta, sub excelsi tui nominis tutela ederentur. Sic enim futurum, vt

Digitized by Google

ille qui vno tantum & altero harum ſyluarum loco, oblatâ potius quam captatâ occaſione laudes tuas maiore cura dicendas obiter attigerat, in eam omnino arenam ſe tam nobili patrocinio deinceps authoratum ſentiret. Etſi vero cuilibet ingreſſo ſemel in hanc materiam facilius foret, propter rerum copiam & magnitudinem, initium dicendorum quàm exitum reperire, ideóq; in te illud Criſpi aptè quadret, ſatius ſilere de Carthagine quàm pauca dicere: *nonnulla tamen quæ in oculis omnium & in luce Galliæ ſunt, nec veritas ſileri pateretur, nec modeſtia tua dici vetaret. Qui cum ita natus eſſes ad honores, vt propemodum eorum optionem virtuti tuæ fortuna deferret, regni potius commodo quàm tuo capeſſendos duxiſti, atque ex omnibus ad eos te potiſſimum applicuiſti, vnde maior*

Digitized by Google

ad quàmplurimos mortalium tum æquitatis tum benignitatis tuæ fructus perueniret. Nam quod attinet ad iura regia quorum procurationem in omni re præcipuè cum relligione & populi salute habuisti coniunctam, eam priusquam à principe obtinuisses, iam eximia tua vis animi, sagax prudentia, constans iustitiæ tenor, denique inuicta gratiæ & sordibus integritas atque abstinentia tibi demandarat. Ita vt vel priuatus, priuato maior fores, ex placitis quorumdam philosophorum, qui virum iustum ac sapientem, non vnius anni Consulem, sed perpetuum Dictatorem sempérque in magistratu constitutum etiam sine fascibus & lictoribus agnoscunt. Atque ad tantas virtutes quas heroïcas nuncupari audio, si neque naturâ factus neque disciplina institutus confirmatúsque esses, tamen exem-

Digitized by Google

pla domesticate in patrem & socerum, vtrumque clarissimæ memoriæ virum, intuentem accendere potuissent. Fuit enim par illud hominum nostra ætate summis dignitatibus præcellentium, diuina morum grauitate, pietate, ciuilium rerum vsu & scientiâ, vitæque innocentiâ prorsus incomparabile. Domus virtutesque quoddam quasi honestatis atque sanctitatis delubrum habebatur; magnitudo verò animi & probitas sæculo maior, vt quibus etiam inuiratis à nemine non creditum esset, cúmque lenitate naturæ ac mansuetudine omnibus præstarent, tamen ambos penè vt censorios ipsa existimationis maiestas suis ordinibus verendos faciebat. Quæ vrbi immo vniuersæ Galliæ compertissima refero, vt etiam inde coniici detur, quos qualésque tu tantus à tantis auis profectos reipublicæ de-

Digitized by Google

mùm nepotes sis relicturus. Interim verò dum inuictissimus LVDOVICVS *ad Alpes & ad Padum castra ponit, vt defensis à vi & iniuria principibus pacem Italiæ reddat, tu domi, regiam maiestatem legibus armatam esse, vt reipsa intelligamus, facis. Quò magis mihi cauendum est, ne si te tantis rebus occupatum, pluribus nec his adeò seriis morer, in publica commoda peccasse videar. Non enim tibi tam libellum offero quàm centunculum ex variis à me pannis consutum, ab vno quidem & eodem homine emendicatis, sed tamen omninò præter eius mentem, qui non magis olim ex talibus libros compingi, quàm ex fortuito atomorum concursu mundos fieri posse credidisset. Carmina vndique aut ex alienorum librorum ferè liminibus atque appendicibus, aut magnam partem ex cu-*

Digitized by Google

rio ſorum manibus repetita, addo etiam ex ſacris ædibus & tumulis refixa, cùm ſimul omnia non in ſatis iuſtam molem excreſcerent, adieci paucas ex multis eius præfationes caſu repertas, partim ex ore diſſerentis à ſtudioſo quodam raptim & properante calamo exceptas, partim ab aliis aliunde exſcriptas, quas ceu minus ſolennes & accuratas, alicubi etiam forte ab exſcriptoribus interpolatas, ægrè pro ſuis agnoſcere viſus eſt. Præterea cùm alia citius alia ſerius ad me peruenniſſent, nonnulla quoque fruſtrà diu expectata fuiſſent, vnumquodque prout in manus ſe dederat, in aceruum conieci. Vnde & minus vitio mihi verti à lectore debebit, quando vniuerſa ſimul ſub vno adſpectu nunquam habuerim, ſi ſingula confusè, nullo generis aut materiæ diſcrimine, nullo ſeruato editionis

Digitized by Google

ordine vel temporis, quasi per Saturam legem, loco non suo legenda occurrent. Tu vero (illustrissime vir) grande humanitatis tuæ omnibus experimentum reliqueris, si te tantillo munere adiri non iniquo animo feres. Ex quo & duo non incommodè obuentura video, tum vt author minùs improbæ rei suæ contrectationis & iniuriarum mecum agat, tum vt quem semper istorum piguit, eum ipsum ad aliquid fortiore animo in clarissima nominis tui decora audendum, noua beneuolentiæ significatione, tanquam è veterno excites. Vale Lutetiæ Kal. Iulij anno sal. 1630.

Tuæ dignationis eximiæ,

Obsequentissimus humillimusq;
seruus Robertus Sara
Typographus.

Digitized by Google

GABRIEL IVLIOTVS N. BORBONIO S.

ITA planè se res habet vt scribis, me iampridem scripturientem occupasti. Ex quo enim postremùm verba commutauimus, & quod semper antea districtè pernegaueras, remissius iam abnuere visus es, mihi illicò spes affulsit fore, paulò acrius instanti vt manus dares. A te igitur cùm discessissem, fratres Sammarthanos non minus paternæ virtutis æmulatione & optimarum artium studiis, quàm nascendi forte geminos, inuisere libuit; vt carmen cuius aliquot versus à te quasi aliud agente prolati, velut quidam gustus orexim mihi mouerant, carmen (inquam) illud aureum quo Scæuolam non tam viuis ereptum defles, quàm diuis assertum consecras, impetrarem. Et sanè vrbanæ fronti nihil vnquam cessit felicius: vbi enim meam illis mentem explicui, in quærendo colore mihi laborandum non fuit, cùm etiam laudatus abierim, vt qui tibi autor essem scilicet de vniuersa repub. literaria benemerendi, priuatimque de multis quos interest tuæ fidei spe immortalitatis quam ex carminum tuo-

Digitized by Google

rum commendatione concepérint, non fraudari. Quod qua ratione præstare possis expeditius non video, quàm si lucubrationes tuas, quà prorsa, quà vorsa oratione conscriptas, hoc est vtriusque linguæ opes tot laboribus partas per incuriam perire non sinas. Multa scripsisti, quorum quæ publici fecisti iuris minimam partem efficiunt; ea noui quo omnium eruditorum applausu excepta, quibúsque calculis approbata, cùm tamen quid aliud essent (si fas est dicere) quàm disiecti poëtæ membra, vel sibyllæ mandata foliis oracula, ventis aliquando debitura ludibrium, nisi maturè conquisita, & aptè collocata, in iustum volumen quasi in vnum corpus coalescant. Hoc ergo consilium meum cùm Sammarthanis aperuissem, eos non modò adstipulatores sed etiam pararios habui, qui meo suóque nomine tecum agerent, vt quod tacitè visus eras si minus annuere, saltem non præfractè abnuere, absoluere maturares. Carmen quod flagitabam non erat præ manibus, at prolixè & obuia humanitate promissum est, tempus etiam condictum quo te seorsum viseremus intra pauculos dies. Iamq. mihi videbat propemodum voti compos, nec esse quod timerem te eò peruicaciæ prouectum, vt qui religiosissimè amicitiam colis, virorum tibi amicissimorum precibus obnixè velles reluctari. Lætus itaque ad te prope-

Digitized by Google

rabam, cùm ecce audio te pridie Lingonas tuos repetisse. Tristi perculsus nuntio abscedo, consilij dubius cui vnicum superesset solatium, instauratis precibus futurum, vt te, qui iam mihi videbaris inclinatus penitus impellerent. Vrgebant interea vota vt destinatum ad Deiparæ Virginis fanum, quod in Veromanduis famigeratissimum magna aduenarum frequentia celebratur, iter capesserem. Eam in peregrinationem aliquot supra dimidiatum mensem diebus impensis, me adulto mox autumno reducem, promissi memor vnus ex Sammarthanis fratribus (Abelium ni fallor indigetant) expetito tandem carminis tui munere beauit. Legi igitur & relegi auidè, quasi diutinam sitim explere cupiens, reipsa tamen expertus quod Græci aiunt, οὐδένα τῶν καλῶν κόρον. Quid enim singula enumerem? Musæ nunquam mihi magis musicę visæ sunt, vel beato illo Augusti & Mæcenatis æuo magis Latinæ. Quare candorem illum quem in alienis scriptis adhibere soles huc aduoco, hoc iudice euincam ioculare esse, quod abortiuos fœtus quereris, qui si queri possent absoluta Lucina, quam placidissimam nascentes experti sunt, parentis duritiem accusarent, à quo expositi potius quàm agniti videantur. Nec est quod amicum illum tuum obtendas florentissimum scriptorem, ob editas epistolas minus bellè quàm par

Digitized by Google

esset, à quibusdam habitum. Non meum est ex alieni operis censura ingenij famam quærere, nec liberalem hunc ambitum vnquam putaui. Liceat tamen ingenuè dicere, quantùm meminisse possum, habent eius scripta multas nec vulgares amœnitates quæ laudem illi arcessere potuerint, nisi eam habere, ne dicam extorquere, quàm expectare maluisset, poterat certe pacatiorem experiri Nemesim si eam reuerentius coluisset. Sed patiatur ille suos manes; te quo longius ab isto plausus aucupio abes, laus illibatior vel nolentem sequetur. Amabò igitur (mi Borboni) hoc age tandem seriò, & quæ partim iam edita sparsim vagantur conquire, partim quæ in schedis & aduersariis condita immerito situ squallent, excusso puluere profer in lucem, & quàm aptissimè (vt nosti) concinnata, cogita in cuius ea nomine apparere velis. De typis vt quàm elegantissimi & accuratissimi sint non est quod labores, nisi iam ad aliquem chalcographum animum adieceris; quod tuum erit perscribere, & si qua alia statueris ad ornandam editionem spectare, ne quid in tuas leges peccetur, curabo sedulò. Cæterùm hæc quæ superest pauculorum dierum opera extruet æternæ tibi gloriæ monumentum, cui promouendo si quid hortatu nostro & singulari erga te studio accessisse intelligam, id mihi summæ erit voluptati, vt qui te

Digitized by Google

tuáque omnia feram in oculis, nec existimem aliunde dulcius ægritudini leuamen, optatius laboribus & vigiliis solatium, honestius denique virtuti tuæ præmium obuenturum. Vale Lutetiæ Parisiorum octauo Kalendas Februarij, A. S. ∞ IↃCXXVIII.

V. C.

GABRIELI IVLIOTO

ABBATI BVRGENSI

N. Borbonius S.

TSI multa semper in me, quæ tua est humanitas, beneuolentiæ signa exprompseris, tamen nunquam certioribus documentis me abs te amari comperi, quàm ex nuperis tuis litteris. In his tantam præ te fers mei sollicitudinem, tantam iacentes ac intermortuas meas quisquilias in lucem reuocandi curam animíque contentionem, vt iam vel immodestiùs de me sentire vel à te dissentire cogar. Vtrumque verò iuxtâ mihi periculosum duco, quòd agnoscere quæ amore & affectu mihi tribuis, nisi parum sanus, negare quæ postulas, nisi tuo iudicio quod meritò semper suspexi quodammodo iniurius non

Digitized by Google

possim. Sic igitur tuas litteras interpretor, vt iubeas me, quoad editionem meorum carminum, securo & otioso animo esse, ipse author edendi, fundus & fideiussor omnem culpam si qua sit, omne damnum adeóque publicam iudiciorum aleam præstaturus. Ego vt adduci me in tuam sententiam patiar & deliberare desinam, tamen animi dubius hæreo, propterea quod magnæ explicandi negotij & rei exequendæ difficultates occurrunt. Nam primùm eorum omnium quę scripsi aut disserui nihil prorsus apud me habeo, vt qui ea mihi necessitate occasionum ac temporum expressa vel amicorum hortatibus precibúsue extorta illicò ventis permiserim, satis supérque arbitratus quòd in præsentes vsus & quotidiana penia vtcumque mihi succreuissent. Quippe propémodum iratus prouidentiæ quæ me tantis malis implicitum obrutúmque esse voluisset, præterea tædio vitæ & perpetuâ diei sequentis desperatione, non poteram adiicere animum ad vitæ ornatus, & qui necessariis à naturâ carerem, non rebar mihi de superfluis esse laborandum. Ita factum est, vt alia tanquam breui, ex continentibus atri morbi vigiliis morituro inutilia non asseruarim, alia ceu ingenio meo inferiora, si cruciatus abesset, odio & contemptu proiecerim: quædam etiam quod vix credibile sit, iam publici iuris facta, tribus aureis num-

Digitized by Google

mis à typographo coëmerim, quæ in fœdos vsus perderem, ac tanto minus famæ (quantulacunque illa fuit) quæ nihil leuaret vitæ miserias, relinquerem. Ne vnum quidem litterarum quas ad amicos variis temporibus dedi penes me exemplum est, quod nuper mihi succensuit vir illustrissimus Claudius Memmius regis apud Venetos legatus, cui semel & iterum ex hac vrbe scripseram, eius elegantissimis litteris quas apud me relligiosè asseruo, necnon singularibus quibusdam officiis identidem prouocatus. Is etiam quod tute vrges, mihi admodum suasit, vt mea quæ sparsim iacent opuscula conquirerem, ac in vnum veluti corpus colligerem, cui ne id quidem me facturum certò recepi, tantum adici, aliquanto libentius me huic rei operam daturum, si non ægrè ferret meas apinas quandocunque prodirent, in suo nomine apparere. Ingressi sumus & in sermonem ceu consultationem quandam de ordine edendorum, & placebat illi vt carmen de obitu Sçæuolæ Sammarthani cæteris præponeretur, quod nunquam anteà editum, nouitate suâ magis gratiosum, nonnihil etiam inolitum aliis fastidium posset abstergere. Quæ iam lucem aspexerunt, aut minus digna quæ lateant mihi per hominum flagitationes exciderunt, quæ herclè pauciora tua opinione sunt, aliunde alia è variis manibus erunt re-

Digitized by Google

petenda, quæ magis dispersa quàm sibyllæ folia, spes non est alibi gentium posse quàm Lutetiæ inueniri. Sunt aliquot præfationes quarum suppudet me ob argumenta ignobilia puluere illo graueolentia, suíque ita locis & temporibus accommodata, vt si vnquam placere potuerint, vix vnum ad placendum, momentum temporis habuerint: non dissimilia illis vnguentis quæ Plinius vt luxus omnium maximè superuacui materiam damnat, quòd non vt reliqua supellex transire possint ad hæredes, sed illicò expirent & suis emoriantur horis. Præterea Dionysij Halicarnassei libellum de charactere Thucydidis aliquando Latinum feci, Diuíque Cyrilli primum librorum aduersus Iulianum Græcè tunc primùm editum cum Latina interpretatione è codicibus manu exaratis legendum dedi. Septem etiam ab hinc annis Græca eiusdem Cyrilli fragmenta in D. Ioannis Euangelium hactenus à nemine visa & per R. P. Achillem Harlæum Sancium ex non minimis legationis Bizantinæ compendiis repræsentata, Latinitate donaui, è vestigio editurus, nisi ob paucitatem capitum, sursum etiam ac deorsum mutilorum, iusti operis mensura defuisset. Vides authori suo pigendam rerum in modum Penthei discerptarum ac editionis intempestæ farraginem, vt id etiam fatear quod mihi nonnullum scrupulum obiicit, in

Digitized by Google

iis versibus qui iam editi & publico fauore excepti fuerunt, nimis multa infensi vicinis nationibus præsertimque Hispanis animi testimonia extare, quod naturâ meâ & Christianâ virtute cui me iam impensius studere oportet, minus dignum reor. Nec desino is esse qui fueram, regiæ maiestatis & patriæ ad mortem vsque propugnator acerrimus, quantum imbecillitas ista sinit, sed vbi ambobus regibus & populis de maiorum relligione asserendâ conueniat, & fraternum fœdus constet, deponenda puto partium odia & animos vtrimque ad æquitatem & mansuetudinem esse reuocandos. Neque cùm olim scriberem non eadem ratio subibat, sed inter luctus terroréſque publicos cùm sæpe inuitus operam stili exigerer, magis amarulentos animi conceptus, tùm ipsa morbi acerbitas, tùm onus ac tacitum professionis odium faciebat. Quæ nolim à me quisquam dicta putet animo recantantis & Hispanorum fortunæ adulantis, quos in vltimas Indias cum imperio amandatos, Solis & Lunæ fratres esse non veto: sed quòd puerorum & vulgi duntaxat non eruditi hominis esse iudicem, ab alienigenis naturali odio dissidere. Interim rata firmáque esse volo si qua id genus peccauerim, quæ mihi nunc tueri magis quàm mutare consilium est, vt qui non constituerim in præteritum sed in futurum mihi leges indicere.

Digitized by Google

Quamobrem cùm tua & nuper coram loquentis & recens per litteras agentis suadela victrix adegerit me consentire in istorum editionem, dabitur authoritati tuæ & amicitiæ, vt quæ non scripseram suo die longius agnoscenda, longo interuallo agnoscam scripta, & qui facilius nunc in latomias quàm ad noua procudenda impellerer, vetera & exposita tolli seruaríque non prohibeam. Dicent quidam fortasse me delitias facere, suggerente illis Petronio, Nemo inuitus audit cùm cogitur aut viuere aut cibum sumere: & mei sensus coniecturam de suo aliorúmque complurium facere volent, qui gloriam quam maximè appetant, fugere videri velint. Sed licet fidem facere non sperem, nec magnopere curem, sanctissimè profiteri non verebor adeò me nunquam affectasse nomen & posteros, vt contrà vitam meam continenter infandis malis enectam & quauis morte peiorem, obliuione mersam optauerim, nec in minimâ fati mei crudelitate semper duxerim, quòd à naturâ sic affecto ingenium mihi non prorsus humi repens ac ignorandum contigisset. Si quis pœnam legis veritus quæ in cælibes lata est, vxore ducta suscepisset liberos ad deformitatem insignes, cæcos, claudos, fatuos ac eiusmodi quibus parens ridere non posset, & tamen quòd sui essent, vtcunque alendos censeret, nec atroci consilio penitus perden-

Digitized by Google

dos decerneret, quis huic homini naturæ sensum crimini dandum existimaret? Idem mihi vsuuenire sciant, & factum meum facilitati potius quàm ostentationi adscribant, qui quæ non sponte extuderam, diu neglecta, deinde authori rursus obuia, non continuò reiecerim, aut ad extremum infensus abdicarim. Tuum porrò est videre, ne huius consilij aliquando sis reus, quod vt minimè fraudulentum ab homine summi candoris & mihi ciuitatis iure atque cognatione iuncto profectum fuerit; tamen defectu seueritatis vel affectu, serâ vtriusque nostrûm pœnitentiâ peccasse censeatur. Nam nullius magis iudicium quàm tuum reformidem, si non sit obnoxium, & vt verum fatear, eâdem quâ me ad prodeundum inuitas epistolâ, exterres, tam vberi gratiarum copiâ, tot Latinæ linguæ diuitiis circunfluente, vt me abdere silentio, te partes eas quas imponis mihi agere conueniat. Nisi quatenus ad maiora reseruandus es, tuum istud ingenium optimarum artium cognitione instructissimum, admirabilem istam oris facundiam, quæ tibi potuit familiari conuictu & consuetudine principes viros demereri, circa grauiora quâ ciuilis quâ contemplatricis vitæ munia, Dei gloriæ seruire malim. Vale Andomaturi Lingonum 4. Calendas Martias, anno S. 1628.

Digitized by Google

DE N. BORBONIO VIRO doctissimo ad Scæuolam Sammarthanum patrem meum.

DVM te cœlesti versu Borbonius Orco
Subtrahit, & cœli te super astra vehit
Scæuola: terrarum tibi dat volitare per orbem,
Et socio fidam præbet amicus opem.
Aurea vir magnus tibi pectine carmina ducit,
Scæuola digna tuo nomine, digna suo.

Abellius Sammarthanus
Scæuolæ F.

IN POEMATA NIC. BORBONII ab authoris incuria & situ vindicata.

DIGNVS erat prisca sua tempora cingere lauro,
Cui noua formabunt sæcula nulla parem:
Cuique nec æqualem quæ retro est protulit ætas,
Regali prorsus nomine dignus erat.
Felix illa dies, quæ claris æqua poëtis,
Nomen idem Regum, Borboniique facit.

Bapt. Poessonius Regius apud Andes Aduocatus, & Procurator Subsidiorum.

Digitized by Google

In exposita N. BORBONII, & titulos, in illis, ulicubi deprauatos

EPIGRAMMA.

CARMINA, ceu priscæ foliis mandata sibyllæ,
In ventos fuerant hæc abitura leues;
Quæ, patris iniussu, disiecta coegit in vnum
Aut genius viuax, aut alienus amor.
Sit fœlix, vno cui sunt contracta libello
Tam vaga, successu non careatque labor.
Aut animo tamen est aliud, deceptus, agente,
Aut oculo vidit prætereunte nihil:
Nam propriis translata locis, male sæpta reponit,
Et titulus nævos vnus & alter habet;
Deque suo imprudens properat; cùm debeat eius
De libro, Latiâ lege iubente loqui,
Qui vetitâ versus donauit luce sepultos,
Patroni atque patris nomine dignus erat.
Si tamen inuisos authori ab origine fœtus
Crimimibus veniat nunc onerare nouis,
Patronus culpam præstet, sub iudice iusto,
Deque suo, litem fecerit ille suam.

Petrus Mola Vezelius I C.

Digitized by Google

LIBRI ILLmi CARDINALIS BERVLLII,

De Statu, Majestate & Magnitudine IESV,

PROPEMPTICON.

REPENTES curæ, fluxásque sequentia sordes
Vota hominum, & rebus malè pectora mersa caducis,
Este procul, procul hinc, totóque abſiſtite libro.
Pagina nil mortale ſonans iámque imminet aſtris,
Diuinóſque ſatus & inenarrabile numen
Pandere molitur, mundi ſecreta latentis:
Vnde animus magno Superûm perculſus amore,
Exuere humanæ diſcat contagia labis,
Per ſpretas & opes & per faſtidia terræ
Æthera rimari, patrióque aſſurgere cœlo.
Adſtupet inſuetis, ſeque ignorare fatetur
Auctorem natura ſuum, quem Virgine fœtâ

Digitized by Google

Æquæuum patri vidit prodire ſub aurat,
Innuptæ matris ſobolem, nec patre minorem,
Atque laborato ciuem ſe adſcribere mundo:
Ante æuum tempúſque Deum, ſed tempore natum,
De tot quos etiam finxit mortalibus vnum,
Et partem fieri, quem totum condidit, orbis,
Æternáſque ſator retrò qui flexit habenas,
Ire nouum in cenſum caput, & ceu vulgus haberi
Regnatorem hominum, vitæque animæque datorem
Sponte ſuâ in noſtra leges concedere mortis,
Vt nos eriperet noxæ, proprióque litaret
Sanguine, ſupplicíúmque luens pro ſontibus inſons
Vinceret infeſtam per tanta piacula mortem.
Mox eluctatum tenebras & vincula fati,
Corpore cum toto rediuiuâ ſydera luce
Inuictum, quáque arcani ſtat regia mundi,
Ire ſui ſeſſum dextrâ ſolióque parentis:
Quò nec fas homini ſtudiis penetrare ſequendo,
Vnáque ter, regnat, triplicique in nomine ſimplex
Maieſtas Patris & Verbi & quem mutuus illis
Spirat amor. non hæc humanæ peruia menti,
Et ſenſus hebetes & caligantia fallunt
Lumina: ſed nec ſe reſerant cœleſtia magnis
Protinus ingeniis, indignatúſque ſuperbos
Sæpe Deus (quem non tellus, non æquora ponti,
Non ipſi capiunt cœli reuolubilis orbes)
Summißis animis purúſque illabitur vltro
Pectoribus. nihil hic Graium ſe iactet acumen,
Nec ratio, ſed ſola fides hominémque Deúmque
Perſonâque duas coaleſcere dictet in vnâ

Digitized by Google

Naturas tam dissimiles, nitique minorem
Maiori, prorsusque alieno insistere fundo.
Scilicet æterno sic conueniebat amori,
Vt (quando diuina pati natura nequibat)
Humanum reparare genus qui venerat axe,
Errorem primi miserans lapsúmque parentis,
Humanos vultus & membra obnoxia morti
Indueret, sumptásque semel non poneret vnquam
Exuuias: sed rursus iter emensus Olympo,
Perfossas plantásque manúsque, & fixa cruentis
Tempora monstraret spinis atque ora parenti,
Signa triumphatæ mortis; queis fretus & olim
Peruersum humanum genus ingratúmque salutis
Argueret iudex. O quis non talia cernens
Suspiret! tua ne hæc, Genitor, per vulnera seruor,
Morte tuâ viuens? quæ te clementia cœlo,
Quis te tantus amor detraxit, vt hostia nostra
Concideres culpæ? heu serui indute figuram
Corporis, & tantos non dedignate labores!
Vt quondam hæc animis altè insedere piorum,
Cùm noua lux terris exorta, Deique caleret
Sanguis adhuc: mortes non expauêre, nec ora
Carnificum, torúaque truces feritate tyrannos,
Nec turpes ignominias atque horrida iussa:
Confessique Deum fortes, & corpora certæ
Deuouere neci: Nos post tot sæcula, Christi
Degeneres tanto fundatum sanguine regnum
Perdimus: hinc Asiam iam dudum barbarus omnem
Occupat, ipsa Dei pedibus cunabula calcans
Heu! Solyma, atque æquata solo tot templa, tot aras:

Digitized by Google

Illinc nos toto deiectos littore, ponto
Diuidit. & Libye sitientibus arcet arenis,
Nec monumenta patrum, nec iam delubra, nec ædes
Ostendit: cuncta imperiis cessere prophanis;
Et super antiquæ sunt alta oblivia vitæ.
Vix Europa fidem colit integra, quantulus orbis
Angulus immensi! quem ferro & funere cernunt
Discordes reges populique, cienisque cruenta
Prælia, pestiferis armata insania sectis.
Cúmque foret pridem spoliandus Turca trophæis
Pannonicis, Græcique adeò patiantur inulti
Triste iugum: pulchras acies ciuilis Enyo
Impiáque æternos remoratur secta triumphos.
Tum pessum mores inêre, infractáque luxu
Sæcula, longinquos iusto sub marte labores
Dedidicere pati rerum secura, fidésque
Paulatim nostris vitiis offensa recedit
Trans Gangem, & terras alio sub sole calentes.
Seu velut indignis numen succenset, ademptâ
Iratum nobis face, damnatósque tenebris
Deserit, inque alias transfert sua lumina gentes:
Seu fors illa dies instat qua vertere cuncta
Destinet, & flammis purgare sequacibus orbem:
Nec priùs hunc firment venturum oracula, cunctis
Relligio quàm sit terris vulgata, crucisque
Nomen adoratæ totos peruaserit Indos,
Antipodásque, & quos circúmque infráque supráque
Mundus habet populos geminum porrectus ad axem.
Intereà dum res hominum caligine tantâ
Volvuntur, ter fœlices atque ampliùs illi!

Digitized by Google

Quos vita incenſos tandem melioris amore,
Iam nunc æthereas terreno in corpore ſedes
Præcipere, & ſancto iuuat indulgere labori.
Non hos ſacra fames auri, aut inſanus honorum
Ambitus exercet, nòn blandis fœda voluptas
Mancipat illecebris, tumidive ſcientia cogit
Ingenij in cœlum voces iactare ſuperbas:
Sed patrum inſiſtunt docili veſtigia mente,
Metiríque ſuo metuentes numina ſenſu,
Præpetibus Fidei contingunt ſydera pennis.
Prodi magne liber, dux hæc audentibus ibis,
Nec te latrantis tardent conuitia linguæ,
Non importuno ſtridentes murmure fuci,
Factióve aſſultans rixantibus inuida chartis,
Non Epicureæ cures ludibria turbæ,
Non naſos. Attenta tibi qui admouerit ora,
Sentiet internos, patrij dulcedine captus
Eloquij, ſtimulos, tantarum & pondere rerum.
Tum tibi ſi qua nouus prætendat crimina liuor,
Doctrina, hæc, ſcriptis, mores authore refellent.

Digitized by Google

AD AMPLISSIMVM SENATOREM DOM. IOAN. BVGVIERVM.

NON quia patricia longo es de sanguine gentis,
Liliáque ascendis proauis insessa Senator,
Vsque adeò te mirer. habes quod certet auitis
Laudibus, & propriâ splendet tibi purpura luce.
Quamuis fraterni te gloria luminis vltrò
Ambiat, in vestros & iam conspiret honores
Orbati paulùm indubitans fortuna Senatus;
Tu non fraternæ veluti tamen indiga flammæ
Luna micas, alio nec fers à sydere sydus
Per non natiuos ostendi gentibus ignes.
Natus eras Themidi, téque alta scientia legum
Incensum studio primis capiebat ab annis:
Non te quod Labeo, quod sciret Scæuola quicquam
Præteriit, quæ Cæsareis vtroque sub axe
Sancita imperiis non vno codice restant;
Aut si quid Reges, nostrive edicere mores
Temporibus voluêre, tenes tu cuncta, nec vnquam
Segniter est exculta tuæ prouincia sortis,
Ergo tenax recti probitas, virtúsque, fidésque,

Digitized by Google

Et solers animus cœcis lustrare tenebris
Implicitas lites, incorruptóque dederunt
Iudicio, grauium momenta expendere rerum.
Te, quæcunque fori subsellia presseris, æqui
Iudicis officio functum præconia famæ
Narrarunt, osque inuidiæ vix vera fatentis.
Nec contentus eo tu seri prouidus æui
Consulis in commune, & formatura nepotes
Quæ tibi per multos vsus collegerat annos
Astræa ex adytis oracula missa reportas.
Iam liber authori non inficiandus, apertis
Procedit foribus, secum decreta supremi
Ordinis, atque effata ferens ingentia Patrum,
Vnde minor Iudex, & municipale tribunal,
Vnde togata cohors omnis, responsa requirant
In dubiis, sténtque authoris fundamine magni.
At priùs iniussu domini, ceu carcere fractó
Exierat præceps, titulique, & nominis expers
Nullum patronum, solemnia nulla moratus:
Siue sui tenuit fiducia, siue diserti
Increpuere moras, expectatóque carere
Vlteriùs fructu non sustinuêre clientes,
Publicáve vtilitas abrumpere vincula iussit:
Elapsi placuit cunctis audacia, præter
Authorem, & magnos plausus, totáque fauorem
Orchestrâ meruit. Quid nunc cum plenus euntem
Assensus domini, & maiora insignia ducent?
Ipsaque honoratum præfiget pagina nomen
Purpurei capitis, quo se iam cardine versat
Gallica res? Non illa tui pars vltima fati

Digitized by Google

Hospitio excepisse Deos, æstiuáque Regis
Metantem, curasse tuæ succedere villæ
Richelium, (æternos ruris signauit honores
Quisquis is est, vestróque viam patefecit amori.)
Hic illi Dryades, paruóque vmbracula luco
Conscia curarum, periit quibus impia classis
Ausa Britannorum nostras inuadere terras,
Et prostrata iacent damnati mœnia portus,
Rupella æternum populos monitura rebelles,
Non inferre Deo bellum, nec temnere Regem.
Nota mihi hæc sedes, & opacum frigore grato
Intratum nemus, indulget quo tempore vobis
Otia, & vrbanas differt vindemia curas,
Et memini viridi quoties in cespite tecum,
Aut liber intentos studio oblectaret amœno,
Aut vnâ recubans facunda resolueret ora
Optatus, tum si non densis nubibus imber
Ingrueret, nobis spatiantibus inde petita
Sæpiùs opposito quæ non stat regia longè
Villa iugo, mediæ paruo discrimine vallis
Præterlabentis & murmure dissita riui,
Quæ transacta mihi decimo nunc ampliùs anno.
Numina & hîc Franci nuper miserata iacentem
Fortunam imperij, cùm Regem incenderet atrox
Febris, & incerto penderent omnia casu:
Inter sollicitæ tunc mœsta silentia plebis:
Inter & infami morbos æstate calentes
Nuncius affertur trepidus venisse Britannos
Infestos, ægróque etiam insultare Leoni.
Non aliàs humana magis procedere vota,

Digitized by Google

Nec tam præsentes alibi succurrere Diuos
Vidimus. Insurgit iustâ violentior irâ
Viuidus, vlturúsque feræ periuria gentis,
Iustitiam & secum superos in prælia ducit.
Desinat humanis quisquam confidere rebus!
Iámque repentino turbari cuncta tumultu
Aspiceres, deserta nouos ad signa venire
Tyrones, subito muniri milite castra,
Incertum quâ parte hosti, terráne, marine
Occurrant; simul vrbs prohibet, simul insula poscit
Auxilium, & desunt instructæ remige puppes,
Nec fas est campis assueta patentibus arma,
Indocilémque maris populum prædonibus ire
Obiectum, totum pelago spoliantibus orbem.
Denique si tanti reputes exordia casus
Prorsus, debiliórque fuit propiorque periclo
Cui vicisse datum est. Ergo discrimine tanto
Omnis in euentum suspensa Europa manebat.
Pars adeò nostræ messem factura ruinæ
Consilia abscondunt vultu, pars altera mussant
Queis rebus spes vna nouis, pacémque perosa
Extingui metuunt ciuilis semina flammæ.
Ast alij insanum penitùs ridere laborem,
Necnon turbato minitari hostilia regno;
Vicini quibus est inuisa potentia Regis
Noricus, occultisque infidæ motibus Alpes.
Laurea deiectis captâ statione Britannis
Prima fuit, tot signa [illegible]holo suspensa deorum,
Insuetum per iter ausos transmittere Gallos
Per propè calcatas victis mirantibus vndas.

Digitized by Google

Numine sed fretum Regem quæ claustra morentur?
Ecce quibus tutam sese vrbs infida putarat
Mutarunt elementa fidem. Non compede vinctus
Frumenta obsessis iam deficientia portat
Neptunus, totisque immania vincula sentit
Faucibus, hyberni veniunt in fœdera venti
Conciliante Deo, iactas & in æquora moles
Et transuersa negant incursu euertere saxa.
Hauriat hanc oculis cladem, ter victus ab alto
Anglus, & illatæ miseris ferat omina mortis,
Quos pressos, diráque fame, auxilióque maligno
Deceptos, fecit crudeli occumbere letho.
Dum meritos passim templis adolemus honores,
Hospitij tu iura colis, nec publica cessat
Sed priuata tuos inuitat causa labores
Insuper, istarum qui pars est maxima rerum
Patronum ascribis libro: post munera belli,
Is non Palladiæ frondem aspernatus oliuæ
Præbebit sanctis pacatum legibus orbem
Vtilium Regi suasor: Tu vindice tanto
Hospite seu mauis, pallentis spicula nusquam
Inuidiæ metuas: námque aut malè cognita vati
Aurea iam redeunt, aut saltem ferrea mundo
Secula decedunt, esque hospes ab hospite tutus.

Digitized by Google

De obitu clariſſ. viri

SCÆV. SAMMARTHANI QVÆSTORIS FRANCIÆ,

Ad ampliſſ. virum

IOANNEM PINONEM

Senatorem Pariſienſem

EPISTOLA.

Vrentem dudum latebras & ſacra profeſſum,
Pertæſumque inopes ſecli ludibria Muſas,
Scribere quis furor eſt? non alta ſilentia, Pino,
Rumpere me cogis, qui noſtræ incommoda vitæ
Conſcius, & duros miſeratus ſæpe labores,
Appulſum tenebris tandem haud ignobilis otî,
Sedulus vſque foues & inerti inuiſis in vmbrâ.
At tibi coniunctus ſtudiis cultórque Mineruæ
Et Themidis ſuperúmque, meas Seuinus ad aures
Aſiduus iurgans, patrij ceſſantia cœli
Ingenia, Auſonias queritur concedere lauros
Externis, cùm tot libri, tot carmina plenis
Huc veniant plauſtris, auctorum examinatanta
A Francis Mœnóque: aut omnis concidit ardor;

Digitized by Google

Aut ventum ad facem nobis, & pectora nostra
Defecit virtus, fundóque exaruit imo.
Vera quidem hæc, & scis aliũ non publica quẽquam
Tangere damna magis: sed non persuaserit huius
Inuidiæ me stare vadem: quis brachia contra
Torrentem sanus direxerit? aut nisi vitæ
Prodigus aduersis sulcauerit æquora ventis?
Ne mores sapere atque hodiernam viuere vitam
Me vetet, ingenij stultam contemnere famam,
Militiæ decora atque togæ, fronémque sidémque
Ridere infirmæ veluti deliria mentis:
Quod facinus, quod fraus, quod turpe parauerit olim
Obsequium cuiquam aut cœco fortuna fauore
Suspicere hoc vnum, nugæ mihi cætera sunto.
Aut si nos sentire aliter ratióque Deúsque,
Ingenuúsque animus iubet, & reuerentia legum,
Cur non stemus ad hæc fixo spectacula vultu
Immunes? & quæ paupertas otia monstrat
Sectemur potius, post implorata tot annis
Nequicquam auxilia ingratæ fallentia Musæ?
Namque ego iuratus simulac de colle Latino
Migraui in plana, atque alijs me Sequana ripis
Excepit, Græcis Latiysque indicere bellum
Partibus atque sequi dominæ iam transfuga castra
Barbariæ; quid enim miseri nisi plena laboris
Militia hæc? non magnæ animũ mihi laudis egentem
Esse putes, ego non inglorius esse recuso,
Vexari metuo; quem fama & nomen inane
Monstrarit, pœnas dabit ille, súóque peribit
Indicio vt sorex. ecce importuna rogantum

Digitized by Google

Turba venit, prælis huic exit fortè libellus,
Adde nouo laudes auctori: porticus illi
Exstruitur, vel rure domus vel surgit in vrbe,
Scribe aliquid valuis, aliquidve incide caminis,
Nulla fenestra vacet titulis: hinc pictor, & inde
Sculptor, & aurati capulum qui fabricat ensis,
Cuiq. numisma nouo cudendum aut calculus anno,
Quique procul riguo latices deducit ab Arcu,
Fluminaque occultas plumbo penetrantia terras
Mobilibus riuis sitienti diuidit Vrbi,
Dimidios cuncti versus & lemmata quærunt.
Ecce alius matri poscit te & carmina fratri
Composito: quoniam tibi nil legauerit, vrnæ
Appones numeros mœrens, lætabitur hæres
Inuentis opibus, ah! siccine mortua viris
Ossa negant pacem? centúmque cadauera tecum
Bella gerunt? & quæ vis apta heroïbus, osque
Magna sonaturum laruarum in nomina vocem
Prodigit, & toto sese contaminat Orco?
Ergo fatiscentem & iugulatum talibus olim
Spernentémque preces detrectantémque labores
Oderunt multi malè, morosique superbum
Ingenij accusant fastum, seu forsitan ista
Crescere stertenti nullo molimine credunt,
Seu quoniam præter laudem nullius auaris
Vatibus, est etiam merces satis ampla rogari.
Attamen vt ferrum intentent, mortémque minentur
Nil mouear: nam si facilem poscentibus aurem
Præbuero, quì non misero caput obruet illa
Sarcina, & iniusto fessum sub pondere corpus?

Digitized by Google

Vnus mille mihi ſteriles epicedia fruges
Proferet autumnus, nec me ferale ſonantem
Vatibus adſcribet, ſed veſpillonibus ætas
Poſtera, plebeios damnatum condere manes.
Non ita res hodie eſt. grauior cum nuntius aures
Verberat, atque animum iacturæ fama recentis
Perſtringit: quanquam cui nonageſima meſsis
Inſtabat, non eſt properato funere raptus
Sammarthanus, agitque bonis feliciter ævum
Cum Superis, comes & magnis heroïbus heros
It Phaëthonteæ quâ candet ſemita flammæ.
At nos damna manent, refugo quibus occidit aſtrum
Lumine; dat Clanus gemitum, & figuntur acerbo
Vulnere, qui tantæ quondam virtutis alumnum
Fouerunt patriis reptantem Pictones aruis.
Hicne etiam taciturnus ego? nec fungar inani
Munere? an arcano iuncti mihi fœdere Manes
Conſilium ſtabile abrumpent, vt carmina miris
Deteſtata modis mutatâ mente reſumam?
Vincor, & ambiguo ſenſus inuita volenti
Verba cadunt, lapſanſque fides ſuccumbit amori.
Ergo tibi toties iurata ſilentia rumpo
Scæuola: nec quiſquam me propoſitive tenacem
Conſtantémve minus credat: tibi, Scæuola, viuo
Ducimus exequias, animam curare ſepultam
Dedigner, iubeámque amnes potare ſilentum.
Sed te quis tandem, niſi læuâ mente negarit
Viuere? quem cœlo iam didita gloria terris
Intulit? eloquij quem vox cultique labores
Ingenij, vitæque adeò ſimulacra calentis

Digitized by Google

Tot versus, spondent viuum proferre sub auras,
Et velut æternæ spirantem ostendere famæ?
Augustus Pharo victor dum littore magni
Lustrat Alexandri titulos, defixus in illum
Obtutu toto, postquam satiarat abundè
Mirantes oculos, Ptolemæi visere corpus
Respuit; & reges, inquit, non æthere cassa
Nomina, & imbelli vix agnoscenda Canopo
Spectatum verio: stupeant ad talia vulgi
Ignaræ mentes, queis putres deside luxu
Semiuiros vel sola facit fortuna verendos,
Et Tyrio splendens imponit purpura fuco.
Ausoniæ gentes ingentia pectora magnis
Ducimur exemplis, nostrósque ea sola moratur
Nobilitas oculos, quam virtus inserit astris.
Sic ego (si paruis fas est componere magna)
Respondere paro; sed vix mihi Scæuola Pellæ est
Rege minor, populis etiam glacialis Iërnes
Cognitus, & toto diuisis orbe Britannis:
Cuius & auditum famâ procul alite nomen
Terrarum dominis; nam dum connubia quærit
Bætica trans pontum, trans & inga celsa Pyrenes
Festinans Iuuenis cui seruiet vltima Thule,
Præproperum tardauit iter, quis crederet? ardens
Interiore rogo, senis & diuertit ad ædes
Vsque salutatum, cunctis ignotus, & vni
Noscendus, magni fuerant quæ iussa parentis,
Miratúsque virum nostris se Regius hospes
Proripuit terris, lætus vidisse, videndum
Quem non fata darent vltra, si serius vno

Digitized by Google

Nostra peregrinus tetigisset littora mense.
Sic quõdam extremis de Gadibus aduena Roma
Plurimus intrauit, sudore emensus vtramque
Hesperiam, non vt dominæ miracnla Romæ
Auratas moles, æquatáque mœnia cœlo
Cominus, at tantùm Patauini vt cerneret ora
Scriptoris: Gallos è sedibus exciit ingens
Liuius, & Galli Patauinis æmula chartis
Se Sammarthani facundia fudit in omnem
Europam, captásque nouâ dulcedine gentes
Visendi studio nostras attraxit in oras,
Altricémque viri terram reuerenter adegit
Suspicere, & Latios illi submittere fasces.
Sarmata sci, Rhenúmq. bibẽs Germanus & Istrum,
Et Batani norunt Phœbæas quantus in artes
Assurgat, molles Elegos seu fundat ab ore,
Seu blanda lyricum pulset testudine carmen,
Siue breui sensus Epigrammate claudat acutos.
At prodesse volens, vbi miscuit vtile dulci,
Quæque foret ratio pueris atque vsus alendis
Præcepit, simul ac excepti in luminis auras
Infirmis feriunt vagitibus aëra; nusquam
Virgilio patuit minor, indigenisque superbam
Vatibus Italiam magnis exterruit ausis,
Iam tum possessa visam diffidere palmæ.
Primus enim heroo Gallorum carmine longa
Ausus erat spatia & iustum tentare laborem
Nil veritus, ne perpetuo se pectus anhelum
Limite currentem, aut generosi spiritus oris
Deficeret, breuibus cùm sese includere metis

Digitized by Google

Consuessent alij, atque angustâ carmen auenâ
Concinere, in faciles contenti ludere gyros.
Nec minus & patriæ potuit contexere veras
Iam senior, rerum longoque edoctus ab vsu
Historias, veteris nisi fortè obstaret amici
Respectus falcémque alienæ immittere glebæ
Nescius, huic etiam communem attingere laudis
Materiam fugeret, partémque inuadere famæ.
Quippe potens animus fandi, diuésque pedestris
Eloquij, geminas æquali laude coronas
Promeruit, vel digna ipso Cicerone locutus
Cùm breuibus chartis postremi illustria secli
Laudauit capita atque insignes Pallade ciues,
Gallia quos peperit: Ionio par spiritus illi,
Et stylus in varias docilis transire figuras
Diuersis eadem relegentes detinet orsis:
Sed tumor omnis abest, & castigata Latini
Gratia sermonis natiuo purior amne
Defluit; & mirùm si præstet talia, magni
Turnebi, auditórque tui gens Romula ciuis
Mureti quondam? cuique & prudentia iuris
Et firmata diu & grauiores aucta per artes
Æquarat magnis animum solertia rebus?
Nec memoranda mihi proauûm generisq. vetustas
Quamuis non illi series inhonora parentum
Contigerat, sed clara fori numerabat & aulæ
Lumina, patritiúmque decus de matre ferebat.
Ecquid enim frustra hunc alienis laudibus ornem,
Cui sat nobilitas sua sit, cui largus in ipso
Census, & aterno quæsitus nomine fulgor

Digitized by Google

Vsque repercussis ad prima exordia patrum
Pertingat radiis, gentémque illuminet omnem?
Iam fortuna domûs dederat Quæstoris obire
Munera; ciuiléſque capessere natus habenas,
Non humiles in spes primis adoleuerat annis.
Publica bis patriæ meruit suffragia, clauo
Admotus, Consúlque volenti præfuit vrbi
Pictonidum dominæ, & speculâ consedit in altâ
Quæstorum Præses bis missus nomine Regem
Ordinis affari, facundis ora resoluit
Vsque adeo dictis, vt sit mox inde secutus
Regius orantem fauor: ex hoc iussus adesse
Concilio regni ad Ligerim, rursusque secundo
In Neustris; vtrinque suis vtróque probatus
Tempore, fortunam sese deuouit in omnem
Regibus; excussúmque inter ciuilia passim
Bella iugum, obsequiique fidem reuocare sategit
Pictonibus Magnum monitis agnoscere Regem.
Ante & Aquitanas, malè dilabentia regni
Instauratum ierat patrimonia Quæstor ad vrbes,
Santonicæque oræ populos: & regia castra
Armoricis cùm se fudêre minantia campis,
Dumbarum ductis auspiciis, comes additus olli
Scæuola, castrensi curas intenderat auro
Præpositus toti gazæ, commissáque belli
Subsidia & neruos solerti mente regebat.
Felix nascentem quæ vidit Iulia tellus,
Quæ dedit hæc eadem natales debet alumno
Excidio & fœdæ seruata à strage ruinæ.
Regius incedens namque his exercitus aruis

Digitized by Google

Exarsit furiis immanibus (& sua fortè
Fecerat inuisos nonnulla iniuria ciues.)
Ille timens patriæ mediis interuenit armis,
Affatúrque ducem. patuit quid gratia posset
Excellens meritis; cunctorum vnius amori
Condonata salus, sæui deferbuit ira
Militis, infensique ducis placata quierunt
Imperia; Hetruscis non tantus Scæuola castris
Porsennam aggressus hærentem depulit hostem
Mœnibus amissæ fleturus funera dextræ.
Nec potuit, quamuis iuueni mirabilis vmbra
Pellæo captis arcere incendia Thebis
Pindarus, huic mansit domus infœlicior vni
In deflagratis patriæ spectata ruinis.
Ergo parens altrixque eadem tellure repostum
Vrbs habet, & cineres æterno seruat honori,
Depositi fœlix: iámque & sermone frequenti
Commemorat, qualem extremo se gesserit actu
Vir pius, incautum quem non inopina propinqua
Terruerit mortis facies, sed ritè paratum
Fundentémque preces sanctas, crebráque vocantem
Voce Deum, & toto fixum in cœlestia sensu
Optatum ciuem meritis transcripserit astris.
Quò magis incœptas conor transcurrere laudes,
Deliboque leui fastigia pollice rerum
Plus video superesse, manent longa æquora portu
Soluentem, suadéntque æstu superante, relicta
Respicere auersum demissis littora velis.
Non quia formidem, ne te fastidia, Pino,
Narrantis capiant, cui dudum Scæuola norim

Digitized by Google

Quantus erat, quanti facias & Palladis artes,
Doctrinæque penum ditem, & vos illa supremæ
Ornamenta togæ non inferiora parastis
Tuque parénsque tuus; quem si non arduatempla
Auratæ Themidis noctésque diésque iuberent
Hoc agere, & iustà rerum discrimina lance
Metiri, nulli flueret magis vbere venâ
Eloquium, nec se Romano includeret anno
Victurus labor, & paucis ea gloria chartis;
Sed veterem Romam, totásque referret Athenas.
Publica res animum curis grauioribus implet,
Nec quas in magnis potis est ostendere rebus
Ostentare sinit dotes, libríque vacare.
Interea saltem Musis vos certa manetis
Præsidia, vt si fortè reas infamia mendax
Postulet, immunes noxâ præstentur ab omni
Iudicibus vobis: nam nunc & scire Latinè
Dedecus est, crimen graue fortunísque luendum
Omnibus est etiam fari vel scribere Græcè.
Vidi ego cui paruæ derasa est pensio summæ,
Quem frusto panis nec dignum habuere secundi
Egregij proceres, quod culpis talibus esset
Affinis: quamuis huic, duro munere functo
Longa valetudo immaturis tempora canis
Obtegeret, miseræ & noctes oculíque negarent
Insomnes, certo vestigia figere gressu.
Ipse ego quid faciam, si quis me rure paterno
Exturbare volet, quod sim vocitérve poëta?
Quod forsan libros plebe haud indoctius imâ
Versarim manibus? certè appellare tribunal

Digitized by Google

Incipiam vestrum & subsellia prima Senatûs;
Nec metuam causâ ne sortè abscedere cogar
Victus, inauratis vbi præses lilia pannis
Memmius insistet, totque ordine clara sedebunt
Lumina diuinas non auersantia musas.
Hæc nisi in angustis superest fiducia rebus,
Iamque iter ignotos meditor fugitiuus ad Indos,
Longinquásque Pelops vbi non sit cognitus oras.
Et quondam vt morererque absens, exulque morarer
In patria, iratæ fuerat sententia mentis:
Sed medius fratrum magni mihi Memmius alter
Consilij pars magna, manus iniecit; & vnde
Te ratio fugit, qui te speraueris ipsum
Effugere, implacidisque (inquit) subducere curis
Ægrú animum? quocunq. agites sub cardine mundi
Idem eris, obfirmes tete, & quæ prouida rerum
Numina decernent imponere, pondera nusquam
Detrectes; fortè & fiet magis æqua ferendo
Sors tibi, tangetúrque aliquo fortuna pudore.
Sit pudor & finis: vereor ne in publica peccans
Commoda, te querulis offendat Epistola nugis,
Atque aliquis dicat (si quis modò legerit ista)
Crudelis fati dat pœnas carminis auctor,
Defletúsque suo iacet hîc, non Scæuola, versu.

Digitized by Google

ILL^mo CARDINALI DV PERRON, S.

QVOD tibi offero poëmatium, (Cardinalis illustrissime) non ingenij sed doloris opus est. ingenium quidem aliâs semper exiguum, nunc prorsus calamitate publicâ concidit, dolor verò mihi silentio magis quàm verbis promitur. Verùm quia ille nonnihil lacrymis & suspiriis egeri potest, vbi emersus à stupore horrendi facinoris animus meus paululum se collegit, in has voces prorupi, quas abs te audiri, tanquam meæ pietatis erga patriam & eius optimum parentem execrabili scelere sublatum, testes atque indices magnopere cupio. Et quidem de meo sensu coniecturam tui facio (patere hoc dici humanissime Princeps) cuius animi habitum in tam miserabili & æternùm lugendâ maximi Regis morte, si quis pictor penicillo assequi volet, necesse est rursus Agamemnonem Aulide velatum inter mœrentes proceres effingat. Henricus enim quartus orbi, tu illi atque adeo omni Europæ ob excellentem virtutem doctrinámque incomparabilem miraculo fuisti, vt consentaneum sit, te laudatissimi atque acutissimi Principis, quem lauda-

Digitized by Google

torem & admiratorem habere mérueris, crudeli interitu ſupra cæteros dolere. Tibi igitur lugenti, è longinquo (ſi fas eſt) flebiliter accino, tibi literarum & Academiæ parenti literator vnus è multis quicquid id eſt demiſsè dico conſecróque, quod ne Celſitudo tua reiiciat, néve hac parte aliquantò triſtiorem me dimittat, ab eâ ſupplex etiam atque etiam contendo. Cùm enim hoc tempore Academici homines non vnis malis conflictentur, de hi; publicis, nulla profectò dies mihi vnquam lugubria detraxerit, priuatis, ne aut ego aut quiſquam alius prematur diutius, potes efficere. Vale, Lutetiæ 7. Calend. Quintil.

DIRÆ IN PARRICIDAM.

PRô ſuperi! (quid enim ſolennia verba profabor?)
Biſne prophanatas infando crimine terras
Adſpicitis? reſidéſne, procul mortalia certi
Linquere, damnatum furiis permittitis orbem?
Heu generis luciſque pudet! Titanes Auerno
Proſiliunt, mentiti habitus, & nomen, & ora
Gallorum: iam queis terrarum ſola carebas
Gallia, monſtra paris, quæ diro cominus auſu
Tentauêre Deum ſuperis detrudere regnis:
Atque vbi nulla datur cœlum violare poteſtas

Digitized by Google

Mox veri simulacra Dei, præsentia nobis
Numina, (prô nullis abolenda infamia seclis!)
Confodêre duos repetito vulnere Reges.
Fœlix maiorum quæ talia nesciit ætas!
Heu vita infœlix tanto seruata dolori!
Sed prius admissum bis denis dedecus annis
Fors iam longa dies obliuiáque alta tegebant,
Ipsa videbantur ciuilia bella cruentum
Absoluisse nefas, quod nec regnata tulisset
Sarmatia, aut rapidi vicinia durior Istri.
Ecce Megæra nouo portentum enixa furore
Bacchatur, nitidúmque immani funere solem
Incestat, Maias dum crastinus iret in Idus.
Dum delubra deûm, dum festam frondibus vrbem
Ornamus miseri quibus hæc lux vltima fulsit:
Túque adeò auratos dum Rex præteruehis arcus
Multa legens oculis, titulósque & nomen amatæ
Coniugis, & varios quibus hanc gratamur honores
Heu expectatos inter moriture triumphos!
Audiet attonitis hæc gentibus vltima tellus,
Quâque super rubris currum conscendit arenis
Et Tartessiaco quâ mergitur æquore Titan
Crudeles superi, crudeliáque astra ferentur.
Ergóne sic placitum est, indignâ perdere morte
Magnanimum regem, per quem se gloria Franci
Nominis æquarat cœlo? qui fortibus armis
Consiliisque potens latè tremefecerat omnem
Europam, populósque in longâ pace regebat?
Oris sanctus honos, Maiestas comis & ipso
Cæsarea maior residens clementia vultu,

Digitized by Google

Nil mouêre trucis immania pectora monstri?
Nilne hominum consensus? & ista ab clade furentis
Plebis amor? toto certantiáque æthere vota?
Illáque seruati fœlix concordia regni?
Ergo triumphata victor despexerit Alpe
Italiam, ruptámque fidem fœliciter vltus
Allobrogis, captas Mauorie receperit vrbes:
Hibernásque niues, rigidique incommoda cœli
Et sæuos toties latrantis Sideris æstus
Pertulerit? toties acie congressus, Iberos
Et coniuratas inuicto robore turmas
Prostrarit? deuicta manu tot bella, tot vrbes,
Et concussa imis radicibus alta Pyrene,
Hæcne exhausta ideo duri discrimina fati,
Vt pace in media, mediis penetralibus vrbis,
Ante suos ciues, mœstique ante ora Senatus
Altera Tartareis caderet ceu victima cultris?
Eheu quam tenui pereunt ingentia causa!
Inuidit cœlum tanti solatia luctus,
Ne scelere illustri, neu cladem authore leuares
Gallia, non torui cecidit Rex militis ense
Nobiliúmve manu, (quis enim dilectior vnquam
Rex vtrisque fuit?) Stygiis sed missa cauernis
Bellua, semirutæ sub mœnibus Engolismæ
Prorepsit serpens, humanósque induit artus
Verteret vt lætam nec opino turbine pacem.
Incubus huic monstro genitor, qui forte calenti
Insiliens matri, tortis adsibilat hydris,
Fœdáque vipereo distendit viscera partu:
Non fundata domus, non integra stirpis honestæ

Digitized by Google

Fama, sed æterno damnati horrore piuates
Excipiunt: tetra illuuies, & turpis egestas
Obsedêre fores, tum nullus criminis insons
Nominis infandi, cunctos sed pœna nocentes
Inuasit scelerum, genus execrabile terris.
Hi crucibus, liquêre rotis pendentibus illi
Immundas animas, patriis auus exulat oris,
Prædatur frater, miscent aconîta sorores,
At monstrum ficti latitans sub nomine patris
Grassatur, sedenim gentilia crimina longè
Exuperat, quoniam materno illusit Alastor
Infernus thalamo, virosáque semina fudit.
Iam scelerum gradibus surgit, cœlóque minatur
Ausurum facinus, quod sæcula nulla priorum
Audierint, omnisque sequens exhorreat ætas,
Hæc etiam secum. Communibus hactenus orsus
Flagitiis, steriles transmisi inglorius annos,
Oppressi insontes testis mercede redemptus,
Euertique bonis miseros, dextrámque locaui
Cædibus impuram, castum penetrale cruentus
Intraui, sanctæ simulans me addicere sectæ,
Et latui Themidem: nimis hæc sunt ludicra nostræ
Naturæ documenta: parum est delinquere nota
Crimina, priuatisque animum satiare ruinis,
Accingor maiora: aut quid me matre cadentem
Tisiphone fouit? cur primo destinor ortu
Exitio patriæ, si nondum publica pecco?
Aurea pax mundo regnat, mens omnibus vna
Incolumi Rege, atque omnis vicinus adôrat
Lilia, diuersis latè radiantia terris.

Digitized by Google

Reginæ populus ſpectandas ducere pompas
Iam parat, & ſacrum diademate cingere crinem:
Illa ſerenata, poſt hæc ſolennia, fronte,
Ibit inaurato, plaudentibus vndique, curru,
Læta tribus natis, quos olim nobilis optat
Parthenope, atque breui Trinacria gurgite rupta,
Et qui fluminibus centum comitatus in æquor
Labitur Eridanus, necnon exterritus horret
Bætis, oliuifera redimitus tempora fronde.
Non adeò toleranda quies: me proſpera terrent
Inuiſæ patriæ: Ditem, viſendáque cæci
Teſtor ſtagna Erebi, faxo mox irrita cæſo
Gaudia Rege cadant, & militet Orcus Iberis.
Dixit, & inſolito furiarum incanduit æſtu
Et rata crudeles iuſſerunt omnia Parcæ.
Tempore iam ex illo præceps, noctéſque diéſque
Irrequietus agit, facinúſque in pectore verſat,
Itque reditque viam toties, non impete raptus
Aligero, ſed vti coluber tumefacta veneno
Colla minax, torquénſque immenſa volumine terga
Se mouet, & tactas ſpumis rorantibus herbas
Inficit, haud aliter dirus ſerpebat ad vrbem
Mendicus, lento ſinuans per deuia paſſu.
Quócunque informes ſtabulatum poneret artus
Protinus incubuit terror, ſonuêre flagellis
Nocturnæ facies, atque hoſpita territa monſtris
Exiluit, ſenſitque afflatos Dite penates.
Sæpe nouo turpis iactauit ponte rogator
Ille manum, & laceris errans per compita pannis
Squallidus inſidias atque auſa immania texit.

Digitized by Google

Et Luparam, toto custodes limine fallens
Sæpius intrauit, iam tum, nisi læua fuisset
Mens, male perdendus letho: nam lumina monstri
Sanguineis rubuêre notis, & signa dedêre
Concepti sceleris, quo Gallia concidit ingens.
I superum labes, i Franci nominis horror
Egredere, infernis iterum te redde tenebris:
Sed prius æternis, plectant humana nocentem
Supplicia, & tanti solatia parua doloris
Da iustas plebi scelerato sanguine pœnas.
Hæc manus infando strauit quæ vulnere Regem
Per pice torrentes & nigro sulphure flammas
Tota fluat, strictisque ardenti forcipe coxis
Innatet affusi, mox vrens copia plumbi.
Inde pedes, fractosque humeros, auulsáque membris
Membra suis, actæ magno clamore quadrigæ
In diuersa trahant, & longum spiritus intra
Æstuet impurus, luctetúrque ire sub vmbras
Corporis abruptâ compage, suoque supersit
Bellua semianimis letho, lassosque morêtur
Carnifices, inter tumidæ conuitia turbæ.
Vulgus relliquias atque ossa cruenta per vrbem
Infensum rapiat, nec desit gente perusta
Æthiopum Maurus, nostro nutritus in axe,
Correptos monstri qui mandat dentibus artus
Et saturet iustum patriâ feritate dolorem.
Tum circumuolitet nigris infamia pennis
Deuotas diris ædes, quæ tale dederunt
Prodigium terris, cunctosque à stirpe nepotes:
Deleat atque vltrix totum sententia nomen.

Digitized by Google

ILL^MO CARDINALI DV PERRON.

S.

MEMINI me legere (Cardinalis illustrissime) Dictatorem Syllam, malo & plebeio poëtæ, qui ei versus obtulerat, statim premium iussisse tribui, sub ea tamen conditione, ne quid postea scriberet. Tu omnium artium & disciplinarum, principísque Academiæ Dictator, sed longè humanissimus, cùm nuper illustrissimum nomen tuum exili poëmatio præposuissem, meam non valde fœlicis ingenij operam laude & præmio carere noluisti, neque in posterum mihi eiusmodi scriptione interdixisti. Quo ego successu, & beneficio tuo inuitatus, aliquantò longius in eodem argumento progressus sum, simul vt ipse mihi obsequerer, qui Ludouico Rege nostro indicto penitus, aliò scilicet abripiente me, ex patris casu, dolore, parum animo meo satisfecisse videbar. Enimvero in eius commemoratione inuitus feci vt deplorãdam historiam denuo attingerem, & tristia lætis miscerem, quo etiam nomine fortasse reprehendar. Sed ea profectò est fortuna Galliæ, vt hæc sine illis

Digitized by Google

intelligi non possint: atque vt multa deinceps secunda & læta Gallis obueniant, quod spero & opto: tamen nimis recens hoc vulnus semper futurum est, nec alioqui ex eorum numero sum quibus admodum placet illud obliuisci. Tibi verò (ô magnum seculi decus) qualecunque hoc opus est, non tam nouum nuncupo, quàm tuum reddo, qui diuinâ auctoritate & fauore, iacentes ac intermortuas Musas excitâris. & sanè cum his aliisque omne genus litteris æstimandis omnium mortalium maximè idoneus & sis & habearis, longè gloriosissimum sibi ducunt litterati homines iudicium tuum aliqua ex parte promereri. Mihi verò, qui nihil tale sperare ausim, quémque vix vlla mediocritas commendat, satis erit vnica tua beneuolentia, cui si litauero, ego qui iam tibi nimium quantum debeo, etiam animam & salutem sum debiturus. Vale, Lutetiæ VII. Calend. Nouemb. M. DC. X.

D. LVDOVICI QVERELA.

SVNT etiam Superi, nec inexorabile cœlum
Assiduis Gallos exercet luctibus, astra
Indulgent nostris iam conciliata querelis.
Et nos extincto miseratus Rege, sub vndis

Digitized by Google

Fugit, & horrentem tristi caligine vultum
Quinque dies, toto ostendit Sol luridus Orbe,
Atráque sollicitas texerunt nubila terras.
Necnon illacrymans indignis casibus æther
Insolitum densis fudit de nubibus imbrem,
Quo largi creuêre amnes, quo Sequana totis
Intumuit ripis, & lapsus in æquora cursu
Præcipiti, tanto de funere nuntius Arcton
Perculit, extremæque gementia littora Thules.
Ergo secuturas populus dum peruigil Idus
Horret, & insomnes per opáca silentia curæ
Exagitant animos, lacrymæ vndiq. & vndiq. terror:
Indigetum è cœtu casum Lodoicus, & vrbem
Adspexit, chari corpúsque exangue nepotis.
Extemplò patrius mentem dolor occupat: & cui
Tãtùm (ait) in nostrum licuit genus? vnde meorum
Confossum latus, & crudelia vulnera cerno?
Méne petunt etiam pestes, & peruia monstris
Nescius astra colo? Nec plura effatus, ab axe
Emicat Herôum, niuei quà semita lactis
Albentem in sulcum glomeratos porrigit ignes:
Vtque nihil tardatus erat iam mole caduci
Corporis, implicitos per tot se sustulit orbes
Ocyus, ardentìque super consêdit Olympo.
Hìc residens, altas rerum molitur habenas
Terrarum cœlique Sator: micat æthere puro
Regia, librati surgens in vertice mundi,
Quadratóque immota situ, quam numine complet,
Maiestate ingens: hinc atque hinc flammeus Ales
Iussa facit, solérsque suo Natura ministrat

Digitized by Google

Authori, ſoloque Elementa cadentia nutu.
Ad quem tum ſupplex Lodoicus talia fatur;
Multa querens, caſuque animum perculſus acerbo.
Maxime regnator Diuûm, qui fulmina torques,
Sub pedibuſque premis terras, ſedéſque ſilentum:
Quid me cœlitibus, vanum largîtus honorem,
Annumeras? & ſydereis accedere templis
Nequicquam concedis, agunt ſi immitia fata,
Et mea mortales carpunt præcordia curæ?
Si terris viles ſumus, & res Gallica nullam
Sentit opem, tuáque heu! noſtros tutéla nepotes
Deſtituit? méne hæc, genitor, ſperare iubebas,
Cùm ſceptrum mortale, tui tot adire labores
Nominis egit amor? cùm me, tua gloria regno
Atque animâ potior, caput obiectare periclis
Et petere ignotas ſuaſit trans æquora terras?
Europâque Aſiâque tuos arcere rebelles
Infidum genus, & longinqua laceſſere bella?
Hîc quamquam infelix fortunæ cedere virtus
Iuſsit, & aduerſis tentaui plurima fatis,
Me tamen anguſtis victrix patientia rebus,
Et pietas, ingenſque tuæ fiducia dextræ
Firmabat, tunc cùm captiuo vincula collo
Barbarus iniècit, noſtrâ cùm ſtrage Canopus,
Et ſeptemgemini rubuêrunt flumina Nili?
Nec Peluſiacis me cedere mœnibus hoſtis
Contentus, nomen furiata mente iubebat
Eiurare tuum, atque aris adolêre nefandis,
Nî facerem, ferrum capto intentabat & ignes.
Sed nullæ fregêre minæ, nullóque timore

Digitized by Google

Nutauit labefacta Fides, quam propter, ab axe
Occiduo, ad rubras penetraram Doridis vndas,
Tot maria emensus, tot inhospita littora classi,
Horribilémque luem, & populantes agmina morbos
Passus, & hibernos cœli pelagique furores.
Pro qua, certus eram victrices denique lauros,
Inter inaccessas Libyæ squallentis arenas
Quærere, & insignem domita Carthagine mortem.
Quid tot bella iuuant exhausta? senisque cruentas
Arsacidæ fugisse manus? si vulnera tandem
Impia, si nostra ductos ab origine Reges,
Inuisos fatis heu! sors miseranda manebat,
Percussore peti, dirôque occumbere letho?
Hiccine nunc pietatis honos, hæc præmia nobis?
En etiam orba viro comux, tria pignora cœlo
Ostentat lacrymans, Mater factura vel ipsis
Inuidiam Superis: en nostri nominis hæres
Imperio venit, & patriis succedere curis
Pene infans gemit, ac tantas detrectat habenas:
Heu nimium insidiis ætas obnoxia! quis nunc,
Quis rectore suo vacuum moderabitur orbem,
Aut desolatas Luparæ tutabitur arces,
Omnem si nostri posuisti è pectore curam?
Talibus orantem Lodoicum, & sydera quæstu
Implentem, cœli rerumque æterna potestas
Excepit, Superûm dicturo exercitus omnis
Attremit, & tota nutat compagine mundus,
Tum sic venturis soluit non irrita fatis
Ora Deus. Non vllà mihi, Lodoice, recessit
Cura tui generis, vanis absiste querelis;

Digitized by Google

Nec me tantarum capiunt obliuia rerum
Quas Oriens, medium quas Sol euectus in Orbem
Vidit: adorata cùm te pius ardor Idumes
Impulit, & regna Ægypti temerata profanis
Ereptum dominis, Libycosque accedere portus.
Stat meritis æternus honos, tua didita cœlo
Gloria, & in seros regnum immortale nepotes
Mansurum: sed enim quòd lamentabile funus,
Et sparsas iterum cognato sanguine terras
Conquereris, non hæc iniuria nostra, nec istud
Non vetuisse, Dei est crimen, dat libera cuique
Fata Deus, propriisque fluunt mortalia causis.
Magnanimus princeps cæco seruire timori
Indocilis, dum nullâ alienum hausisse cruorem
Sæuitiâ memor, ipse suum non credit ab vllâ
Peste peti, & longè stipantia submouet arma,
Et quem scit meruisse hominum confidit amori,
Insidiis patuit: quo tempore Punica debet
Inuenta, & diras horrescere cautior artes.
Non aliis fuerat caput hoc superabile telis.
Vidi ergo percussum cadere, indoluique cadenti,
Et vix vltrices compressi ex æthere flammas:
Sed veniet tempus, cùm fraus & operta patebunt
Crimina, méque suo gaudebit vindice Gallus.
Intereà solare animum, tantique doloris
Desine: namque omnis fatorum hac morte resêdit
Consumptus furor, & melior fortuna sequetur.
Ille puer, cernis? varij quem conditor anni,
Exacto nondum nouies Sol orbe salutat,
Iura dabit terris, referens & sæcula genti
Digitized by Google

Aurea, pacata fœlix adolescet in aula.
Sed mater, refugit nati quæ mollior ætas,
Imperij curam delataque frena capesset,
Virtute atque animis præstans Regina, nec illa
Inferior, quæ te, Lodoice, impubere regno
Extulit, hæc patres generoso sanguine Thuscos,
Augustos à matre refert, aquilasque potentes
Cæsareæ monimenta domus, nec moribus vlla
Sanctior, aut nostris supplex aduoluitur aris
Sæpius, hæc lapsis succurret Fœmina rebus.
Tum motus populorum, insanáque bella vetabunt
Vnanimes regni proceres, fortisque Senatus.
Prima fidem, & non obsequium violabile, cunctas
Exemplo tractura suo Lutetia gentes,
Præstabit Regi: tum quas vtrimque recuruis
Ambit littoribus Gallorum Nereus vrbes,
Quásq. procul rapido descendens amne Garumna,
Et Rhodanus, Ligerísque vagis interluit vndis,
Conuenient teneros certatim agnoscere nutus
Principis, accipiéntque iugum ceruice volenti.
Ipse truces longè Mars indignatus adibit
Bistonas, & læta Gallos in pace perósus
Insanum fremet, atque minas iactabit inanes.
Verùm vbi se primo decorarit flore iuuenta,
Addideritque animos & adultis robur ab annis,
Otia tùm rumpet patriæ Lodoicus, & altis
Assurgens ausis, resides in bella mouebit
Franciadas, iam barbaricas mihi fulminat arces,
Iam premit Eoum signis victricibus Orbem,
Et quacunque olim magno pietatis amore

Digitized by Google

Ausus eras, toties nolentibus irrita fatis,
Implebit victor, peragétque ingentia cœpta.
Sic ait, atque Crucis quassans venerabile signum,
Per domitos Manes & caligantia regna,
Pérque triumphatæ pallentia limina Mortis
Annuit, & toto Ditem tremefecit Auerno.
Nec mora, cùm volucres cursu properare ministros,
Henricique animam venientem sistere cœlo
Imperat: illa alacris, sed vulnere tardior ibat,
Herôum rimata viam sedésque beatas.
Ilicet aërio lapsi per inane volatu
Occurrunt, fessamque leuant, chorus assonat omnis
Semideûm, & plausu mediam deducit ouanti,
Syderibusque locat, humiles vnde ardua terras,
Et pelagus, subterque meantia flumina cernit.
Hîc pater abstersit lacrymas Lodoicus, amicis
Lætatusque Dei fatis, & honore suorum.
Atque ea suprema mundi dum parte geruntur,
Concussas latè bacchatur Fama per vrbes,
Horrendumque nefas primò vix credita portat,
Vlteriora petens: & adhuc sub nocte silenti,
Pallida turbatis irrumpit nuntia castris,
Hinc quæ Mosatuos, hinc potant Matrona fluctus.
Nam qua fertilibus latè Campania glebis,
Inter vicinos tellus se porrigit amnes,
Constiterant acies: altaque in nocte micabat
Ære renidenti regio, Germania bellum
Dum parat, & sociis dubius Mars errat in armis.
Tum verò exarsit nostris dolor: impete cæco
Authorem sceleris per apertum cladibus orbem

Digitized by Google

Fert animus reperire, & ſontes voluere terras.
Quod ni ſumma ducum facundia, militis iras
Temperet alloquiis, rupto iàm fœdere mundi
Sæuirent odiis accenſa furentibus arma,
Et gemeret fuſos Eurôpa cruoribus amnes.
Vt cùm prolapſus de montibus, obice torrens
Naturæ ſteterit, aut operis, fremit vndique circum
Oppoſitas moles, atque indignata teneri
Vnda minax, rapido aſſultat violentior æſtu,
Aggere mox rupto in campos ruitura ſonantes.
Sic animis altus ſæuit furor, auribus & iam
Non vllos monitus ſolatiáve vlla morantur;
Ter ſubiit totis conuellere ſigna maniplis
Impetus, externiſque ignotum finibus hoſtem
Quærere, ter vetuere duces, iráque, repreſsis
Ardentes micuere oculi, & ſcelus vnde nefandum
Suſpectantve dolos, huc rauco murmure longas
Intonuêre minas, horrenduſque impulit Alpes
Armorum fragor, & Morinos Rhenúmq. bicornem.
Hic vetus, emeritis & non inglorius annis
Signifer, Henrici fortunam & bella ſecutus
Per varios caſus, tanto ſub Principe longam
Militiam & graue Martis opus, qui ſæpe feroci
Iactarat faſtu, cui foſſum pectus honeſtis
Vulneribus, toruóque ingens ſedet ore cicatrix:
Non tulit hoc animo vulnus, ſed protinus irâ
Atque dolore amens, ſociis ſpectantibus vltrò
Infœlix ſignum & damnatam proiicit haſtam,
Noctémque ſtellásque & euntia lumina Phœbes
Incuſans, ſurdo facit hæc conuicia cœlo.

Digitized by Google

O Dij crudeles, & diri conscia casus
Sydera, non faustos vibrantia desuper ignes,
Quid struitis? quidve his inimico lumine terras
Figitis, inuisam iurata exscindere gentem
Gallorum? at nullo meriti hoc errore, nec vlla
Crimina, sed vestram, quæ pascitur atra cruore,
Inuidiam luimus, nimio plus creuimus, & vos
Iampridem nostræ ceperunt tædia laudis.
Quin agite, humanis si finem ponere rebus,
Atque odium satiare placet, librate corusca
Fulmina, concusso miscete incendia mundo,
Amisso iam nulla timet dispendia Rege,
Et iactura leuis reliqui: iam parcere nobis
Crudele est, omnes vno quin sternitis ictu?
Dicite. Sed nostras nullo dignata querelas
Murmure prætereunt, cœlóque inuecta silenti
Luna fugit, tacitis properans se condere bigis.
Ast Henrice iaces immitis victima fati,
Prò scelus! & nil iam debes cœlestibus vllis,
Et Virtus ignaua videt? secura pudoris
Sustinet hoc Fortuna nefas? cur perfida quondam
Te prope cærulea pugnantem Tethyos arua
Hostibus explicuit mediis? cùm fulmine dextræ
Hinc maris Arctoi fluctus, horrentiáque illinc
Arma eluctantem stupuit Neptunus, & ipsos
Allabi pelago stagnantes sanguine campos?
Cur per Santonicas acies, & stragis acerues,
Per tot Iberorum cumulata cadauera latè
Victorem duxit Regem? laterique verendo
Formidata diu mortalibus induit arma?

Digitized by Google

Quæ Belga, & totis horreret Sequanus aruis?
Siccine vt infami te proderet impia monstro?
Incoctáque Erebo furiarum cuspide, tantus
Oppeteres, nulli ferro penetrabilis hosti?
O vtinam, qui tantorum pars esse laborum
Tunc memini, & pugnans ipso te vulnera teste
Accepi, medio cecidissem puluere victor,
Extremúmque decus præclarâ morte tulissem!
Nam quid ego infœlix te decedente supersum?
Cur patriæ clades oculis & dedecus istud
Haurio? sed præstat crudelem abrumpere vitam
His manibus; iam non Rex incomitatus abibis,
Te sequor. (hæc dicens sauum reclusérat ensem
In pectus) socij inuadunt, ferrúmque furenti
Eripiunt, atque his castigant vocibus vltrò:
Degener in mortem ruis, & perferre dolorem
Non potis immensum festinas funera? quin te
In sortem patriæ, & communia fata reseruas?
Huic animis opus est nostris, huic pectore forti.
Ille refert: Non quòd cœli hoc spirabile lumen
Inuitus linquam, aut vitæ dulcedine captus
Obsequor, ô socij, nec adhuc superesse recusa.
Sed Regis regnique salus, nunc viuere iusso
Clamat, & insanum reuocat mihi mortis amorem:
Iam quodcunque animæ superest & sanguinis, vni
Seruatur, Lodoice, tibi, tua sceptra tueri,
Et quem supremum genitori ferre laborem
Sperabam, nato certum est impendere, nulla
Otia iam quæro, aut patrios veteranus arare
Lentus agros, segnive armis procul esse senectâ,

Digitized by Google

Stans moriar. nos hæc socij iuremus in arma
Vltores diri sceleris, quocunque futuros
Tempore, nec fuscis passuros lilia Mauris
Alba premi, Francúmve dolis abolescere nomen.
Dicentem sequitur clamor, cunctique paratas
Ostendere manus, densúmque horrentibus hastis
It nemus: hîc fausto Lodoicum nomine castra
Ingeminant, pulsi referunt ad sydera colles.
Interea surgens humentia dispulit astra
Phœbus, & attonitis iterum mortalibus almam
Eoo tulit axe facem, quæ turbida quamuis
Hesternum execrata nefas, dum terra tenebris
Damnari timet æternis, gratissima fulsit.
Exoritur nobis Lupara Lodoicus ab alta,
Ceu quondam irato deprensis æquore nautis
Sydus Amyclæum suprà caput astitit: olli
Natiuum formæ Maiestas prima decôrem
Auxerat, & viuos oculis afflarat honores,
Exstantémque repentè humeris, totóque videri
Corpore maiorem, & radiantia fecerat ora:
Atque hanc, aduersæ residens in margine ripæ,
Augustam, aurato solio expectabat, ad ædem
Diua Themis. circùm proceres comitantur euntem,
Sublimémque in equo, pedites, sine more, profundum
Testati obsequium, demissáque pectora Regi.
Continuò sonuêre tubæ, super aurea clamor
Astra, salutantum, & studiis votísque sequentum
Vndique sublatus, latéque remugiit æther.
Est domus, è medio quæ pendula gurgite surgens,
Defixis altum arboribus libratur in amnem;

Digitized by Google

Subter agens torquet ſcandentes machina fluctus,
Tergeminiſque illiſa rotis immurmurat vnda.
Nympharum dulcis ſedes, vbi nocte diêque
Naïadum vitreâ ludunt examina pompâ,
Effundúntque lacus, centúmque canalibus vndam
Deſuper inſpergunt ponti, qui iungitur illis
Proximus, atque ambas coniungit marmore ripas.
Hac vbi Rex alacer greſſum tulit, vna dearum
Affata eſt, leni fundens hæc verba ſuſurro:
Progredere ô Diuûm genus, & ſpes vnica rerum,
Sol oriens terris, cui tempeſtatibus actam
Concedunt patriam tranquillo ſiſtere portu
Numina, & obſtantes depellere lumine nimbos:
Sis fœlix, & per populos des iura volentes
Longæuus, iuſtiſque regas ſub legibus Orbem.
Hæc Nympha, & placido lapſu ſe reddidit vndis.
Iámque ferè medij ventum ad diuortia pontis,
Extrema anguſtas vbi traiicit Inſula metas,
Hactenus & bifidum tellure interſecat amnem:
Cùm pater vndarum, Geniúſque apparuit ingens
Fluminis, ora ſuis attollens ſcrupeus antris
Sequana; limoſa ſalices huic tempora circum
Surgebant, & glauca caput velabat arundo,
Multus arenoſo ſub pectore ſtridulus ibat
Calculus, & grandes rorabant imbre lacerti:
Ipſe cauis hauſtum terrarum hinc inde latebris
Humorem, & plena fluuium fundebat ab vrna.
Vtque propinquantem Lodoicum ſenſit, & omnem
Intremuiſſe vadis ſancto ſub pondere molem:
Leniter aduertit vultus, magnúmque futuris

Digitized by Google

Os aperit, venerans. O formosissime Regum,
Rex, ait, immensi quem spondent fata potentem
Æquoris, & generum Tethys emet omnibus vndis,
Tethys nota mihi: Sanctis ô edita salue
Progenies atauis, cuius se tollit in astra
Nobilitas, altóque ciet gentilia cœlo
Numina, possessos natis seruantia Gallos.
Hæc quæ prædixit Rhenus, dum gurgite fertur
Obuius, & pelago communes iungimus vndas
Accipe, ne bello cœptísque instare paternis
Rex dubites, Francis Germania postulat armis
Defendi, atque tuum libertas nomen adorat,
Da sociis arma atque duces, promissáque mitte
Auxilia, hæc facili virtus sua limite ducet,
Omnia prona viris, nec eos obiecta tenebunt
Fluminávе aut montes aut inuia lustra ferarum,
Vincet iter, prædulce decus laudúmque cupido,
Obuia iam pandunt tremefactas oppida portas,
Cliuiáque, & dubiis nutat tibi Iulia muris.
Hæc vrbs, indigenæ si vera oracula vatis,
Mœnia celsa tuis submittet viribus impar,
Terrifico deiecta fragore, tuámque sequetur
Capta fidem, & dominos dignabitur ardua Gallos.
Talia voluebat melioris Sequana fati
Conscius, & refluis Lodoico plura parabat
Vocibus, ille cito transuectus flumina cursu
Augustæ Themidis successit sedibus ingens.
Hîc omnis radiauit honos, hîc vtraque fulsit
Purpura, Romanos quæ mundi lumina patres
Consilium æternæ Sedis, proceresque Quirini;

Digitized by Google

Quæque sacerdotes Themidis decora alta Senatus
Velat, & ardentes humeris inuoluit amictus.
Pauca serenato demum Rex inchoat ore,
Spémque animis addit dubiis, pellítque timorem.
Tùm dea facundo surgens interprete fatur,
Eloquióque tonat: tenuêre silentia passim
Attoniti proceres, teneris Rex auribus hausit
Mellea decliui stillantia flumine verba,
Et sanctos monitus præceptáque condidit alto
Pectore, nec nobis fas hæc æquare canendo,
Nec leuibus numeris tam docta reteximus orsa.
Illa Patris patriæ casum miserata ciebat
Principibus lacrymas, vicináque flebile templa
Reddebant murmur, simulacráque mœsta per aras.
Altiùs hinc repetens, vt cœlo lapsa, docebat,
Maiestas omnem sub leges miserit Orbem,
Atque homines certis parêre coëgerit olim
Imperiis, sanctos vt fecerit vnica Reges
Iustitia, & summo superis æquarit honore:
Iustitiæque super Pietatem Gallica sceptra
Addiderint, pulcros virtutum nacta duarum
Concentus, longisque adeo florentia seclis.
Tuna quoque magnorum Regi memorabat auorum
Exempla, & geminos ab eodem nomine Reges
Promeritos claras cœlóque solóque coronas.
Hunc pietas niueis vexit super æthera pennis
Adscripsitque polo Diuûm, atque audire precantes,
Et damnare dedit votis, cui thura vaporant
Vndique, & accensi lucent altaribus ignes.
Ast illi, quem tu numerato nomine Princeps

Digitized by Google

Proximus insequeris; moderatæ gloria vitæ
Inque suos bonitas, æternâ viuere famâ
Præbuit, & lenem populis audire parentem.
Hæc & plura Themis Regi, dein vota precésque
Effudit cœlo, factóque hîc fine quieuit.
At procerum iurata cohors iter omne remensa est
Ad Luparam, & patriæ Lodoicum reddidit aulæ.
Quattuor hîc totos meditantem ex ordine menses
Vidimus, & doctâ tingentem pectora lymphâ
Sub Phœnice suo, qui quæ sapientia Graiûm
Quæ Romanorum fuerit, quæ principis artes
Edocet: vt decorent imitantem numina Regem
Compositi mores, vt turpe cupidine vinci,
Transuersúmque rapi violentæ fluctibus iræ,
Nec subitis lentos affectibus addere frænos.
Præterea reserat Naturæ arcana latentis,
Quæque vel immenso tellus animalia tractu
Educat, æquoreóve natant in gurgite monstra,
Quicquid serpit humi, aut leuibus secat aëra pennis,
Et quos cuique dedit generi Pater optimus vsus,
Ingeniúmque feris mirabile, pluribus atrum
Virus inest, aliæ dociles mansuescere cultu.
Interdum herbarum curantes vulnera succos
Narrat, vt inuentum Cretæa mater in Ida,
Quem tulit Æneæ florem, dum saucius armis
Abstinet, & sæuâ confixus crura sagittâ
Nequicquam medicas implorat Apollinis artes.
Quámque, coloratos penetrat dum victor ad Indos
Vidit Alexander radicem nocte soporâ,
Icta venenatis sanantem corpora telis.

Digitized by Google

Pascitur his animum Lodoicus, & altiùs ora
Inde ferens, vasti fulgentia mœnia mundi
Miratur, superísque audit quæ fœdera regnis,
Qui motus: celeres vt primus concitet orbes
Orbis in occasus, & stantia sydera secum
Torqueat, errantésque globo septemplice flammas.
Rursus ab occasu reliqui nitantur in ortus
Motu quisque suo, primi motúmque retardent
Orbis in aduersum, ne fors violentiùs acto
Cuncta rotet mundo, frigúsve inamabile perdat
Squallentes refugâ Solis vertigine terras.
Sic Pater omnipotens, vicibus qui temperat æquis
Omnia, consuluit rebus, certísque mouendos
Mentibus addixit radiati fornicis orbes.
Hæc Regis teneros animos si fortè fatigant
Itur in annales, & longis edita fastis
Tempora, tot veterum pugnas regúmq. ducúmque;
Nec nisi in exemplis se Rex ingentibus ingens
Inspicit, arma cupit, facilésque ad bella lacertos
Ventilat, & patriâ iam se metitur in hastâ.
At Regina olli mater blanda oscula libans,
Macte animis Heros, inquit, sed prælia differ,
Te tua sacra vocant, prisci tibi cuncta parantur
Vrbe Remi, te cœlesti perfundet oliuo
Regalémque suâ signabit imagine frontem
Æthereus genitor, cunctos qui numine reges
Protegit, atque tuis adiungit robora sceptris.
Fac modò lustratus venias, & pectora serues
Pura Deo, maxæque omnes tibi rite pientur.
Paret Rex dictis charæ Genitricis, & vrbe

Digitized by Google

Digressus, magnâ procerum stipante caterua,
Arua triumphanti curru subiecta peragrat,
Pérque suos latè populos, festásque per vrbes
Inuehitur: quà fert gressus, tepefacta repentè
Vernat humus, lætique notant vestigia flores,
Plenáque odorato spumat vindemia Baccho.
Ipsa etiam, quamuis pronum Campania nescit
Autumnum, atque nouis Regi se iactat aristis.
Celsa Remi tandem peruentum ad mœnia, quò se
Reiligione patrum reges, & more vetusto
Ferre solent, illicque noui primordia regni
Ducere, cœlesti augurio, sacrisque liratis.
Templum antiquum, ingens, incisas arte figuras
Dædala, & exsculpto simulacra nitentia saxo
Diuorum atque hominum foribus suspendit in altis,
Hospitibúsque adeò primum spectacula pandit
Vestibulum, & toto mirantes detinet arcu.
Iámque dies aderat, quâ sacrum mittere rorem
Decretum Superis oleique ex æthere fusi
Vngere diuinis Lodoici tempora guttis.
Deduxêre illum proceres, longóque decora
Ordine nobilitas, quicquid mirabile Phœbus
Vsque repercussis veniens despectat ab vndis,
Insignes quoscunque sinu fert Gallica tellus
Aut proauis aut Marte viros, solennia tanta
Adglomerant, vnáque tegunt testudine templi.
Fœlix illa dies, pariter mortalibus vna
Et Superis hæc cura fuit, tibi, Gallia, Regem
Ornare, atque tuis oculos aduertere rebus.
Iam roseo Rex ore nitens, accesserat aram

Digitized by Google

Virginis, intactus pluuiæ flos qualis & Austro.
Graminèis tùm manè recens aperitur in hortis,
Quem neque delapsa turbarint arbore frondes,
Non vaga lasciuo decusserit vngue puella,
Non apis expansis volitans insederit alis.
Integra virgineo stabat Reuerentia vultu,
Quæque verecundi proles incedit Honoris
Maiestas, hunc non cessantem in vota precésque
Et genitrix Virgo, pater & Lodoicus ab astris
Desuper adspectant. meritis adit illa Tonantem,
Hic precibus: Virgo sed talibus occupat. ô qui
Æternis regis imperiis mortalia, cerne
Gallorum nostrus quantus conuentus ad aras,
Quæ pietas genti, quanta Rex indole surgit
Innocuus, casto suffusus vt ora rubore
Induitur sacrâ puerilia tempora vittâ,
Eque meâ supplex patrium capit æde tiaram,
Huic tu, si quis amor, cœlestia munera funde,
Si quis adhuc nostris precibus locus, annue fœlix
Imperium, & longos mansuro stamine fusos
Ire iube Parcis: extremum hoc muneris esto
Dilectæ (quando hoc dignaris nomine) matri.
Omnipotens contrâ. nam quid tibi, chara, negarim
Mater, ait? sed quod tantis ambagibus oras,
Sponte dedi: Gallis fœlicia currere fata
Edixi, & placidum sceptris assurgere Regem.
Huic quoque cœlestes, ad sacra altaria, nimbos
Desuper infundam, atque vni, pluet imbre sereno.
Dixerat hæc. lato discedit limite cœlum
Protinus, & larga rorant aspergine nubes

Digitized by Google

In caput inque humeros Regis, completur odore
Omnis eum circum locus, atque halantia fragrant
Templa procul: lætus mediis auditur in astris
Concentus superûm: & flammati regia cœli
Defensis agitat communia gaudia terris.
Tum quoque sydereis è sedibus aduolat Ales
Mortales fallens oculos, Regique coronam
Imponit, rursus mox sese librat aperto
Æthere, & ingenti percurrit inania flammâ.

ILLVSTRISSIMO CARDINALI

Εὐχριστικόν.

O CVI Romulei septeno vertice colles
Assurgunt, nec habent sæcula nostra parem,
Hæc aui mihi prima dies, quæ tangere limen,
Et tua mirari cominus ora dedit:
Pagina cum docti trepidans penetrale subibat
Principis, vt Clario vota tabella Deo,
Non ego sperabam tantæ præconia vocis
Improbus, aut sacræ munera tanta manus.
Ne, Petrarcha, tibi veteres iactentur honores,
Et Capitolino lecta corona iugo,
Plus tulimus: nostros diuino Dauius ore
Perlêgit versus, quid magis esse potest?
Principe quódque simul mirêre & Apolline dignum,
Laurea decernens, aurea serta dedit.

RE-

Digitized by Google

REVERENDISS. D.D.
G. DE L'AVBESPINE,
AVRELIORVM EPISCOPO,
S.

BELLVM Iuliacense, quod ab interitu magni Regis, inter pauca, memorabile gestum est (Præsul reuerēdissime) nunquam opinor scriptoribus rerum silebitur. Verùm quia diffusa eius narratio est operosior, quàm vt breui ex idoneorum hominum lucubrationibus sperari possit, libuit inter moras, pulcherrimi facti æternitati velut præludere; neque aut suam Galliæ laudem, aut præsentibus ac futuris exemplum heroicæ virtutis quod imitentur tantisper inuidere. Quare paucos hos versus, vt alienæ industriæ incitamentum, & maioris operis prolusionem effudimus, tibique inscripsimus, rari eos, si non stili concinnitate, attamen rei nouitate forsan placituros. Nam quoties à grauioribus scientiis animum remittis, in quibus & olim ob singulare iudicium atque acumen, doctissimæ Theologorum arenæ plausum meruisti, & porrò per assiduas differtationes ac difficilli-

Digitized by Google

marum quæstionum enodationes in omnium admirationem venisti: nihil tibi iucundius est, quàm in politiores litteras, atque in omnem historiæ & antiquitatis partem excurrere. Vnde, cùm grauioris laboris leuamentum captas, & grata varietate pasceris, tum profecto id iampridem consecutus es, vt nemo maiorem omnis elegantiæ & Latinarum deliciarum sensum habere iudicetur. Accedit quòd auunculus tuus fortissimus iuxtà ac prudentissimus imperator, huic expeditioni dux præfuit, & velut alter Fabius, cùm omnia domi perdita putarentur, per æqua pariter & iniqua loca incolumem exercitum traducens, speciem maiestatis Gallicæ exteris gentibus ostentauit, vt iam hoc quasi domesticæ laudis præconium nomini tuo deberi nemo inficiaturus sit. Cætera quæ in me priuatim contulisti beneficia non refero, ne modum Epistolæ excedam, quæ profectò eo maiora sunt, quod humanitati & naturæ tuæ duntaxat adscribi possunt: cùm non aliam etiam nunc habeas causam mei amandi, quàm quòd gratuito amare cœperis; nec tua erga me beneuolentia contentus, in qua honoris abundè est, insuper me, pudore restitantem, prope iniecta manu, ad illustrissimi Cardinalis Perronij notitiam & gratiam pertraxeris. Pro quibus cùm nullo modo tibi satisfieri possit, saltem tantum nomen, quod dissolue-

Digitized by Google

re & expedire nequeam, libenter fateri & agnoscere grati animi esse, tecum reputabis. Vale, Lutetiæ VII. Calend. Febr. M. DC. XI.

EXPEDITIO IVLIACENSIS.

I MODO, degeneres aude gens inuida Gallos
Dicere, vel tanti Regis post funera nostris
Insultare malis: amisso Rege supersunt
Mille duces: diro penitus non corruit ictu
Gallia, procedit versis exercitus armis
Horridus, externósque quatit terroribus agros.
Scilicet inferias vt det Regalibus vmbris,
Hostilique furens latè metat omnia ferro.
Infestæ gentes & conscia regna verentur.
Hunc agit ira minor, tantùm promissa Sicambris
Auxilia incedunt, alium differtur in hostem,
Et nondum sacri petitur vindicta cruoris.
Quas rerum fortuna vices non improba versas?
Nuper enim Franca sonitum perculsa ruina
Audierat currens vtroque ab littore tellus:
Gallia vicinis tum conclamata iacebat
Infœlix populis, nec lapsa resurgere regna
Posse videbantur tali viduata Parente.
Iámque petebatur nostro de funere præda
Hostibus intentis, si quâ discordia ciues

Præcipites ageret, veterésque accenderet iras.
Ecce nouâ virtute, animis concordibus omnes
Iura domi pacémque colunt, patriaque labanti
Et deploratis iurant succurrere rebus;
Mox quoque bella foris, ne quid vis hostica tentet,
Fortiáque ostentant inimicis gentibus arma.
Si qua fides veri, dum campis agmen apertis
Emicat, æratæque attollunt signa phalanges,
Cornipedúmque gradu tellus pulsatur equorum:
Dum Castræus agit turmas, conóque micanti
Cassis, & insuetos vmbo vomit aureus ignes:
Attonitus specie ingenti, tantóque paratu,
Qui Rhenũ Mosámq. bibit, quem funere mersum
Crediderat, visus præsentem est cernere Regem:
Ipse etiam toto turbatus limite Belga
Heu nimiùm veræ timuit mendacia famæ!
Vt tandem propiùs fremuerunt castra, fidémque
Vix pullis fecêre sagis, vbi sericus albo
Imber de lacrymis manantibus intertextus
Pendebat filo, & guttæ sine fine cadentes:
Tum nihil indubitans nostris vetus accola Rheni
Cladibus, indignos soluit miserantia casus
Talibus ora modis: O gens Mauortia Franci,
Nesciáque aduersis demitti pectora rebus,
Ergo vera patet, quæ dudum fama ferebat,
Ereptum vobis falsa inter gaudia Regem;
Iam video, & sæui sunt hæc monumenta doloris.
Quæ tantùm, quæ vos exercet numinis ira
Immeritos, sortique adeo subiecit acerbæ?
Attamen huc quamquam fatis crudelibus acti

Digitized by Google

Pactorum memores, patriis venistis ab oris,
Emensi vastas loca per squallentia terras;
Vsqueadeo non gens virtuti imperuia vestræ,
Non regio in terris, inuictáque sumitis arma.
Quantos inuidit vobis fortuna triumphos!
Nunc vbi qui Morinis dux mercenarius olim
Venditat imbelles operas? nupérque feroci
Voce lacessebat Regem? pacemque negabat
Venturo, & tremulam quatiebat turbidus hastam?
Cur non Castræo venienti occurrit in armis
Cominus? angustósue insêdit milite calles
Præclusitue aditus? virtusne huic tota recessit
Ventosam in linguam, timidúsque ad classica pallet?
Vane Ligur, frustráque animis elate superbis,
Non te magnanimo talem concurrere Regi
Dij voluere, tuámq. animam hac effundere dextra:
Ille velut spinas atque herbas falce nocentes
Demeteret, spatióque iret iam victor inani.
Hæc dum Germanus vario sermone volutat,
Arma sub aduersis radiarunt Gallica muris
Iuliaci, primúsque equitans successit ad ipsas
Castræus portas: pauor ima per ossa cucurrit
Inclusis, coiitque nouâ formidine sanguis:
Ceu pauidas matres & terruit Hectoris vrbem
Turribus ex altis quondam conspectus Achilles.
Ille vetus ductor, Reginæ iussa capessens
Auspiciis, Lodoice, tuis transmittere lata
Flumina, terribilésque alta caligine lucos
Ausus, inaccessum legionibus vsque, superbas
Per gentes patefecit iter: dum Gallia rebus

Digitized by Google

Incertis nutat, coniúxque & chara reclamant
Pignora, dum fessum maturúmque obsidet aui
Canities, anníque graues iam tempora pulsant.
Tantus amor patriæ, & vitam postponere laudi!
Quinetiam dubius ausus spes omine tali
Firmare euentúsque suis promittere cœptis.
Vrbs est Campanis in finibus, vbere glebæ
Diues, & externo validis obiecta furori
Mœribus: hanc placidis pater interlabitur vndis
Matrona, & ingentes fœcundat flumine campos.
Illic armorum variis accommoda bellis
Sarcina, & horrificum tormenta imitantia fulmen,
Sulphureíque cadi, nitróque latentia flamma
Pabula, & immensis glans ferrea surgit aceruis,
Vulcani sudantis opus: tum machina supra
Vectibus ascendit magno molimine currus:
Per mediúsque axes atque inter curua rotarum
Libratur, quæ puluereis displosa repentè
Ignibus, hostiles disiecit fulmine muros
Sæpius, ingentíque vrbes patefecit hiatu.
Ergo ibi iussa dies aliquot dum signa morantur,
Castraúsque acies & iturus explicat alas,
Ordinibúsque suis tribuit: miranda relatu
Impleuit res corda nouis mortalia curis.
Incertum silicis venis, ictóue metallo
Scintillam manus imprudens excusserit inter
Tundentes operas, an rapta ex fomite flamma
Attulerint celeres inopina incendia venti:
Ecce furens inter congesti sulphuris vtres
Emicat, & totos depascitur ignis aceruos

Digitized by Google

Cum tonitru, concussa solo quo mugiit omnis
Extemplo circùm tellus, altæque per vrbem
Nutauêre domus, & cœlo flamma reluxit.
At ciues, piceâ tectis fumante fauillâ,
Attoniti veluti portas irruperit hostis
Improuisus, & igne domos populetur & arces,
Armati coîere globo, fuligine donec
Discussa Titan vrbémque diémque retexit
Purior, & trepidas soluit formidine mentes.
Tum strages, fœdæque oculis patuere ruinæ:
Quattuor exanimes fabri semiusta iacebant
Corpora, terribili deiectáque turbine saxa,
Conuulsæque domus & rapti cardine postes,
Vstáque Phlegræos renouauerat area campos.
Vt deflagratos ciuis milésque vicissim
Lustrauêre locos, alij hoc adscribere sæuis
Casibus; ast alij peregrinum crimen & hostis
Suspectare dolos: multi quid fata minentur
Quidue ostenta Deûm, suspensâ mente requirunt:
Militibúsque prior fiducia pectore cessit,
Pars velut iratam fortunam & læua timere
Numina, longinquæ pars detrectare laborem
Militiæ, & propriis affingere sydera votis.
Hos inter motus, fatis interritus heros
Acrius instabat Castræus, & optimus illi
Augur, amor patriæ, virtúsque ignara timoris
Suadebat meliora, Deos sperare fauentes.
Omniáque in nostros hostes conuertere dira.
Tunc aliquis, cui non prognatus vomere Thusco
Scire futura Tages dederat, sed mente sagaci

Digitized by Google

Iungere transactis currentia secula seclis
Mos erat, atque aliis alios expendere casus
Casibus, exemplis exempla nouissima priscis;
Prodiit interpres fati; neu vana timerent
Admonuit ciues, formidantésque maniplos
Agminaque erexit: Non hæc præsaga malorum
Signa solent Superi miseris ostendere terris:
Nec iam semiferos partus matrique timenda
Pignora, nocturnáve vlulatas voce luporum
Vrbes, ardentêmve immani crine Cometem
Cernimus, aut puro labentia fulgura cœlo,
Aëre nec duri lapides, nec sanguinis imber
Depulit in terras: insignes talia clades
Gentibus, & tristes portendunt Numinis iras.
At nos cur leuius damnum, atque incendia terrent
Sulphuris, & subitæ vis hæc euanida flammæ?
Non Phœbi tripodes mihi, nec Cumæa Sibyllæ
Antra patent, nec fatidico feror incitus œstro:
Prisca recordanti sed si miracula rerum
Non animum vati spes credula ludit inanem,
Attollet, Lodoice, tuus se fulgor Olympo,
Atque repentini tibi iam fœlicibus ignes
Auspiciis lucent, intacto vt vertice flamma
Ardebat, teneróque comas lambebat Iülo,
Quem res Romanæ maioráque fata manebant:
Vtq. etiam infaustam cùm cerneret vltimus armis,
Parthenopem Lodoicus, Iberis flamma repente
Sulphureos hausit pugnæ sub tempora corbes,
Et simul incensis fulsit victoria castris.
Talibus arrectæ mentes, & corda futuri

Digitized by Google

Anxia, conceptum vanis posuêre timorem
Auguriis: virtute ducis iam fidere miles,
Et Martem spirare animis: iuuat ire per altos
Culmine præcipiti montes, per lustra ferarum
Inuia, limosóque pigras humore paludes:
Non saltus, non insidiæ, non vndique terrent
Rupibus impositæ circumpendentibus arces,
Tantáque terrarum spatia, atque fragosa viarum
Fluminâque vmbrosas intercurrentia valles.
Agmine deseritur celeri Campania, Mosæ
Claustra patent, totísque adapertæ pontibus vrbes,
Et geminas seruant quæ propugnacula ripas.
Austrasiam post terga vident: iámque assere multo
Subterlabentem tacito rumore Mosellam
Insternunt, & iter ratibus per mutua nexis,
Tormentis pandunt & curribus: vndique pulsæ
Respondent ripæ, & colles clamore resultant.
Mox centum mediis habitata mapalia sylvis,
Et totidem celsis hinc atque hinc mœnibus vrbes
Procubuêre duci, prompto cui iussa capessunt
Obsequio, siue arma viris, seu pabula castris
Imperet, & trepidas subigit pauor vndique gentes.
Iámque adeo Francis superabat sola trophæis
Iulia, non domino nisi concessura potenti:
Hinc Batani fortes, illinc Germana premebant
Robora: sed fatis alter promissus Achilles
Expectandus erat, Franco qui mœnia marte
Verteret, & captæ dominos imponeret vrbi.
Illius aduentu, centenis dissilit æther
Fulminibus, canáque horrificis flammantia bombis

Digitized by Google

Æra tonant, simul ingenti labefacta fragere
Mœnia, & euersæ fumant â culmine turres:
Iuliáque immensis hiscit patefacta ruinis.
Ergo extrema intus pallentibus, ocjûs vrbe
Cedere, supplicibúsque fidem stat poscere dextris
Gallorum: tanti fuerint solatia victis
Victores, magnóque decus succumbere Regi.
Fortunate senex, sero cui contigit æuo
Tantus honor, veteresque nouis attexere lauros,
Nulla tuis vnquam serpent obliuia factis:
Carmina te vatum, te postera laudibus ætas
Efferet, aut Fabiis aut æquatura Camillis.
Viue diu fœlix, sic non inuiderit olim
Hectora vel Teucris, vel Nestora Gallus Achiuis.

HORATIVS.

Ordinis hæc series erit & venus, aut ego fallor,
Si iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.

Digitized by Google

GAZOPHYLAX EXAVTHORATVS.

O DOMVS, ô mihi bissenis arx amplius annis
Custodi regnata, ô inuidiosa Monetæ
Templa valete Deæ, pertæsum mittite rerum,
Et me priuatæ securum reddite vitæ.
Ille ego sum qui Regis opes, regnique capaci
Pectore complexus tenui, cui publica censu
Aucta nouo, certum debet fortuna tenorem
Hactenus, & iustis constans rationibus Arca
Infantis Domini. curæ sollertis honores
Præmiáque ampla tuli: sub rege potentia magno
Magna mihi creuit, simul hæc labefacta cruento
Illius occasu cecidit, meáque omnis eodem
Inuidia exstincta est fato, qua sæpe minati
Exitium mihi non pauci, dum publica sector
Commoda, & vnius domini moror vnus amorem,
Securus procerum, & popularis nescius auræ.
Propositique tenax: tandem mala cura facesse:
Iam mihi stat nauem tuto subducere portu.
Publica res quid profuerim mage forte carendo
Agnoscet, populique scient, tum gratia sera
Atque odio succedet amor: sed gloria tanti
Non mihi sit, fatis patriæ quæsita malignis.
Dij facite vt regni constet fortuna, labare
Non illam videam, non me desideret illa.

Digitized by Google

PHOENIX EXAVTHORATVS.

DELECTVS tenero nuper formator Achilli
Sospite adhuc (longum quem flebit Gallia) rege,
Ascendi lacrymans, ferulaque obnoxia vidi
Sceptra repente meâ: sed tempestatibus actus
Inuidiæ, sensi latrantia protinus ora
Gliscentesque dolos, & operti vulnera teli.
Namque tribus lustris, spectatum in prole minori,
Maiori quem Rex dederat, regina probarat,
Compositò fecere reum, quia liber aperto
Tramite decurrens, antiquis moribus vtor,
Ex animóque colo superos, & displicet omnis
In vultu, in quæstu pietas quæ retia tendit.
Ergo fidentem sola virtute, nec vllo
Fœdere nitentem, dudum deffendit alumni
Regis amor, quæque auersam rumoribus aurem
Occlusit regina parens, maiórque Senatus
Augustos veriti manes, vetuere moueri
Quem pater admorat nato: sed denique victrix
Inuidia illæsum malesidâ sustulit aulâ
Sic mihi libertas (tanti est iniuria) venit.

Digitized by Google

VIRO ILLVSTRI IOANNI DVRETO DOCTORI MEDICO.

S.

MEDICINA vt & poëtica inuentum est Apollinis (clarissime Durete) vnde, puto, nemini absurdum aut alienum videbitur hoc meum munus, carmen oblatum medico: tibíque potissimùm qui præter eximiam artis peritiam, quâ tanquam sospitator in vrbe Genius suspiceris, nullam præterea eloquentiæ, nullam politioris litteraturæ partem non perfectissimè tenes, vt seu prodesse medendo, seu delectare dicendo, & vtile dulci miscere lubeat, vtrumque cumulatissimè præstare possis. Poëmation verò istud quo inuictissimum principem sum veneratus, alioqui rude & incultum, nec publicâ luce dignum, speraui si tibi displiceret stylo, placiturum saltem argumento. Quod ego mei erga te affectus atque obseruantiæ testimonium extare velim, dum me in ære tuo esse, & cum ope medicâ, tum singulari humanitate tua obstrictum sentio. Si hoc soluendo parum erit, næ vt ille quondam se totum philosopho, ita meipsum,

Digitized by Google

cùm nihil plus possim, tibi dabo, curabis vt me mihi reddas meliorem. Vale, Lutetiæ Idibus Octobris.

FIDES REGIA.

Siluæ extemporalis fragmentum.

Regia si Gallos tangunt exempla, nec orbem
Principis ad sanctos sese componere mores
Improbitas malesuada vetat, quid sanctius vlli
Numine vel fidei, iuratæ aut nomine pacis?
Est domus, affini quam Sequana margine lambit
Postibus auratis & longo marmore surgens,
Centum sublimes nituntur in astra columnæ
Impositáque super feriunt testudine nubes:
Miratur molem vastísque patentia tecta
Porticibus, nostros quisquis nouus aduena fines
Ingreditúrque tuos populosa Lutetia muros:
Non operi tanto Tarpeias Iuppiter arces
Pyramidúmve labor sese Memphiticus æquet,
Regales nostri Luparam dixere penates.
Illic cana fides, albi velamine panni
Interiora domus seruat, cultúque verendo
Cernitur Henrici victricibus indita sceptris
Fortunæ consors & temperat omnia nutu.
Hic & victores pariter victósque videres
Plurima regali libantes oscula dextræ,

Digitized by Google

Poſcentéſque fidem, qua tutâ pace quieſcunt
Europæ gentes, atque incipit orbis Eous
In leges iurare tuas ô Francia: cernis
Vt quondam noſtrum ſitiens rex Turca cruorem
Et malè barbaricos ſolitus ſæuire furores,
Iam non indocilis flecti? iam temperet iras
Accipiátque nouos Henrico auctore colonos?
Scilicet arcano conſpirant ſidera motu
Eois nomen Chriſti venerabile terris
Reddere Bizantis quæ nuper inhoſpita tellus
Vna piis fuerat, duras & clauſerat aures,
Præcones fidei, vicinæ littore Peræ
Suſcipit Henrici auſpiciis: non accipis omen?
Credo equidem (nec vana fides) ſic voluere fata
Vt pulſo Mahomete potens atque orbe recepto
Rurſus Idumæis coniungas lilia palmis.
Quid cum Romuleum nuper Bellona parentem
Adriaci cum gente ſinus commiteret armis,
Alecto crines implexa nocentibus hydris
Vndique venturas in mutua funera turmas
Excierat, trepidóque fremebant cuncta tumultu.
Non tulit Henricus procedere longius iras
Aut Capitolinum Euganeis incumbere fulmen,
Paſtorémve gregi concurrere, fœdere rupto
Auſonidûm, proh! grata lupis ſpectacula, quæque
Thrax ſæuus velit, & magno mercentur Achiui.
Protinùs aërias curſu tranſmiſſa per Alpes
Pax ſubit, & geminis allabitur inclyta caſtris,
Extemplò cecidere minæ, furor irritus hæſit
Et mentes patriæ ſubiit pietatis imago.

Digitized by Google

Quóque magis firmo ſtaret concordia nexu,
Ecce ſequeſtra fides è Franca deuolat aula,
Fœderáque æterno manſura incîdit in ære.
Nec mora, cum celeri rurſus digreſſa volatu
Hinc alias aliáſque hominum defertur ad vrbes,
Liliáque & ſacræ frondem prætendit oliuæ:
Quacunque ingreditur lites & bella faceſſunt.
Et veteres ceſſant hac decîdente querelæ:
Excipitur plauſu populorum, & nuncia tanti
Regis, adoratos Diuæ non neſcit honores.
Iamque quaterdenos bello vexata per annos
Squallebat regio, gelidam quæ tendit ad Arcton
Oceano & rapidi circumfluà gurgite Rheni:
Fœta viris armiſque potens atque vbere glebæ,
Quæ maris imperium multo ſibi remige pridem
Appetit, & dites perluſtrat claſſibus Indos,
Auſa coloratis opponere nomen Iberis
Atque iter ad gemmas, ad foſſum è montibus aurum
Quærere, detectáſque aliis inuadere terras:
Clara foris, inuicta domi, parere ſeueris
Moribus externóque iugo indignata teneri
Arma diu ſolâ pro libertate ferebat,
Non illam totis regnorum viribus audax
Aut coniurato labefecit Iberia Marte
Non acies Italæ, Germanáve robora, & vnis
Europa in caſtris. tandem pertæſa duelli
Nec victrix nec victa, modum ſcit ponere rebus
Atque fatiſcentes ad fœdera pacis Iberos
Admittit, tribus & denis ceſſetur vt annis,
Stragibus, & feſſæ renouentur tempore vires.

Digitized by Google

Illic alma fides de nostris affuit oris
Pronuba iungentum dextras, qua teste verentur
Et populi & reges sacrata resoluere iura,
Sanctáque periuris confundere fœdera noxis,
Quippe manu qui sceptra gerit nunc Gallica, toti
Arbiter Europæ, lites componere regum,
Regibus & populos scit conciliare volentes,
Atque rebellantes socios quos protegit altâ
Maiestate, sibi parentes reddere dictis.
Testis erit, quam Mosa suo perlabitur amne
Vrbs munita manu, vastæque crepidine rupis
Arx imposta, minans subiectæ desuper vrbi.
Magnanimus princeps illâ se iactat in alta
Cui Virtus & Hymen sortem auxit, cætera Gallis:
Dum tamen Henrici cœlestes prouocat iras
Lentus ad obsequium; pacis penè otia terris
Abstulit, & clausi reseruit limina Iani:
Sed mox nascenti finem clementia bello
Imposuit, dextraque fides regalis, adactus
Ille iugo, modicis & legibus, accipit arcæ
Præsidium, Francas atque audit rursus habenas:
Nec tamen huic non est par gratia, nominis idem
Perstat honos, veteris sunt alta obliuia culpæ
Mosáque pacatas videt imo è gurgite ripas.
Desine Cæsaream ventoso attollere curru
Fama fidem, & victo pectus placabile ciui:
Nam si Mauortem, si magna exempla recorder,
Quot ciuis quercus? quot lauros debeat hostis
Henrico, nullâque Lutetia cæde recepta?
Hæret adhuc animis stupor, & vix postera credent

Digitized by Google

Sæcula, tam læto nobis concluditur actu
Fabula, per tragicas orbi spectata ruinas.
Post tot discordes, animorum vulnera, motus,
Póstque tot exhaustos alternâ clade labores,
Tam fœlix demum captam manet exitus vrbem.
Ingressi prædam nec sperauere manipli
Et miles toruùm spirans à sanguine dextras
Abstinuit, veritúsque fidem est quæ conscia rerum
Extemplò Luparam niueis inuecta quadrigis
Henricum curru secum portauit ouanti.
Hostes hospitibus mutantur, & hospita pandit
Hostibus vrbs portas, nec tanti muneris expers
Fit deprensus Iber, vita dimittitur agmen
Incolumi, laudat belloque fidéque potentem
Victoris dextram, quæ debellare superbos
Nouerit, atque irâ nullum dignetur inermem.
Non vindicta memor occulti fraude veneni
Grassatur, nullóque fides violata cruore
Conqueritur, non districti ceruicibus enses
Impendent, non se, quicunque aduersa secutus
Signa, reluctatas accendit vocibus vrbes,
Nunc latebras, longáve fugâ, muróve tuetur,
Securus nitet, & medsâ spatiatur in aulâ
Liminibúsque sacris, penetrali & regis oberrat,
Dum pia Maiestas huic tutum præstat asylum
Et sincera fides. ô longo floreat æuo
Serius & Pyliis cœlo caput inserat annis,
Sequana dum iuges deuoluet in æquora fluctus,
Dum trahet ingratas salsugine Nereus vndas,
Dum rapidi surgent diuerso è cardine venti.

Digitized by Google

BALNEOLVM
AD ILLVSTRISSIMVM CARDINALEM PERRONIVM.

BALNEOLI fontes, nitidis rorantia lymphis
Prædia, possessæque recens prætoria villæ,
O clari saluete Lares: non contigit vnquam
Par dominus, doctæ quamuis hæc cognita turbæ
Otia, & æternos vatum memoretis honores.
Romuleæ columen sedis, rarissima secli
Gloria, clamosæ strepitum Perronius vrbis
Balneolo mutat, blandæ cui Tiburis auræ
Inuideant, ruris Graij rurisque Latini
Deliciæ, tanto paruus se principe tollit
Lucus, & ingentes iactantior explicat vmbras.
Gattides interea syluestria numina Nymphæ
Desertas sedes & desolata videntur
Arua queri, sacri lumen quòd muricis illic
Rarius, & gemino radient iam sidere fratres.
Tum metuunt, falsis domini ne vocibus aures
Imbuerint, qui culta Bryæ squallentia damnant
Et mage fœlices suadent accedere tractus:
Ceu steriles inter glebas male-pinguis arenæ

Digitized by Google

Gattides, & solis habitent loca fœta myricis.
Non ita pertæsos subitò fastidia vestri
Ceperunt dominos, absistite vana timere
Gattides; haud alio vobis transfertur ademptus
Secessus melioris honos, quo sæpè solebant
Iungere fraternas secreta per auia curas:
Aut inter saltus & pascua nota iuuencis
Sectari lepores, acrésve ciere molossos.
Nec iam vestra domus (quid in illa clarius ora?)
Displicet: hæc mediis latè ceu Regia campis
Fulget, & aduersos incendit lumine colles.
Inuidet hos solum vobis iter, vrbe molestum
Ire procul toties. sed vos æstate reuisent
Alternóque frui lætas patientur honore.
Nunc noua vicini per operta silentia ruris
Arridet facies, & puræ fontibus vndæ,
Balneolum dixere: hic aut vmbracula fessos
Excipiunt, patulísque fauens adsibilat aura
Frondibus: aut pictis halantes floribus horti
Et salientis aquæ decliues murmura somnos
Inuitant, tacitique inuat clementia cœli.
Adspirat fœlix proprio natura labori
Et genium locus omnis habet: non arte voluptas
Hic stetit, insano nec surgit in æthera sumptu
Inuidiosa domus: quamquam non hospite Phœbo
Notior vlla fuit, totiésve benigna poëtis
Aonidum doctas suspendit vertice lauros.
Nunc quoque, quâ fessæ posuere sedilia Nymphæ,
Extremis luci spatiis tectásque virenti
Fronde casas; ipsi miramur condita Phœbo

Digitized by Google

Carmina, quæ dubiis paries vix seruat adesus
Agnoscenda notis, memor hæc tamen excipit ætas.
Rursus & irriguos quâ fons interstrepit hortos
Quadrifidósque pluit latices, incisa feruntur
Æratis tabulis quæ noctu carmina fures
Sacrilegâ rapuere manu: nec carminis illos
Cura, sed auulso stimulabat præda metallo.
Cur non, hortorum custos, hæc monstra fugasti
Fulmineam quatiens hastam? lapsúve sonantes,
In furias egistis aquæ? lymphata perire
Debuit illa manus violatis impia Nymphis.
Sed tamen hæc tanto ne sit iactura dolori,
Agricolæ carmen memores, olitórque recenset
Opportuna loquens, neque serum nesciet ævum.
Iámque sub implexis per mutua vincula ramis
Ire datur tecto, suspensáque panditur umbra
Porticibus similis: sinuatáque fornice velat
Hæc loca, vix pluuiis aut vlli peruia vento.
Quod si forte sitim labor hîc vel prouocet æstus,
Desectum lapidis medio pes sustinet orbem
Ad cyathos: mixtæ Baccho sua frigora nymphæ
Temperiémque dabunt: nam proxima dissilit vnda
Arboreæ acclinis virgæ, lentóque canali
Funditur, & nexo tenuis stat fistula plumbo.
Nec procul hinc, arcto diuersi limite calles
Inter opacæ ferunt, alio quos silua recessu
Excipit inclusi sistentes margine riui:
Illuc aut tacitas subterlabentia glebas
Flumina concurrunt solerti ducta labore;
Aut fautor domini sparsas Neptunus in vnum

Digitized by Google

Colligit, errantéſque manu decircinat vndas.
Quicquid id eſt, ceſpes vitreo circunfluus amne
Arboribus frondet rectis, modicique capacem
Planitiem cœtus aperit, quò ponte recluſum
Carpere iter, plenámque datur tranſmittere foſſam.
Tum ne forte aliquis greſſu fallente, profundas
Deſpiciens nymphas pronus cadat, vndique ſaxó
Et circumpoſiti niueo munimine gypſi
Labra nitent, fluxas cohibéntque repagula plantas
Vnde vel iniectos ſecurus piſcibus hamos
Videris, aut faciles in gyrum ludere cymbas.
Interea volucres concentibus aëra mulcent,
Conſonat omne nemus. tales Peneïa Tempe
Seceſſus habuiſſe ferunt, deſerta ſed inter
Theſſaliæ, ſauis vtrinque cacumina montes
Non ignota feris, omni procul vrbe ferebant.
Balneolum non vaſta ſoli, non inuia ſaxa
Inter, inacceſſas nec ſurgit vertice cautes:
Omnis ager circùm ridet, dominóſque ſequentes
Otia tranquilli nemoris, placidámque quietem
Securos magna vicinia detinet vrbis.
Publica ſeu rerum moles exorta repente
Seu priuata vocet, ſpatio breuiore remenſi
Hoc iter accelerant, feſſus non ſpumat anhelis
Currus equis, nec vota domus auläve moratur.
Dij facite vt verſis huc ſæpe recurrat habenis
Muſarum pater incolumis, cum florida primo
Vere tepebit humus, nemoríque hortóque recentes
Induerit frondes, gelidi quas flamina venti
Ventura mox decutiunt ſub tempora bruma.

Digitized by Google

Hoc nemus, altarum spatia hæc sibi deligat heros
Conscia curarum, totum queis asserit orbem,
Defensáque Fide, seclis monimenta futuris
Et magnum molitur opus, quo maxima Roma
Rursus eat victrix & sidera vertice pulset.
Sin iuuat ad dulces paulùm secedere Musas,
Sedibus Æneam Latiis in Gallica duce
Littora, perculsa resonabunt carmina valles:
Audiet hæc æther, mirabitur vmbra Maronis,
Nectet odoratas & vati Mantua lauros.

Interea seu nunc Senones, seu Lingones alto
Colle tenent, viuus expertum corpore thermas,
Et de sulphureis manantia flumina venis,
Dij tantum seruate caput. vos amne calenti,
Naiades, huic lento concretos frigore neruos
Soluite, & optatam membris afflate iuuentam.
Sic mea præstabit veteres Campania Baias,
Atque Aponi fontes, vicina Antenoris vrbi
Balnea, quæ nobis cecinit mirata vetustas
Occulta virtute premens, & vincet honore.

Digitized by Google

INDIGNATIO VALERIANA.

SOLVERAT aurato fessos temone iugales
Phœbus, & obscura sub amica silentia noctis,
Carpebant placidos mortalia corpora somnos:
Cùm pater, insomnes versantem pectore curas,
Aggreditur variis, simulator Morpheus, vmbris.
Ille soporatis, nigróque papauere, succis
Leniter irrorans, sensim nutantia clausit
Lumina, térque domum somni percussit: eburnæ
Extemplo patuêre fores, mihi frigidus humor
In caput, & fessos lentè delabitur artus.
Ergo vbi ludentes vacuum per inane figuras,
Collectâsque animus species è corpore rerum,
Inter nocturnos, falsa sub imagine, visus
Exhibet, & placidis serpunt obliuia membris:
Ante oculos, fœdo miseranda Academia cultu
Visa mihi est, alto quæ regum sanguine quondam
Edita, Sequanico discretum flumine collem,
Et septemgeminas pandentia mœnia portas
Legit, regificis metuens considere tectis:
Scilicet vt fugeret turbas, aulæque paternæ
Insanos fastus, & sanctis dedita curis

Digitized by Google

Excuteret

Excuteret viles circa mortalia sensus.
Squallebat facies, augustæ emarcuit illi
Frontis honos, nulla se maiestate ferebat,
Incomptæque comæ, atque ima tellure morata
Lumina, nec solita radiabat purpura luce,
Et velut inuersi pendebant funere fasces.
Tum sic orsa queri, (luctantia sæpè repressit
Verba dolor, crebris & vox singultibus hæsit.)
An mea nobilitas incerta, aut sanguinis author
Effecit dubius, sic noster vt vndique vilis
Calcaretur honos? vt cunctis spreta iacerem
Ordinibus, paterérque imæ conuitia plebis?
Si mihi nascenti quondam pater arma negauit,
Nec strictæ præeunt vestigia nostra secures,
Nec me circunstant horrentibus agmina pilis,
Nec patet effossus vasto molimine carcer,
Nec ferrum, nec vincla sonant: haud protinus omne
Perdidimus robur, nec ego violabor inulta.
Námque mihi saltem calamos armare minaces,
Atque poëtarum fas est manantia felle
Carmina, turba quibus confixa repentè fatiscat
Nostri contemptrix, & tanquam Gorgone visa,
Horreat ad certos iratæ Palladis ictus.
Nam si quem nostræ bilis signauerit ardor,
Ipse notas frontis nulla deleuerit arte
Cinnamus, & longo mansurum dedecus æuo.
Siccine Francigenum quæ incedo maxima regum
Filia, & augustos inter vagîsse penates
Prima feror, moriar telo prostrata furentis
Inuidiæ, sæuisque odiis, & vindice nullo?

Digitized by Google

Illa nouas artes in me, fraudésque maligna
Versat, & in cunctas dictis mendacibus aures
Insinuat sese, diuersa perambulat vrbis
Compita, pérque domos procerum, pérq. ipsa Senatus
Atria grassatur, nostrosque his vrget alumnos
Criminibus, priscum morem, & præscripta docendi
Omnia maiorum, retro sublapsa referri:
Clamat auaritiam, largosque ante omnia quæstus,
Atque auidos lucri, captatorésque iuuenta
Insimulat, iam non Musarum haurire liquores
Pauperibus licitum, non limina tangere Phœbi,
Dum sedet immitis solo exorabilis auro
Ianitor ad postes, & turbam excludit egenam.
Addit & esse, quibus nummorum strangulet arca,
Quantum vix veteris Saturni clauderet ædes,
Quantum vix capiunt regali æraria fisco,
Et procerum nostris superari commodà gazis.
Nì decreta patrum, nì Curia sanctior obstet,
Quem factura modum fuero? quis finis habendi
Harpyiis? vel quos prouecta licentia frænos
Accipiet? ius fásque perit, & lege soluta
Omnis præcipiti diuertitur orbita cliuo.
Exarsere simul dictis, proceréque patréque.
Extemploque iubent animos intendere lapsis
Rebus, & vnanimes acri decernere cura,
Ecquid opus facto, quì publica damna leuentur,
Et sua priuatas subsellia ferre querelas
Cessent. Interea nostrum in caput vrna mouetur,
Et nos absentes indefensique perimus,
In nos indicta fertur sententia causa.

Digitized by Google

Si delatorum votis res staret iniquis,
Omnis cirratæ moderatrix turba iuuentæ,
Non plus mercedis, non plus lucrentur honoris,
Quàm qui grata viæ fessis compendia seruans,
Quâ sterni geminos optat sibi Sequana pontes,
Portitor exigua properantes traiicit alno,
Regalémque domum, Paulíque ad littora sistit,
Accipiens naulum, iactati præmia remi:
Quippe professorum labor haud plus penditur illis,
Quàm conducta grauis, quorũ vrget sarcina corpus,
Curuatíque vnco subuectant pondera ligno.
Dum non esuriant vt mendicabula vulgi,
Ostia nec circum magno mugîre boâtu
Cogantur, quid præterea gens improba quærat?
Sic præceptorum metitur praua labores
Inuidia, hæc illis adeò speranda fuerunt
Præmia, post centum vigilatas ordine noctes.
Quodque mihi mentem quatit altius, impia proles
Gens ingrata, homines proprio quos vbere foui,
Sæua venenatis fundunt conuitia linguis.
Hic aliquis, cui syrma togæ regalia verrit
Marmora, cui manicæ grandès, & pileus ora
Quadrifido velat cornu, iam præpes & audax,
Vix pubescentis primæuo flore iuuentæ,
Nec linguæ nec vocis inops, si fortè resoluat
Treis rubras leges, teneat si quinque Latina
Verba, duas Senecæ gnômas, & carmen Homeri
Dimidium, Ascræiue: παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω,
Οὐκ ἀρετᾶ κακὰ ἔργα *meos contemnet, & alto*
Ista supercilio, & gestus grauitate sonabit.

Digitized by Google

Tum si quis nostri meminit, si tollere cœpit
Laude professorem, inque suas Academia partes
Poscitur, ingeniis non concessura vetustis,
Protinus obiorto iactabit talia naso:
Quid viles animas, & nullum in nomen ituras
Obiicis, æternum voluendas puluere cæco
Gymnasij? quid enim sors maius destinat istis?
Rhetoricos doceant flexus ieiunáque verba
Cum Cicerone suo, nusquam sibi munera sumant
Ardua, non rerum curam, curámve reorum
Non fora, sed longis clamoribus ilia rumpant.
Hi sunt, nocturnis, quibus est calcata Tholosa
Cursibus imberbes, & longi segniter anni
Partem nunc choreis, partem impendère popinis.
Namq. mihi haud celebres consummatósq. patronos
Lædere fert animus, qui doctæ fulmine lingua
Attoniti impleuère fori subsellia, seclis
Iam notique suis cognoscendique futuris;
Quos si fortè sui poterunt æquare nepotes,
Gallica se quantis attollet gloria rebus?
Sed prius hos colles, & auaras linquere terras
Decretum est, quàm tanta meæ dispendia sortis,
Et spretos patiar natos, & honore carentes,
Seruili referant demensáque præmia more.
Quælibet excipient Musas loca, nec mihi forsan
Inter inhumanos deerit terra hospita Bessos.
Ibimus vt quondam Phocæa colonia, sacro
Fœdere polliciti, simul imis saxa renârint
Sponte lauata vadis, deserta reuisere tecta
Rursus ad ingratas & vertere lintea sedes,

Digitized by Google

Si medicus mœstas ægroti intrauerit ædes
Iniecto grauis ære domum illi dextra rèdibit:
Si cui suscepta est miserorum cura reorum
Ciuicáque arma gerit, facundæ ingentia linguæ
Præmia, & emeritum capiet patronus honorem,
Nos iter ad tantas pueris qui pandimus artes,
Viuemus miseri siliquis & pane secundo?
Tu, qui Pierias Mommagni docte sorores
Et colis, & primis coluisti sæpius annis,
Nunc age tutêris Musas, studiúmque professos
Musarum, ecce tui magnum est mihi nominis omẽ:
Progenuit quondam magnus me Carolus armis
Tu magnus defende toga me Carolus alter:
Sic tibi virtutum surgat dignissimus hæres
Filius, & seros genitoris dirigat annos.
Talia cum gemitu memorans Academia, nostris
Eripuit sese ex oculis, tenebrisque fugatis
Purior Eôa Phœbus caput extulit vnda.

Digitized by Google

ILLVSTRISS. VIRI EDVARDI MOLE' SENATVS PRÆSIDIS EPITAPHIVM.

HAC Molæus humo tegitur, quem Curia nuper
Vidit ab auratâ reddentem iura curuli:
Vltimus in cœlum remeat Cato, plurima virtus
Et mitis granitas sancto super ore sedebat.
Non captans cuncta ambitio, non gratia, non vis.
Multáque degeneris pridem contagia secli
Constantem læsere virum, simul altius illi
Maiorum ritu reuerentia numinis hæsit.
Nec minor in Regem testata fidelibus olim
Consiliis pietas, tædas cum ritè priores
Soluere pontificem censet, quo pronuba sanctum
Religio pondus thalamis regalibus addat,
Legitimam prolem & veros factura nepotes.
Hæc senis est natis etiam rediuiua duobus
Gloria, supremos regni gerit alter honores,
Inque toga regi sublimis militat, alter
Contempta tellure viam rimatur Olympo.
Dic hospes quoties marmor præteruehis istud
Cedite Mausolæa ducum regúmque sepulcra
Hac se Mole Themis tegit, hac se Mole ferebat.

Digitized by Google

SCHOLASTICVS PARISIENSIS.

LVDICRA DECLAMATIO.

IAMDVDVM auſculto, & cupiens agitare cachinnis
Pulmonem geminum, compingi rurſus in illa
Clauſtra reformido, quò nemo ſancta profeſſus
Vota, ſed inuitus ſuperûm vi, plurimus intrat.
At meus adſiſtens, age libertate Decembri
Dic, inquit, Genius, quicquid tibi ſplendida bilis
Suggeret, aut ſi nos audis; Democritus eſto,
Atque cachinnorum quantum eſt in pectore ride.
Ridebo, nec iam Gyaros, capitiue verebor
Tres velut ante viros, nec iniquis quattuor Arços
Figentes oculis, quid agat miſerabilis Iô,
Maia nate; quibus propria hæc ne munera faxis.
O ſi quis natorum expers me diues adoptet,
Si Licini Craſſíve opulentas mittar in ædes,
Hoc fuat in votis, veris genitoribus illos
Prætulerim, vincétque ſuam me iudice cauſam,
Cui modò facundis ſurgebat adoptio verbis.
Tunc & fumantes in paruo ponte popinæ,
Atque intra muros quot ſphæriſteria, & extra,
Sæpius inuiſi, quàm me ſchola vana magiſtri

Digitized by Google

Accipient, hîc quos patris indulgentia nummos
Sit largita mihi, in ventos & in aëra mittam:
Terdenique asses superato fune volabunt
Menstrua doctoris mercedula, viuitur istis
Moribus, innocuas vexat censura columbas.
Quid veterum ritus petimus, legésque seueras,
Abdicet vt natum læsus pater, alterum adoptet?
Hæc fieri qui posse putat, bibat ille cicutas,
Anticyrísque tribus cerébrum insanabile portet.
Sidera ceu terra distant: ita nostra vetustis
Sæcula temporibus, non turpis simia natos
Sic amat, amplexu quos strangulat, vt sua demens
Pignora præfocat genitor, complexus amore
Immodico, indulgens vitiis, dum mobilis ætas,
Dum faciles animi. Ludat, perpotet, & omnes
Vrbis quotidie vicos & compita signet
Filiolus, cor, delitium, spes vnica nostræ
Tibicénque domus, laxis spatietur habenis,
Nec metuat tetrici scuticam virgásque magistri:
Tu caue, vel verbo nedum mihi verbere pungas
Dilectum, aut teneram vox aspera læserit aurem.
Si punire voles peccantem, & sumere pœnas,
Terrori quod sit reliqua, exemplóque caterua,
Cade nates, interposito velamine mollis
Puluilli, vulpis cauda, pennáve nitente
Pauonis, quæras & si quid mollius istis.
Interea cùm se circum celer egerit annus,
Arcadico iuueni quod læua in parte mamillæ
Nil saliat, nullo labentia tempora fructu,
Immensósque parens sumptus clamabit vterque

Digitized by Google

Nil didicit puer, hîc penes omnis culpa magistrum,
Omnis & inuidia est, iures licet & Samothracum,
Et nostrorum aras, per sancti limina Petri,
Per cineres Pauli, Mathurináque numina, & illam
Sæpè magistrorum quò concio cogitur eadem:
Feci quâ licuit, functus sum munere, verùm
Irrita ventosæ rapuerunt cuncta procellæ.
Nulla fides, dicent ignaua te ad otia versum
Segnius ingenium pueri excoluisse, sed idem
Totum facundo si cum Cicerone teneret
Virgilium, Graios auctores sciret & omnes
Tanquam vngues digitósque suos, si fortè rogatus
A saturo patre, dum conuiuia præbet amicis
Zenonis, vel Pythagoræ præcepta referret
Aurea, clamoso toties repetita magistro,
O fœlix pueri ingenium! conuiua repentè
Exclamet, grato naturæ munere dives,
Indole præstanti, & facili puer imbibit aure,
Plurima maturos hominum superantia captus.
At præceptoris vel nulla vel vltima fiet
Mentio, nec meritis referetur gratia tantis:
Namque puer solo ingenio profecit, inertis
Non ope doctoris, forsan domumque negabunt
Esse Dei, quoniam metuunt benefacta fateri
Reddenda, & tanto vinctos agnoscere nodo.
Fortè alium malè morigeri petulantia nati
Offendit, cuius seruorum turba ferocem
Auget adulatrix animum, fomentáque præbet
Nequitiæ, & filicem puerili in pectore plantat,
Castigare igitur vitium, vel ferre paternus

Digitized by Google

Si nequit affectus, secum deliberat, à se
Atque domo grandem puerum remouere, labori
Continuò â teneris vt sese exerceat, vtque
Incipiat patria iam degenerare culina:
Sic quicunque domi cœpit puer esse molestus,
Grammatico dabitur, fœta est schola talibus, olim
Durateus Graiis sonipes v turgidus armis.
Sed non ille ædes incommendatus adibit
Palladias, mater bigis inuecta repentè
Ante fores, famulique ancillæque ordine longo.
Iam noua pauperibus succeßit vt hospita tectis,
Protinus intento circumspicit omnia vultu,
Et notat. Hic tenues suspendit aranea telas,
Illic instratis mantilia sordida mensis,
Hinc odor erumpit teter, iacet vrceus inde
Haud tersus, totóque illota escaria mense:
Hæc queritur blandè, lixámque accusat inertem
Fœmina, tunc teneri si forte cubilia nati
Ventorum inuadant per apertas flamina rimas,
Præcipit obstructo prohibere foramine ventos,
Ne sint morborum causæ, ne filius inde
Aut tußim, aut subiti discrimina longa catharri
Contrahat, aut faciles non poßit ducere somnos.
Præcipuè quis sit vultus, quæ verba magistri,
Quæ vestis, quæ munditiæ, vrbanive lepores
Obseruat, probet hoc vt callida, rideat illud,
Narret & in media discumbens garrula cœna,
Atque hominem accitis stolidum traducat amicis.
Pòst vbi Lynceo lustrauit singula visu,
Paucos huic numerat nummos, nam pesio parua est.

Sed centum promissa dabit, terras, mare, montes,
Exiguum vt pretium spe magna suppleat. O si
Pro te aliquid possit coniunx meus, vtere sodes,
Si sit apud proceres illi vel gratia Reges,
Nocte diéque tibi deseruiet, atque patebit
Nostra domus, tantùm puero huic impende laborem.
Hæc vbi dicta, audis strepitum, tractúq. gementes
Ire rotas, regio trans pontes redditur vrbis
Ancillis famulisque simul dominæque vehenti.
Post vbi demensum iam Luna peregerit orbem,
Illa Genouefa sanctas accedere ad aras
Supplex, & voto defuncta, inuisere natum
A diuerticulo simulabit, circiter horam
Vndecimam, supra mensas cùm prandia fumant,
Vt videat solito quàm pinguia fercula victu
Apponi soleant nobis, & an esurit infans,
Tabidus aut macie factus penuria edendi.
Plura locuturi petulantior impedit ora
Risus, & angustis vrgent nos tempora metis,
Vos quibus Augusto recitantes ludicra mense
Fas audire fuit pueros, ridete, valete.

Digitized by Google

VIRI CLARISSIMI CLAVDII PVTEANI IN SVPREMO SENATV DVM VIXIT CONSILIARII Vmbra.

QVALITER Æacides, postquam fumantia Troiæ
Pergama, vis fati, Graiusque absumpserat ignis,
Victores bello Danaos, iamiamque paratos
In patriam, & dulces vnâ remeare penates
Nauibus, ingenti surgens exterruit vmbra:
Namque sui forte immemores, & pendere iusta
Oblitos, alacrique manu vada salsa secantes
Increpat, & prima cogit consistere terra:
Siccine ait, meritos ingrati fertis honores,
Per quem res Teucrũ, per quẽ ruit inclytus Hector?
At mihi quæ sponsa est virgo, quam viuus amaui
Et periy, nostro regalis victima busto
Occidat, hoc functi repetatis munere naues.
Proh pudor! en iustis Puteani herois imago
Questibus adsurgens, totas ex ordine lapsas
Septenas hyemes, renouatáque sæcula terris
Enumerat, supera cum pridem nectar in aula

Digitized by Google

Haurit ouans animus vinclo resolutus inani,
Ecquis ait nostros decorauit carmine manes
Inferiasve dedit? quando vel funera amicis
Conclamata meis, vel conclamata poetis?
Dicite Pieridum mystæ, quæ culpa? quis error
Quem luimus taciti longa caligine fati
Contemptu ne etiam vestro? placuit ne malignis
Vlcisci inuisum per vestra obliuia nomen?
At vos Astræa proceres, vos Gallica testor
Lumina, nascentis vos conscia sidera vitæ,
Si quis barbariem contra, pro Pallade miles
Acrior arma tulit, si doctis doctior hospes
Audiit aut quisquam melior (scit cætera fama)
At non virgineo madeant mihi sanguine flammæ
Barbara vel stricto depugnet victima ferro:
Tantum virginibus Musis quas viuus amaui
Et periy, pietas tangit vos si qua, sepulcrum
Visite muneribúsque meum decorate supremis.
Non tulit vlterius sancti conuitia patris
Natorum pietas: nam visus sæpe monere
Talia, verates dum tertia tempora noctis
Indulgent somnos, neque mentem somnia fallunt.
Sensit & has (& se sensit rea) turba querelas
Palladis, & patrio quos purior irrigat amne
Sequana, quos altis Rhenus torrentior vndis,
Germani Gallique simul, quoscumque fauore
Munifico, & doctis dum fata Deúsque sinebant,
Alloquiis dignatus erat, pene omnibus iter
Exequius, sera damnántque silentia voce.
Ipse prope à gelida diuinus Scaliger Arcto

Digitized by Google

Carmine ſublati fatum deſleuit amici
Mirantes inter Batauos, lacrymantiáque ora
Perfuſus, crebra Puteanum voce vocauit,
Oceanum verſus ſpectans extremáque Thules:
Totáque reddebant Puteanum littora, totis
Reddebant illum Nymphæ Oceanitides antris.

Vna inter reliquas quam quõdam Sequana, dũ ſe
Exonerat centum fluuiis comitatus in æquor,
Centum inter rapidus populoſas labitur vrbes
Progenuit, clari ciuis non immemor illa
Et deſiderio Puteani excita, decoras
Non tenuit lacrymas, ſparſoſque effuſa capillos
Sic Parcas, ſicque aſtra vocans crudelia, dixit.

Anne parum eſt, ô carnifices, tria monſtra, ſorores
Quod ferrum, humanæ quod vobis fila coluſque
Inſtrumenta necis, quod vitæ tempora cenſet
Inciſuſque adamas, adamante & durior omni
Vestra manus? niſi trux fatales inſuper annos
Calculus, & fluxi ſpatium mortalibus ani
Computet? heu lenta Puteanum tabe iacentem
Vidimus, immiti colluctantémque dolore
Confectúmque malis, humor cum ſcrupeus illi
In latebris renum fureret claudénſque meatus
Natura, totis agere tormenta medullis.

Poſt mille errores, poſt tædia longa laborum,
Poſt deſolatam captámque rebellibus vrbem,
Poſtque triumphatos, heu noſtri infamia ſecli!
Mirmillone patres, Aſtræam carcere clauſam
Inque arcis fœdâ traductam vincula pompâ,
Emenſus veſtras Liger & tu Sequana ripas

Digitized by Google

Filius Astræa, summi pars ipse Senatus
Finitimas exul Puteanus adiuerat vrbes
Impia ciuili detestans arma furore
In regem commota suum. Iam, Gallia, fatis
Pene tuis defunctus erat, sed sæua manebant,
Et coniuratæ musas extinguere pestes
Morborum innumeræ, & cõmunibus addita castris
Barbaries: patrias vix ille reuiserat oras
Et libris laribúsque suis vix redditus, inter
Successúsque nouos rerum plaususque recentes
Ante suos natos, & mœstæ coniugis ora
Victorem regem patriámque in morte reliquit,
Optatámque diu fœlix morientibus hausit
Libertatem oculis: illum alma Lutetia fleuit
Curiaque Aonidúmque cohors & Sequana totis
Intumuit mœstus ripis altóque refusus
Oceano cari funus deduxit alumni.
Hæc Nympha, & rursus se gurgite condidit imo.

CVR TANTO INTERIECTV TEMPORIS COLLECTVS ac editus sit hic Tumulus Epigramma.

VT sensit, fœlix Puteani & nobilis vmbra
Exequias libro nos renouare suas:
Quis desiderio modus? (inquit) septimus annus
Funereas vidit vos mihi ferre faces,

Digitized by Google

Necdum sollicitus lacrimarum exaruit humor?
Nec tam longinquo tempore mœror abit?
Haud, inquam, tempus nobis lenire dolorem,
Aut desiderium iam Puteane potest:
Longa dies, aliis vt sit medicina dolendi,
Longa dies tristat nos magis atque magis:
Nam quod rarus amet doctos, hoc tempore, doctus
Ipse: magis memores hoc facit esse tui.

IN DEPICTAM CARTHVSIÆ majoris vasti montis solitudinem Epigramma.

HAS sterilis saltus rupes & inhospita saxa
Ne deserta voces: omnia plena Deo.
Hâc pater angustis in cœlum callibus ibat
Noster, inaccessas impiger ire vias:
Quemque nec in mediis inuenerat vrbibus, vnum
Quærebat cupidus colle silente Deum.
Credo equidem sancto Brunonis pectore, & isthic
Numen in ardenti ceu latuisse rubo.

Digitized by Google

VIRI CLARISS. NICOLAI RAPINI, EPICEDIVM.

VISENDVM cinerem fortunatásque fauillas
Rapini signant hæc marmora: luget ademptum
Pictonis ora sibi, quæque vrbs ibi nomina fonte
Naiades à vestro florentibus obtinet aruis:
Ingeniis fœcunda parens treis vbere fœtus
Extulit, & veteres certamine laudis Athenas
Prouocat: erepti sedenim iam casus alumni,
Et iactura recens, cumulatum & funere funus
Antiquos matri renouat sub corde dolores
Afflat & implacidis sopita incendia curis.
Ast ego qui tot facta viri memoranda recordor
Actáque honorata fœlix vt fabula vitæ,
Quid querulo sanctos turbarem carmine manes?
Inuidus aut vanis meliori luce fruentem
Prosequerer lacrymis? iuuat hunc deducere plausu,
Et super æthereo flagrantis sistere mundi
Limite, quâ niuei cœlum secat orbita lactis
Illustrésque animas candenti suscipit axe.
Nam licet æternos dignum producere soles,
Robore adhuc crudo, nec caligante senecta

Digitized by Google

Abstulerit Clotho properatis impia fusis,
Et patriæ, & nostris etiam caput vile rebus:
Attamen octauo iam sexagesimus annus
Additus, humanæ meditantem tempora vitæ
Non improuiso nec acerbo funere mersit.
Post desudatos ciuili Marte labores,
Additáque vrbanis castrensia munera curis,
Vtráque mirandus semper, tot Gallia de te,
Tot meritus de Rege suo, non fractus inerti
Agmine morborum fœlix sibi, flendus amicis
Emicat herôum sanctas nouus hospes ad vmbras.
At proceres inter magnum dolor angit Achillem
Quem Themis aurata iussit residere curuli
Ardua iuridicâ populis discrimina librâ
Æquantem, fluxere seni pulchráque verendo
Canitie lacrymæ: méne ergo deseris (inquit)
Patrocle? atque tui Parcæ solatia vultus
Inuidère mihi? nec nostras amplius aures
Mellea facundæ contingent flumina vocis?
Iret adhuc in verba dolor mœstásque querelas,
Nì granitas firmæque vetet constantia mentis,
Quæ nuper vidit ruiturum pectore mundum
Impauido, subiitque cadentis pondera regni.
Nec minus augusti tangunt ea fata Thuanum
Nominis, inuisæ fugientem obliuia Lethes,
Dum volucri surgens pennâ caput inserit astris,
Seráque victuras condit per sæcula chartas,
Dignus ab Herculeis properent quem visere metis
Miratæ quondam Patauina volumina Gades:
Quicquid erit, nullo tantum se Gallia iactet

Digitized by Google

Lumine, seu doctæ spectentur Apollinis artes
Seu fortuna domus. Rapto nunc mœret amico,
Quicum sæpe dies fando traduxerat, vsus
Quintilio veluti, vigilatorúmque laborum
Iudice, Palladiis quos vellet credere formis.
Æmulus his flendi Gillotius ordine summo
Curia sublimem quem suspicit, ora loquentis
Melle fluunt, melior solidum sententia pectus
Arguit; & Graiis animus Latiisque Camœnis
Ditior, altarum reserat penetralia legum:
Lingones hunc nostri iactant: ast orbus amici
Incusat superos abruptáque pensa sororum
Rapinúmque animo, Rapinum voce requirit.
Parcite iam lacrymis proceres, finémque dolori
Ponite, cœlesti spectat vos desuper aula
Rapinus, vestríque memor requiescit amoris.
Vindicat hunc Astræa sibi, Bellona reposcit
Ardentesque animis ambæ certamina dudum
Magna parant, Astræa togam, Bellona professum
Arma magis tendit, par circum dixeris altos
Depugnare rogos & spargere sanguine manes:
Atque Astræa prior. Quid tu tibi pacis alumnum
Asseris incassum demens? quem nostra sequentem
Signa, forum & gentes passim videre togatæ?
Scilicet vrbano iudex assederit ille
Prætori, capitisque reos damnauerit, armis
Instructus potius quam legibus? ille sacerdos
Musarum fuerit gladio ferus? ille comantem
Fœdarit castas Phœbum caligatus ad aras?
Ne vero ne te vanus deceperit error

Digitized by Google

Quod medias acies inter, toruásque phalanges
Principis hærebat lateri, nec classica Martis
Nec coniuratos audax expauit Iberos:
Haud enim ducis officium, vel militis vsum
Præstitit, at solitum regali munus in aulâ
Indulsitque suis inter vaga castra Camœnis.
Qualis Scipiadæ, Tyrias dum verteret arces
Ennius adstabat comes, & Carthaginis altæ
Spectabat Latias trepidantia mœnia dextras
Immunis belli. Rapinum sæpe canentem,
Pulsantémque nouas Venusino pollice chordas
Et rex post lituos, hostili & strage recentes
Audiuere duces, tum Gallica carmina certis
Legibus arctantem, depellentémque prophanum
Ex adytis Phœbi vulgus, quod sæpius expers
Doctrinæ veteris, dum vatum captat honorem,
Polluit Aonias rythmis nugacibus vndas.
Plura locuturam vultu Bellona seuero
Non tulit, & larga est (inquit) tibi copia fandi
Fallere & incautas vanis concentibus aures,
Depreßúmque soles verbis obducere verum.
Ast ego quæ nec vestra fori mendacia noui
Eloquiive dolos, stricto prius ense tuebor
Rapinum, quâm Gradiui malè castra perosus
Fratris, ad ignauas vertat se transfuga Musas.
Desine sollicitare meos Astræa ministros
Quosque vel à primâ noris vixisse iuuentâ
Cinctutos, ne Socraticis transcribe cateruis:
Neu deuota meo rarescere nomina Marti
Expete: nam memini quoties florentibus annis

Digitized by Google

Aptauit lateri auratum mihi deditus ensem,
Et sessor volitantis equi, cultoribus agros,
Hospitibúsque vias, & tutas ciuibus vrbes
Reddidit, incurrénsque vagis prædonibus vltor
Feruidus, horrentes soluit formidine sylvas.
Dignior haud alius cui credere munia ferri
Publica res posset: mens incorrupta manusque
Cordáque auaritiæ fœdis imperuia curis,
Et super humanos altè nitentia casus.
Sed quid ego leuiora moror? num Gallia lauros
Ibriacus nescit? rerum cum fœdere rupto
Henricum totis iaculantem fulmina campis
Sensit Iber, latè fusi sensere rebelles?
Hic Rapinus erat, medióque in puluere belli
Spumantem versabat equum: quot funera dextrâ
Ille dedit? quisquis vibratæ occurreret hastæ,
Protinus inferno grauis ibat victima Diti.
Nec sine teste fuit virtus, Aumontius heros
Prima acie vidit pugnantem, & fortia Regi
Facta viri memorans stupuit. Tun' talibus audes
Stragibus insignem lentis addicere Musis
Improba? vel gentes inter censere togatas?
Fortiáque inuicto subducere pectora Marti?
Talia iactantes Diuas, Tritonia belli
Consiliique potens concussa Gorgone terret;
Neutrius hic vestrum est (inquit) mihi Iupiter arma
Et dedit ingenuas artes, in vtrumque paratus
Rapinus meus est: vltra ne tendite si vos
Aut pudor, aut nostri tangit reuerentia vultus.

Digitized by Google

GENETHLIACON DELPHINI.

FRAGMENTVM.

TALIA dum memorant senô chorus agmine Phœbi
Delecti iuuenes, magnúmque ad sidera tollunt
Henrici nomen, pugnatáque in ordine bella,
Atque triumphatum signis victricibus orbem;
Protinus his tacitô respondent murmure laurus
Castaliæ, mugitque sacris cortina sub antris,
Et procul Ascræum nemus assonat: ecce repente
Auditur mihi plausus, & altera gaudia surgunt
Delphinô surgente, ducem quem tota salutant
Æquora, regnatus Patri lambentia terras,
Maiorem reliquis, solo genitore minorem:
Cui submissa cadit Neptuni fuscina, Triton
Pâret; & in mediis famulantur Naiades vndis,
Squammeáque allludunt incani examina Phorci.
Cui glauco vicina mari iamiam attremit ingens
Parthenope, & nostris quondam Trinacria sceptris
Subdita, ab Italicô tractu magno impete saui
Interuulsa freti: cui venturi omine certô
Procubuere altæ demissis cornibus Alpes;
Et tu vane Ligur, Insubria culta, liquentes

Digitized by Google

Eridani Varique amnes, quibus arua colonus
Proxima, & humentes sentit pinguescere glebas.
Ergo huic alternis dicunt præsagia Musæ
Carminibus, faciles & habent in fœdera Parcas.
Cresce puer dudum populis optantibus orte,
Fortunate puer, cui prisca oracula vatum
Aurea pacatis cecinerunt sæcula bellis.
Quarta tibi plenis numeratur mensibus æstas,
Quartáq. hyems, ex quo primùm de more cadentem
Excepere sinu Nymphæ, quà plurima rupes
Pocula de gelidis libans Acheloïa largè
Pumicibus, bellæ fontem denominat vndæ.
Hìc nemora, & colles, & amictas collibus vmbras,
Antráque multarum latebris sinuosa ferarum
Aut venator equo Rex, aut cane sæpe fatigat,
Cingit & vmbrosos solerti indagine saltus.
Sæpe pharetratâ visus comitante Dianâ,
Delius occiduos illic traducere soles,
Corytos gestans humeris, arcúmque sonantem:
Sæpe vagæ spatiantur Oriades, atque ibi lætas
Cum Satyris ducunt lunâ fulgente choreas.
Scilicet hoc, Princeps, tua primum infantia cœlum
Hausit, & ipse tuis pulsus vagitibus aër.
Felix nascentem tellus, quæ cernere solem
Hunc potuit: nullo tantùm se iactet alumnô
Roma, licèt nobis Latiô diademate cinctos
Proferat, Arsacios aut victrix Parthia reges,
Ipsáque miretur Iouis incunabula Creta,
Non Curetes opem scutô crepitante tulere,
Nec tibi nascenti custos Corybantius æra

Digitized by Google

Impulit, aut surdam raucis tinnitibus aulam
Impleuit, patrias ne vox percelleret aures:
Læta fuit Lucina, parens arrisit vterque,
Concentúque nouò lætæ pæana canebant
Permessi Nymphæ, & resonabat plausibus æther.
Centum vrbes, quas occidui maris vtraque lambunt
Littora, pluuereis ferieban. aëra bombis,
Tanta per accensas testantes gaudia flammas.
Inde sacerdotes ad puluinaria Diuûm
Thura dabant, gratos Superis halantia fumos,
Fundebántque preces, onerabant æthera votis.
Tum populi misêre suos huc vndique patri
Legatos, pueri sacros gratarier ortûs:
Quos vagus humectat flauentibus Ister arenis,
Quos & nascentes explorat gurgite Rhenus,
Quósque Alpes, quos & disterminat alta Pyrene,
Et Thule, gelidáque rigens tenet ora sub Arctô.
Quinetiam hæc populis pennatô concita lapsu
Fama tulit, quibus Ægyptus, fœcundáque Nilo
Arua, & odoratæ syluæ tondentur Idumes.
Ipse pater residens Tarpeiæ culmine rupis,
Cui cœli reserare fores, & claudere soli
Concessum est, quamuis gelidâ tardante senectâ,
Gauisus: reliqui, queis stat radiante galerô
Ordo sacer, tanti celebrârunt gaudia partus.
Quippe fide primogenitos Ecclesia cernit
Franciadum nasci sua propugnacula reges:
Christiadum & primi succrescere Principis aulam
Prole nouâ, totum quæ subdet legibus orbem,
Intereà donec surgens adoleuerit ætas,

Magne

Digitized by Google

Magne puer, seu te celso radiantia colle
Castra tenent, Diui Germani nomine dicta:
Seu matutinâ nemorum vectaris in vmbrâ,
Lymphaarúmque tubos mirans ex arte sonantes,
Ingenuo laqueata subis antra humida topho:
Iam, blandè fari incipiens, & ab vbere pulsus,
Iustitiæ sanctúmque bibas pietatis amorem,
Componens teneros facili dulcedine mores,
Molliat vt tenerum mitis clementia pectus,
Ne calidas animis puerilibus hauriat iras:
Sic poteris rex esse tui, rex esse tuorum.
Hæc discas, at cùm veniet tibi robur ab annis,
Spumantes versabis equos in puluere Circi,
Cornipedi premere, & laxas dare doctus habenas
Tunc enses strictiin manibus, simulachráque pugnæ
Ludentur: disces quo Pæones arma rotatu,
Quo Macetæ sua gesa citent, quid nôrit Iberus,
Germanúsque ferox, sæuos quibus artibus hostes
Contuderit Genitor, quo turbine torqueat hastam.
Talis in Idæis narratur Iuppiter antris
Exertâsse suos primæuo flore lacertos,
Irrita per vacuas iaculando fulmina terras.
At cùm te Superi, cùm te pia bella vocabunt
Hæresin aduersus; tunc sternes impia ferro
Agmina, tunc certâ iaculabere fulmina dextrâ,
Dein strato Mahometè potens, atque orbe recepto
Victor Idumæis coniunges lilia palmis.

Digitized by Google

PARALLELA CÆSARIS ET HENRICI MAGNI.

E Gallico illustriss. Ducis Sullij.

PAR insigne ducum, quos de tot millibus, ardens
Prodidit æterna virtus in sæcula famæ,
Terrarum domini, dignissima nomina cœlo
Cæsar & Henricus toto iam vertice surgunt.
Sorte datos simili raptósque, vt gloria rerum
Par status, & paribus iungit victoria fatis,
Sic vno poterit committere pagina textu.
Fortunam Cæsar meritis ingentibus æquat,
Henricus virtute duces supereminet omnes.
Rebus inauditis decorat sua tempora Cæsar,
Henrici tot facta, tot & miracula credas,
Imperium nullis fundare in sæcula metis
Illi sorte datum est & amico numine Diuum.
Hunc quoque sæpe Deus violento ex hoste recepit
Victor vt æternum faceret tibi (Francia) regnum,
Cæsar ab Ænea se fert & origine Martis.
Henricus se Troiano de sanguine cretum.
Ille inter septem colles euagiit infans

Digitized by Google

Viribus ægra suis cùm iam prope Roma periret.
Editus hic subter iuga formidanda Pyrenes
Mox vidit flammas & operta tumescere bella.
Inter adhuc cunas, illi conuulsa moueri
Publica res visa & pessum status ire Quiritum.
Huic artes iamiam puero patuere dolique
Qui reges, regni & formam mutare parabant.
Fœdere connubij Cæsar se partibus addit
Quarum opibus, propriis sperat munimina fatis.
Se consanguineis Henricus regibus, olim
Debebat vacua quorum succedere sedi.
A teneris Cæsar solitus perferre labores
Nullius impatiens operis. non milite vixit
Mollius Henricus puer, & iam prælia celsis
Concipiens animis, niuibus durauit & æstu.
Per medias strages, per aperta pericula, pérque
Naufragia inuicto crescebat pectore Cæsar.
Et labor, & sæui semper discrimina Martis
Henrico lusus fuerant, & certa voluptas.
Nil dubios rerum casus horrebat vterque.
Ambobus pater & patrui & carissima mater
Inter ciuilis perière incendia flammæ.
Accisis passim rebus dubiúsque salutis
Bithinum fugit ad regem trans æquora Cæsar.
Partibus Henricus fractis ad saxa Pyrenes.
Seruauit vitam Cæsar bis compede lapsus,
Et libertatem, fugiens Henricus, ademptam.
Cæsaris affines, & opes, & robora, clades
Quattuor hauserunt, altóque potentia tanta
Exitio ruitura fuit, nisi Cæsaris arma

Digitized by Google

Spes instaurassent lapsas, animósque dedissent.
Et quater Henricus aduerso Marte propinquos
Vidit prostratos, socios, noménque, domúmque
Afflictam, nihil in meritis aut sanguine quicquam
Esse super, nisi naufragij clauum ipse teneret.
Cæsar & Henricus perruptas sæpe phalanges
Disiectásque acies & profligata suorum
Agmina restituêre manu, cum signa maniplis
Eriperent, turmísque suas fugientibus hastas,
Vnde etiam victis reuocata in pectora virtus
Fortunáque retrò victor mutante refûgit.
Delectus dux Cæsar adhuc florente iuuenta
Castrorum imperio, iustis & præfuit armis.
Partibus Henricus dux est ascitus & auspex
Quattuor vt teneri vix lustra peregerat aui.
Arma in se generum Cæsar, generique clientes
Et sobolem totam iurata capessere vidit.
Henricus sibi cognatos insurgere, socrum
Et patruum, rerum violato fœdere sensit.
Connubia, ingrati, sacra, festáque, mille procellis
Cæsareum petiere caput, lethúmque pararunt.
Henrico sacra, festa, ingrati, Hymenæus, amores
Lætos abrupêre dies, mortémque dederunt.
Cæsar in Hispanis adiit discrimina terris
Fortuna nusquam mage conflictatus iniqua.
Semper & infensos Henricus sensit Iberos.
Ambitus atque odium magnatum artésque dolique
In caput armarunt iratam Cæsaris Vrbem.
Henricus sic est odiis agitatus acerbis
Viderit vt patriam infestam regémq. propinquum.

Digitized by Google

Imperium Cæsar, dum spernit inania rerum
Possedit solidum & certos est nactus honores.
Henricus spreuit promissa ingentia, queis aut
Perniçies animæ aut decoris iactura subesset.
Cæsar erat præsens hosti metuendus, at eius
Legati plerumque ingentia damna tulere.
Henricus nusquam nisi victor ab hoste receßit,
Illius at causam clades non vna secutis.
Te Labiene ducem magnum per Gallica bella
Formauit Cæsar, quem nullo es iure perôsus.
Inter & arma, virum Henricus formauerat armis
Egregium, nî mox cæca ambitione perisset.
Impiger & prudens & iuxtâ fortis vtérque.
Obtulit ille suis pacem hostibus, iste negauit
Hanc nunquam patriæ, plebis tulit ille fauorem,
Hic regis meruit, cui mox succederet hæres.
Pontes atque vias ille instaurauit, at iste
Magnifico Francis perfecit talia sumptu.
Carnutes, Hedui, se Bellouacique minante
Cæsare, depositis permittunt ocyus armis.
Nannetes, Blauium, Sedanum, fax vltima belli
Hemici adspectu ad lacrymas fugêre precésque.
Vxelodunenses, Biturix, & Alexia, famam
Cæsareis armis & nomina magna dedêre.
Carnutes, Laudunum, Amiani, Fera, Drocúmque
Henrico auspiciis decus adiecêre secundis.
Nec bello nec pace vllam concoxit vterque
Vindictam. Ægyptus, Thapsus, Pharsalia, Munda
Fecerunt victrici acie, pugnísque cruentis
Ire triumphatum sub leges Cæsaris orbem.

Digitized by Google

Corasium, Ibriacæ laurus, Saueuzia & Arquæ
Henrico Francos, & Francica sceptra dederunt.
Fortunas, vitam, cunctos & Cæsar honores
Reddidit ingratis per quos est inde peremptus.
Henricus plures meritis deuinxit, adeptum
Qui decus ingeniis huic inuidere malignis.
Pharnaces, Ægypto dum credit posse teneri
Cæsaris arma diu, legiones cædit, & amens
Cappadocum gentem vicinásque occupat oras:
Dumque parat Pontum Armeniæ, & Bithinica rura
Iungere, Cæsar adest, venit, & videt, vndique vincit,
Atque die sexto regem hunc sibi subdit inanem.
Emanuel, ratus in medio se posse tumultu
Gallorum, propriis Phocæos addere tractus:
Iámque Salassorum potiens Delphinica regna
Somniat, & circum gentem spe deuorat omnem:
Pacatis demum rebus confugit ad artes
Et retinere astu voluit, quod Marte nequibat:
Sed mox adueniens Henricus vicit, & vrbes
Allobrogum cepit geminæ vix tempore Lunæ.
Præterea qui vult artes edíscere belli,
Ordine quo ducenda cohors, vbi castra locanda,
Aggere quî fossáve latus munire, vel hostem
Conueniat vitare, lacessere, prælia forti
Conseruisse manu, paulatim accedere, leges
Ponere militibus, hostem consumere cura
Peruigili, atque fame, terrore, sitique, dolisque,
Nullius impatiens discriminis atque laboris
Cæsaris insistat solers vestigia primi.
Illius exemplo sese conformet, & astus

Digitized by Google

Consiliúmque imitetur, vt alti flumina Rhem
Atque procul positos penetrauerit vsque Britannos
Russinamque & Iberum, vt sit cunctatus, vt hosti
Germano congressus; vt & munimina fecit
Axona quâ Sabísque fluunt, vbi Neruius arua
Et Morinus colit, atque Ducis cognomine sylua
Asparagum Apsúsque & Phocæa colonia, & ora
Armorica Veneti, Biturix, & Alexia, Brunda,
Corsinium, Pharia, Graiaque, ac littoris vrbes
Ausonij Illyricíque, quot & Pharsalica castris
In loca peruenit, quibus hîc stationibus vsus.
Ponat & ante oculos Henricum eiúsque trophæa,
Virtutes animúmque & facta fidémque sequatur:
Progressus, artes, indefessúmque laborem:
Vt multas astu, plures vi ceperit vrbes,
Sãmilium, Broagúmque, Cadurcos atque Niortum
Atque alias quas Pictonicis assurgere campis
Cernimus, & pingues vbi pandit Neustria glebas:
Bressiáque exiguus nuper mutata Salassis,
Sequanicive colunt Belgæ, vt dein larga Garumna
Flumina, & ingentes in equo trauauerit amnes:
Vt tempestiuum obsessis summiserit audax
Auxilium, & tuto remearit castra receptu.
Hos pariter primis ambos miretur ab annis.
Non illis alius princeps, aliusve monarcha
Terrarum dominus certamina plura peregit,
Non miles quisquam plures numerare labores
Euentúsve queat, deiectas sæpius arces
Sæpius audaci commissáve prælia dextrâ
Siue repellendus fuit hostis, siue petendus.

Digitized by Google

Scribentur plenis hîc iusta volumina chartis
Narranti quoties tanti, loca commoda castris
Quæsiuere duces, aut meta a aggere longo
Munierint, quoties pulsarit machina muros:
Cum sit nulla dies multos elapsa per annos
Quin ductæ ambobus fuerint ad bella cohortes.
Cæsar vbi multos reges & regna subegit
Pangere fœlicem cupiebat pacis oliuam.
Hostibus Henricus prostratis victor, vbique
Arua coli, atque bonas artes florere iubebat,
Exitus at tragicus sors & crudelis vtrumque
Sustulit. In parties varias diuisa colebat
Gallia, delatas eius cum cepit habenas
A patribus Cæsar, nihil in commune gerebat,
Rectores vrbs quæque suos, prouincia quæque
Disiunctos habuit, peregrinæ huc vndique gentes
Ad prædam, rerum facie inuitante coibant.
Principio Cæsar castris prætendere vallum
Cœpit, & Heluetios immani mole ruentes
Et Germanorum motus speculatus, vtrosque
Contudit, & fractos rem desperare coëgit.
Sic cum cœlitibus visum est, imponere Francis
Henricum regum decus immortale, duello
Vicinæ ruptis inter se legibus vrbes
Ardebant, flammæ & strages atque horror vbique.
Quinetiam veluti perituro principe, gentes
Externæ regnum in prædam sortémque trahebant.
Tunc vrbs cuncta suos regióque est passa Tyrannos.
At rerum aduersis Rex immersabilis vndis
Muniit aggeribus sese, primósque minantum

Digitized by Google

Elusit motus coniuratósque furores.
Mox vbi prostratos disiecto milite fudit,
Concussitque tuos terrore Lutetia muros,
Fulminis in morem gentes irrupit & vrbes
Et coniuratis late abstulit oppida castris.
Cæsaris Henricique istis successibus vnam
Adscribas causam, mores vtriusque benignos.
Virtutésque animi, desudatósque labores.
At sese in partem fortuna sequentibus offert,
Quòd res compositæ, quòd tempestatibus aura
Lenior accedens sæuas placauerit iras
Reddideritque animos hominum & certantia passim
Obsequia. Ingentem sibi conciliauit amorem
Æqua petens Cæsar, gentésque recepit & vrbes
Factio quas odiis in eum flammarat acerbis.
Quippe secuta fidem mox Gallia, Corsicus vndis
Sardus & in mediis, Siculus dein proximus, omnes
Ausoniæ gentes, aliæ trans æquora multæ
Græcia quas nouit, Cilicésque & tractus Oromis
Eoâ perfusus aqua, quas Bætica latè
Aspicit, in nostris Heduique & Lingones oris.
Vicit enim totum clementia Cæsaris orbem.
Sic Henrice tibi pro conditionibus æquis,
Iustitiâque tuæ causæ permota, verendis
Francia procubuit genibus, Campania, Neustri
Et vicina truci nimium Picardia Belgæ,
Lugdunum, Meldæ, Biturix, Aurelia, Narbo,
Diuio, Parrisij, Trecæ, quas vndique claudit
Oceanus, medias aut perlabentia terras
Æquora, Aquitani quas alluit vnda Garumnæ.

Digitized by Google

Aut Ligeris Rhodanique fluens quas Matrona lābit
Et Somona Oceani dum rectus in ostia fertur:
Et quascumque sinu medio complectitur ingens
Gallia, fluminibus procul & procul Amphitrite
Oratum misere suos, pacémque tulere.
Cæsar & Henricus factis super æthera noti
Ante alios reges, etiam Mauorte timendos
Formauere duces, necnon docuere sub armis
Tironem excubiis duróque assuescere Marti.
Cæsaris accedit decori, quod Galba Veragros
Gessit in aduersos. Henrici adiungitur actis
Quicquid in Orthesios est Mongomerius ausus.
Induceiomarum Labienus contudit illi.
Huic ad Lussonium pugna Lanonius acri
Sanctephanúsque merent· illi quæ gesta Sabino
Dantur in Aulercos. huic quicquid Pictonas inter
Sustinuit proauûm dignus virtute Rohanus.
Accedunt illi quæ Crassus iunior olim
Perfecit, celsis infert dum bella Vocontis.
Huic quod & in trepidos Comites egere Vocontos
Quattuor. In laudes Labienus Cæsaris addit
Parrisiis & Melduni fœliciter acta,
Massiliæ & quæ tu geris obsidione Treboni.
Quod Messala suis semper clarissimus actis
Fusius aut fractas seruans virtute cohortes
Aut Piso cunctis solitus se offerre periclis
Æmula vel dudum Varene & Pulsio corda
Quicquid & obsessæ mirum fecere Salonæ
In Cirtham Afrorum atque alias quod Sētius urbes,
Curio quod sudore madens & sanguine, victor

Digitized by Google

Haud dubiè, victus nunquam sine fraude futurus.
Crastinus inque tuis quiquid Pharsalia campis.
Et dum Sulpitius Catalaunos protegit armis.
Henrici canitur, quicquid Mombrunius egit
Gordius aut pugnax, vel in ipsa Bonnius Alpe
Vel Roësus Liberone, per Allobrogesque Valetta.
Quicquid Cotrasij Vnellisque Suessio princeps.
Coliniusve canens tutos post arma receptus,
Ornanúsque adiens tibi magna Henrice pericla,
Rosnius & plagis corpus confossus honestis
Inclusúsque Quileboni Belagardius vndâ
Et Longanilla haud vno certamine victor,
Condæúsque aliud fulmen, quem Iarnaca tellus
Et Druydæ videre capi, captúmque necari:
Quódque fugæ Andelotus vir nescius atque timoris
Et quod Campanæ rector Niuernius oræ.
Quicquid Chambasius, Castillio, Pila, Cubernes,
Viuantus, Ventadurius per rura Tholosæ
Et Mimatûm, quod Ediguerius dù vicit Amedeũ,
Quod bellum ad montem Bullonius agmina fundens
Amblisij, & Randane tibi Curtonus adempta
Victor ouans præda, quod magna strage Ioëusæ
Ad Villamurium Theminius, atque Guierchi
Rupiposus domitor, vel terror Crequius ingens
Allobrogum paribúsque micans Pasquierius armis.
Quódq. in Mercurium Daumonius, inq. pauentes
Domianni turmas, quod vel Bironus in hostem
Mille locis dum Dõpetrum fugat atque Tauanum
Cúmque Esguillonio Contreram: quódque Sabaudis
Rosnius in campis, necnon Ediguerius vrbes

Digitized by Google

Dũ capiunt mõtem Melium & tua ſancte Michael
Mœnia cum Carboneria, loca Cunque fluentum,
Quodque iterum regno dum tantùm Sullius auri
Congerit armorúmque, & tantum pulueris atri
In tormenta parat, tam multa cibaria condit
Francus vt externis eſſet metuendus in oris.
Iámque in Luctorios Fabij geſta atque Caninî.
Oppida quæ Bruto quæque expugnata Valero
Cæſaris accreſcunt palmis. quod Sylla peregit
Iunior in Magnum, Ciceróve vbi preſſus ab hoſte
Cæſaris vrgebat reditum, quod rurſus in Andes
Pictonicóſque Fabi geſsiſti, aut æquora ſulcans
Euphranor, túque Vnellis vallate Sabine
Quod Mithridates Ægyptum dum territat armis,
Aut Carſulenius Ptolemæi in mollia caſtra,
Quod Piſo, quod vel Lepidus cui Cæſar honorem
Dictator debet, quódque aut Antonius, aut tu
Cornifici quæſtor, quorum virtute timendus
Extulit auguſtum caput, vt iam Cæſaris impar
Subiiceret faſces apici conterritus orbis.
Romani imperij moles, diſcordia patrum
Et plebis, media tot reges fecerat vrbe
Quot prius externis regno ſpoliauerat oris.
Nec iam Roma ſui compos, nec iura ſuperbis
Plebs vltrà poterat dare ciuibus: vrius aſtra
Subiicere imperio gentem ſtatuere ferocem,
Legerúntque ducem de tot modo ciuibus illum
Quem Diuum genus & virtus ſuper aſtra ferebat.
Otia, ciuiles motus, infantia regum
Perdiderant ſic te lacero iam Francia regno

Digitized by Google

Vt spes nulla foret, spreti moderam ne regis
Lilia in antiquum reuirescere posse nitorem.
Numina confusis tunc prospicientia rebus
Ecce repurgato statuunt imponere regno
Selectum de tot ducibus, cui plurima laurus
Parta manu, quem diis chari de semine regis
Progenitum, rerum tantarum euenta manebant.
Iámque potens rerum Cæsar non vltor acerbus
Incubuit cuiquam, cunctos bonitate merendo,
Ciuibus exegit clemens, & comis amicis.
Henricus parto per plurima vulnera regno,
Mitis erat summis pariter regnator & imis,
Iustitiæ custos rigidus fautórque bonorum,
Non vindicta memor occulti fraude veneni
Grassata est, nullóque fides violata cruore.
Fortuna Cæsar non vsus vbique fauenti.
Fortunam Henricus plerúmque expertus iniquam.
Castra videt Cæsar direpta ad flumina Sabis.
Exuitur pariter castris Henricus ad Heruas.
Amisit Cottam Cæsar validásque cohortes.
Bassáci Henricus patruum totásque phalanges.
Gergouiæ Cæsar muris abscessit inanis.
Henricus Pictos aliò reuocatus omisit.
Et vidit sibi magnates insurgere Cæsar.
Henricus sibi primores obsistere regni.
Et Cæsar patrum decreto dicitur hostis,
Hostis & Henricus tota est iactatus ab aula.
Illum proscribunt Romani & Consul vterque.
Hunc Capitolini iaculantur fulmina patris.
Cæsaris aduersus nomen Roma induit arma.

Digitized by Google

In caput Henrici molitur plurima Roma.
Ambitione duces tres Gadibus omnia perdunt,
Discordes atra inuidia stimulisque malignis.
Dorlani totidem fusi, quorum occidit vnus.
Nicopolis præceps Caluinus cæditur vrbe.
Craone fugæ exitióque dati sunt præpete ductu.
Ingentem Cæsar signat tibi Bragada cladem.
Et Germanorum Henrico fert Daunia stragem.
Dyrrhachij Cæsar dum confidentius hosti
Ingruit, aduerso Martis prope concidit ictu.
Aumalij Henricus validum dum negligit hostem
Pene repentino periit certaminis æstu.
Massiliam Domiti capis, Arnantelle Amianam.
Cæsaris extremâ sunt summa pericula Mundâ.
Henrici extremæ sunt summa pericula pugnæ.
Neuter at aduersis infracto pectore rebus
Succubuit. status inimici à plebe reuulsus
Restituens Cæsar nomen sibi clarius affert.
Henricus delens alienæ opprobria famæ
Laude noua vehitur cunctis sublimior astris.
Ambo igitur post tot benefacta ingentia, ciues
Conciliasse rati, cunctis iamiámque salutem
Esse suam cordi, quò sese illustrior effert
Illorum virtus; minus hoc sensere litatum
Inuidiæ, inque dies magis implacabile virus.
Impatiens Cæsar lento torpere veterno
Post mitis documenta animi, post edita sumptu
Ludicra magnifico, & largis conuiuia mensis,
Muneráque in plebem dispersa, & reddita forti
Præmia militiæ, delinitúmque Senatum.

Digitized by Google

Post erecta trophæa, suos & honoribus auctos,
Atque triumphatum noua per spectacula mũdum,
Pacatósque animos, veterísque silentia noxæ
Inducta, & cunctis obliuia iussa querelis:
Iámque animo cœpit maiora agitare sagaci
Metiri ad cursum fastos & tempora Solis
Tollerèque immodicum fœnus, præcidere lites
Gradiuo templum sacrare, ingentia plenis
Bibliothecarum componere pulpita libris,
Luxuriæ dapibúsque suos præscribere fines,
Et pontes reparare, viásque insternere saxis,
Et Terracinæ iunctas siccare paludes,
Fuciníque lacus vndas emittere putres,
Et maria effossis coniungere faucibus Isthmi,
Moliri bellum in Parthos, inuictáque regna
Arsacidùm, veterésque nouis cumulare triumphos:
Imperium vt Tanai sibi finiretur ad Arcton,
Auroram at versus Mœotide, Caspia claustra
Atque pharetratos quà lambunt æquora Persas.
Sic maria atque altos cupiens prætendere montes
Imperio, & cunctis præstare immune periclis:
Non potuit tantis crudelia pectora rebus
Flectere, quæ sæui flagrantia peste veneni
Turgidáque inuidia, tantis clarescere Romam
Non potuere pati factis, & Cæsare tolli:
Nam tres & viginti odio rabiéque furentes
Quos opibus magnis, quos & cumularat honore,
In medio tantum regem patrémque senatu
Confodêre truces, nudum & nil tale timentem.
At superi vltores ferro flammáque cruentam

Digitized by Google

Consumpsere diu gentem, populique rebelles
Viderunt patrio manantes sanguine riuos:
Quémque recusarant dominum, vidêre deorum
Adscriptum numero, & luxerunt lumine cassum.
Henricus cui non quisquam virtute secundus,
Sparsa per immensas cuius miracula terras,
Quamuis externis Francorum colla catenis
Libera reddiderat, naturæ signa benignæ
Maxima præbuerat, regnúmque impleuerat omni
Lætitia, largas intráque & sparserat extrà
Diuitias, virtute, armis, & legibus ingens
Fuderat in cunctas decus indelebile gentes.
Post extincta etiam ciuilis semina belli,
Póstque sibi cunctos vni parêre coactos:
Iámque opportunam ventura in tempora laudis
Materiam nactus, moderari larga volebat
Fœnora, mensarum luxum compescere, lites
Tollere crescentes, metiri Sole sequentum
Annorum spatium; Graiúmque Italúmque vetustos
Bibliothecarum pluteis conquirere libros,
Húcque professores magnis accersere donis,
Pontes instaurare, vias insternere saxo,
Exsiccare lacus, geminum mare iungere, sectis
Montibus, inque vnum transire canalibus amnem
Magna opera iussis, sic vt mirabilis esset
Author & in seros extaret fama nepotes.
Ergo ostendisset bello se posse superbum
Si vellet superare hostem, quem Gallia rebus
Insultare suis, odio quasi sensit auito:
Reddere detractas è regni corpore gentes,

Digitized by Google

Et priſcos fines, quicquid capit Albis & Iſter
Sub leges reuocare ſuas, ratus iſta decori
Conſilij cœpta ingentes habitura fauores.
Infernæ at mentes impulſo Dæmone nobis
Hoc rapuere decus, ſtygio qui pectora cultro
Confodit tanti regis: ſed rector olympi
Non ſcelus hoc immane vnquam patietur inultum,
In coniuratos iuſtum vomet ille furorem,
In veros autem Gallos ancilia mittet
Et torrem nuſquam caſuri pignora regni.
Cæſari & Henrico vegeto ſub corde calebat
Sanguis adhuc, poterántque animis adiungere robur
Imperiſque decus, cum vita ambobus adempta
Vix quinquaginta & ſeptem numerantibus annos.
Quarto caſtra die moturis, ire videres
Fulgentes aquilas, & ſigna nitentia paſſim,
Agmine quadrato toruas incedere turmas,
Concuſſas latè gentes terrore mouêri,
Viribus & nuſquam tantis obſtare paratas.
Auguſtum Cæſar puerili ætate reliquit
Interfectores patris, qui vindice ferro
Per freta pérque ſequens terras, violenta coegit
Figere tela ſibi, gladióque occumbere eodem
Quem prius inſontis tinxiſſent ſanguine patris.
Regibus hinc domitis & gentibus, vndique leges
Impoſuit mundo; fatiſque fauentibus vſus
Vſque adeo, tunc vt ſeſe demiſerit alto,
Hoc regnante, Deus fœcundæ in virginis aluum,
Henricus tenera nobis ætate reliquit
Phœnicem, cui vis animi, natiuáque virtus.

Digitized by Google

Fatáque propitiis riserunt candida Parcis.
Ille bonis æquus semper, nocuisque timendus
Perficiet magno quondam suscepta parenti,
Subiectúmque premens armis & legibus orbem,
Restituet Franca mox pristina iura coronæ:
Gloria sic vnis comes & clementia castris
Reddet inaurati fœlicia sæcula regni.

IN STATVAM EQVESTREM HENRICI IV.

AVgustæ donum Maries, quod Gallia, quod vos
Subterlabentes obstupuistis aquæ
Non tegit insidias sonipes, non imminet vrbi,
Non Priamum sæuæ Palladis arte petit:
Quem penes Europæ paces & bella, sedentem
Henricum Thuscus fecit in ære labor,
Sed quantò Henricus Priamo, Lutetia Troiâ
Regina est maior Pallade, maius opus.

IN EFFIGIEM N. BRVLARTII Sillerij Franciæ Cancellarij.

ORA coronabit laurus victricia Regis,
Sed regni facies ista loquentia erit.

Digitized by Google

IN NOVERCAS E GRÆCO.

ORnabat iuuenis ſerto monumenta nouercæ
Hanc odium vt vitam depoſuiſſe ratus,
Cui lapis illapſus caput obruit, hinc fuge ſodes
Sæpe nouercali felle vel vrna tumet.

E GRÆCO LVCIANI.

VTere diuitiis tanquam moriturus, & idem
Tanquam victurus congere parcus opes.
Eſt animi virtus ſorti moderantis vtrique,
Scire ſuis opibus parcere, ſcire frui.

PRO HOMERO.

QVorſum Mœonidæ doctam facilémque Camœnam
Scommate mordaci Bilbilitane petis?
Scilicet vt iuſta creſcant tibi mole libelli,
Dicendum crebrò τόνδ' ἀπαμειβόμενος
Tu quoque ridendus, quòd pro tibicine verſus
Nominis auxilium ſeſquipedalis ames:
Affectata tibi nam carminis, Æmyliane
Menſuram & quoties Cæciliane *iuuant?*

Digitized by Google

AD IVLIVM CÆSAREM BVLLENGERVM, DE LIBRO SVO aduersus Plessium.

QVartana corpus febre imminuente iacebas
Cùm tibi in aduersos surgeret iste liber.
Exciit affectus lentas è corpore vires
Et pietas animum relligióque dedit:
Sic Iouis immissos elisit filius angues
In cunis, minima roboris auctus ope:
Quid faceres validus? sed sic quoque sentiet hostis
Istam Catholici Cæsaris esse manum.

IN LIB. IV. ÆNEIDOS ORATIONE solutâ Gallicè versum à Tertræo Didò loquitur.

RIdebam quæ sunt de me mentita Maronis
Carmina, carminibus iure neganda fides.
En alius nostrum renouat sermone pedestri
Dedecus & Gallis somnia blanda refert.
Heu vereor grauiora meo ne damna pudori
Historiæ similis iam ferat iste liber.

Digitized by Google

IN ALTERAM EDITIONEM ARGENTRÆI.

SCriptor ab Armoricis iterum clarissimus oris
Detersumque nouo pumice prodit opus:
Condidit æternis complexa volumina chartis
Ius patrium, veteres & sua regna Duces.
Nulla tamen sensit vacuæ piger otia vitæ
Raraque scribendi tempora nactus erat
Namque quaterdenas iudex superauit aristas
Atque fori sedit municipalis apex:
Miremur mediis audentem talia rebus,
Et pectus tantæ molis vtrimque capax;
Argentræus enim scriptor, sed prætor & idem
Optimus. in paucis hæc coiere simul.

AGATHES PLANCINÆ TVMVLVS.

HIC Agathe Plancina cubo Lemouicibus orta
Quinque maritali quæ lustris lege peractis,
Impleui castos numerosa prole penates:
Fida viro, deuota Deo, dum vita manebat;
Iniecit mihi Parca manum crudelis, vt essem
Delitiúmque Dei desideriúmque mariti.

Digitized by Google

VIRO ILLVSTRISS. MATTHÆO MOLE' PROCVRATORI GENERALI REGIO,

Eucharisticon ex tempore.

NON hominum vitas cæcæ temeraria sortis
Mobilitas dubiæ versat in axe rotæ,
Nec nos, illa Sophis fixi vis credita fati
Alligat arcanis imperiosa modis.
Ipsa nec in lucem præsunt venientibus astra
Quæ nostras animas non animata regant:
Sed genus humanum quodcunque his vescitur auris
Temperat immensi prouida cura Dei,
Fatáque fortunásque virûm tenet arbiter vnus,
Deplet & alternâ dolia bina manu,
Prospera nunc miscens aduersis, tristia lætis
Pro cuiusque suas conditione vices:
Aut etiam pœnas interdum & præmia differt
Non vestigandus gaudet & ire vias,
Sæpe repentino dum deiicit ardua casu,
Dum desperatis fert quoque rebus opem,
Et venit instantes dextrâ fulcire ruinas,
Qui potis est hominum fallere lumen habet.

Digitized by Google

En mihi diuinæ velut experientia curæ
Iam procurator Cæsaris esse queat,
(Cæsare maioris si quem penes omnia Regis
Non tituli impatiens inferioris erit,)
Is mihi, cœlesti monitus, reor, alite, durum
Non expectato munere deuipsit onus,
Fecit & afflictæ scribens optata senectæ
Otia, quo suadet pondere tantus apex,
Pronáque totius scriptum reuerentia legit
Ordinis, à tanta quod stupet esse manu:
Talis enim quas non regni reseruauerit arces
Litera? quis contra tendere iussa velit?
Quod mirere magis, vir seruantissimus æqui
Audit, ea legum vindice certa fides,
Et censor morum est, primis & semper ab annis
Huic pietas cordi relligioque fuit,
Horruit ultorem validis constricta catenis
Impietas præceps, ausa negare Deum
Et nihil inuersum patitur, nihil esse solutum
Antiqui moris iustitiæque tenax.
Attamen immunes istis consistere terris
Et totâ solui nos statione iubet:
Quamuis non hominum quisquam clementiorilla
Nec magè mansueti pectoris esse potest,
Haud temerè tamen indulget, frænosque remittit,
Cui grauis in proprio regula fratre placet.
Hunc pia nostrorum sensu affecere malorum
Numina, sunt omni quæ graviora fide.
Forte reuelatos & monstrauere labores
Finitei Oetæ quos Iouis nate regis,

Digitized by Google

Causa quibus plus est quàm sontica, quosque seuerus
Communi iudex soluere lege velit.
Seu Deus hunc mouit, sua seu natura benigni
Impulit authorem muneris esse mihi;
Immemorem facti me nulla coarguet ætas
Méque sibi nexum tempus in omne sciet.
Tentarunt eadem forsan quibus æqua potestas,
Bisque à principibus littera missa viris:
Sed non idem animus fuerat, non æqua voluntas,
Illis parua meæ cura salutis erat.
Illusit fortuna mihi, cumulósque malorum
Tale nihil merito bina repulsa fuit.
Cùm mala non pateant odiis extrema, nec vllam
In nobis habeat iam noua plaga locum,
Non fuit indignum superis calcare iacentem,
Et noua post multam vulnera ferre necem,
Egregiam laudem pulcra & duxere trophæa
In profligatum fulmina missa caput.
Musa querelarum sed desinat, ore fauendum est.
Ominis aduersi vox modo nulla sonet,
Debita Molæo dum promi gratia certat
Nusquam sat dignis concipienda sonis:
Exuperant nostras benefacta ingentia vires,
Illa reponendi copia nulla datur.
Vnde profecta sibi speciem de culmine sumunt
Et maiestatem munera dantis habent:
Si concessorum crescit mensura bonorum
Quò qui dat maior, qui recipitque minor,
Infinita quidem faciet distantia, magnum
Hæc tribuentis opus, hæc capientis onus.

Digitized by Google

IN SECVNDVM RECTORATVM VORTVMSAXI PANEGYRIS.

EN tibi, per gemini ſpatium reuolubile luſtri
Intermiſſus honos, Phœbaáque purpura, rurſus
Induitur, præeúntque noui veſtigia faſces,
Et regis Aonias iuſto moderamine turmas.
Scilicet Octobreis veniunt fœlicibus Idus
Auſpiciis, & nos vultu meliore tuentur
Cœleſtes, propiúſque tuis, Academia, rebus
Dignantur ſacras intendere numina curas.
Non aliâs doctis ea conſuluêre Camœnis,
Aut ſtudiis iuuenum magis, & vocalibus antris
Pieridum, quàm te cum Vortumſaxe verendum
Præfecêre ducem nobis, cultúque decoro
Ornauêre caput, vel cùm ſuffragia cœtus
Incorrupta tibi communi voce tulerunt.
Ergo tribus memores, quod ſtans Academia quõdam
Imperiis commiſſa tuis, erexerat altum
Artibus ingenuis caput, hæc inſignia rurſus
Tota tibi, & ſummos iterant Rectoris honores.
Sit fœlix fauſtúmque, & ſis vtroque potitus
Imperio, Latiis per idonea tempora Muſis,

Digitized by Google

Dum bona pax rediit: ſic te fœlicia talem
Rectorem, clauſo mereantur tempora Iano.
Nam dum vicinas committeret impius vrbeis
Mars nuper, gemerétque graui colliſa duello
Gallia, & heu! dira peterentur corpora peſte,
Tùm deiecta ſuis Academia ſedibus, exul
Huc illúcque ſuos errans ſpargebat alumnos,
Ipſaque tam triſti Rectoria purpura caſu
Induerat pullum penitus mutata colorem.
Tu patriam hinc, & quod tua primũ infantia cœlũ
Hauſerat, & teneris pulſum vagitibus axem,
Aduena iam notus petis, & meliore ſalubrem
Temperie Cadomum accedis, nouus incola, & hoſpes
Indigena, externis veniens inopinus ab oris.
Illic (vt perhibent) Muſis digniſſima ſedes
Eximios capit arte viros, inuenúmque frequenteis
Omnigenûm turbas, ſubſelliáque ardua pandit:
Quæ ſimul aduentus eſt conſcia facta, repente
Exilit, & blandas tibi porrigit obuia dextras,
Immenſumque ſuis orat ſuccedere tectis.
At tu deſidia lento torpere veterno
Indocilis, votiſque ſcholæ, votiſque iuuentæ
Annuis, & quamuis maiora vmbracula quondam
Impleſſes, caperétque Lutetia ſola docentem:
Tu tamen indulgens patrio manſuetus amori,
Non refugis. Iam tota ruit ſtudioſa iuuentus
Auditum. Iam docta tua reſonantia voce
Pulpita, & Auſonio tritæ ſermone columnæ,
Inter Palladios condenſant mille penates
Ingenia, & ſacris denota examina Muſis.

Digitized by Google

Illic Romanas alta caligine mersas
Res aperis, gentis Graiæ, gentisque togatæ
Acta doces, priscis Circi spectacula libris
Eruta, Olympiacæ necnon certamina palmæ
Exponis, veterúmque palàm monimenta recludis,
Tam vsrè, quàm si transacto vixeris æuo,
Inque nouum corpus te longa receperit ætas,
(Quæ fuit Italicæ vesania credula sectæ)
Nota dabas antiqua, tuóque ex ore loquentis
Vincta catenatæ pendebant agmina turbæ.
At Cadomi proceres meritis pro talibus, vrbi
Te voluêre suæ mansurum ascribere ciuem:
Et seu tu Latiam velles narrare, professus
Historiam, seu tu malles ciuile, fluenti
Eloquio, densæ ius explicuisse coronæ,
Publica spondebant redituri præmia census:
Sed laudis maioris bonos, vrbisque relictæ
Sollicitabat amor mentem: nec plura moratus,
Non studium tinis spernens, non munera captans,
Rursus agis cupidas Parisina ad mœnia Musas:
Et te haud cunctantem rediuiua Academia votis
Vrgebat tacitis, & amans reuocabat amantem.
Hæcego dũ memoro, tacito mihi murmure Laurus
Respondent, mugítque sacris cortina sub antris,
Et procul Ascræum nemus assonat. vnde repentè
Auditur mihi plausus? adest in limine nostro
Rector Iô Rector, quem circunfusa noueni
Ambit turba chori, quem Pallas, & almus Apollo
Et Charis, & suadæ comitatur Diua medullæ.
Quocúnque ingreditur, lætus quatit æthera clamor

Digitized by Google

VIVAT Cumæos cunctis orantibus annos.
Cernis vt incedens radiatæ purpura lucis,
Barbariæ rigidam sternat velut ignibus Hydram?
Quattuor ingentes, argentea pondera, clauas
Alter vt Alcides torquet, quibus horrida monstra
Exigat, & tutum Musis accommodet orbem.
Iámque triumphales Harcuria culmina lauros
Attollunt: ô laurigeri penetralia Phœbi
Quantus Iô vestris successit sedibus hospes?
Nec nouus ille tamen, quem doctâ voce tonantem
Iamdudum, & vestra primum vidistis in aula.
Fœlices nimium fortunatique penates
Quos Charitum præses colit, ac insignia summi
Imperij exornant, isthuc studiosa iuuentus
Confluet, & suaues numeros, & prospera vobis
Vota feret; tum turba sacras procedet ad aras
Solenni pompa, quæ pro Rectore, secundis
Thura ferat gratos Diuis halantia fumos.
Tu verò cui prona suos Academia fasces
Detulit, & totas rerum commisit habenas,
Opprime flammanti venerabilis Ægide, tetram
Barbariem, quæ victa tuis iam colla catenis
Subiicit, & fractas mœret languescere vires.
Nec modò tu bis purpureo contentus honore,
Quæras priuatum ventura in tempora nomen:
Te quoque septenos fas sit contingere fasceis
(Quæ Marium quondam spes ambitiosa tenebat.)
Sic vbi, Barbarie oppressâ, partoque trophæo,
Retuleris placidam virtutis ad otia vitam,
Multus in æternis Rector celebrabere fastis.

Digitized by Google

DIVI IOANNIS AD PORTAM LATINAM TRIVMPHVS.

INuehitur (dicamus Io bis térque) Latinâ
Victor Ioannes portâ: ſtupet ipſa triumphos
Roma nouos, & iam ſæua victricia mortis
Corda viri, ſpretáſque cruenti Cæſaris iras.
Scilicet haud iſtam Tarpeio vertice laurum
Iuppiter irriſus, læti ſed regia cœli
Accipiet, meritóſque dabit per ſidera plauſus.
Victa ſuperſtitio cæcis errórque retectus
Gentibus exarſit violentiùs, vndique pulſos
Ingemuere Deos vni decedere Chriſto.
Quin conſternatos vis hæc male-ſana Quirites
In furias rabiémque dedit. Patiemur auitos,
Queis ſtetit imperium hoc, terris aboleſcere cultus?
Inducíque alios ritus? Chriſtique vigere
Nomen inauditum proauis? ſic flectere corda
Credulitas poterit, ſpretóque illudere cœlo?
Quinetiam noſtris bellum parat impius aris
Aduena, Romanaque (nefas!) imponere genti
Sperat, & iniectis ceu circumducere frœnis
Tot rerum dominos, Latiúmque euertere morem?

Sed pereat ſacer impoſtor, credendus & illis
Chriſtus eat populis quibus obſita pectora nube
Cimmeriâ torpent. His incaluere profani
Irarum ſtimulis, mox ingenioſa profudit
Sæuitiam bilis, Siculo grauiora iuuento
Supplicia exercens. Vinctus demergitur heros
In pice torrentem rapidóque humore lebetem.
Mitior at iuſſa ſubitò reuerentia flammæ
Cedit Ioanni, vincliſque repentè ſolutis
Erigitur, picei mediáque voragine fumi
Intactus Chriſto laudes & carmina dicit.
Miratur feritas, atque olim neſcia vinci
Victa gemit, turbæque ſtupent, trepidique fatiſcunt
Carnifices. ô! victorem comitentur ouantes
Cudendis gens nata libris, gens nata legendis.
Ille vehens curru volucri ſuper æthera ſecum
Attollet, celsiſque dabit conſidere regnis.
Aut ſi fas nondum ſuperâ ſtatione locari,
Iudiciique diem ſpatiis fœlicibus heros
Sepoſitus manet, atque hauſturas omnia flammas;
Hos quoque mortali degentes ſorte iuuabit,
Vt ſua quemque ſinent æuum traducere fata.
Innumera æratis ſignare volumina formis
Concedet: tum larga ferent compendia libri
Aere laborati, nitidæque nepotibus artis
Vſus erit Graias Latiáſque euoluere chartas
Immunes mendis, & puram noſſe Mineruam.
Scilicet & Chriſti comes, & de quattuor ille
Cœleſtis Verbi præconibus, edita vera
Mente manúque tulit cunctis bona nuntia terris,

Digitized by Google

Testatúsque Deum mundo: mox alite pennâ
Nubis in aerios tractus se sustulit, alto
Inseruitque polo caput, & miracula rerum
Non cernenda oculis mortalibus introspexit.
Hinc coram auditus referens à numine voces
Edidit, arcanísque inuoluit vera tenebris,
Quæ non humanæ penetrabit mentis acumen,
Nec nisi plena Deo capient mortalia corda.
Diue, tibi calami dextrâ consurgit arundo,
Suppositæque manu tabulæ pinguntur, & olim
Scripsisti longi quæ non aboleuerit ævi
Vlla dies, nostræ præconia certa salutis.
Scriptores, prælisque adeò mandare professos
Scripta foue, cúmque exactis prope mensibus annus
Ferali circum se tristior egerit orbe,
Posce Deum, veniet Francis lux vndique rebus,
Seruabitque piæ Gallos tutela parentis,
Crescet & in patrias fœlix Lodoïcus habenas.

V. C. PETRO BERTIO
de sua præfatione Becodiana.

NON quia te gelidæ misit vicinia Thules
Rhetora, nec solâ tu nouitate places,
Publica facundis sederim suffragia dictis
Es meritus, verâ nec pietate minùs.
Aut fatuum, si queis hæc displicuere, palatum,
Aut illis auris fortè Batâua fuit.

Digitized by Google

AD VIRVM CLARISS.

ROBERTVM PASSARTIVM.

SERENISSIMI GASTONIS
Franciæ filij ærario præpositum.

RVRE latêre meas ergò, nec liuida, nugas
Fata sinent? etiâmque suis male tuta sepulcris
Carmina nostra, diem multo visura pudore
Effodient? quid me Passarti prodis amicâ
Sedulitate nocens? animi testésque iacentis
E Campiniacâ contrà me colligis arce
Inuidiæ versus? satis ah! & si quæ supersunt,
Ludibrium Criticis debebant talia nasis:
Nec fuit optandum censuræ accedere tristi
Vt loca lustrares altâ celantia nocte
Languores nostros, ægrique miserrima partus
Pignora. semideos fateor meliora decebant,
Iussa cani: sed quòd doctis legerentur Athenis
Illâ procul, nostrósque hîc rustica redderet Echo
Sola modos, fauor heroâ nec regius aurâ
Spiraret, tenui vox debilis excidit ore.
Inde tamen densâ tu nube premenda reportas,
Emensus Ligerim, dum claras inspicis vrbes
Gastonis, totáque illi ditione recenses
Immensos reditus terrarum, quæque secunda

Digitized by Google

Credere fraternis par vectigalia sceptris:
Necnon & ripas vltrà citráque relinquens
Fluminis, ad cineres soceri & dotalia flectis
Oppida, post matrem male-fausta vulnere cæsam
Lucinæ, dominas natæ venerantia cunas:
(Et socero maior gener est, & filia matre.)
Scilicet illa tuis digna est prouincia curis
Passarti, fidis heroas perge moreri
Obsequiis, tua nec lateat solertia reges,
Seu te pax seu bella vocent, ad vtrumque parata
Vis tibi, nec quàm sis generoso pectore, longâ
Notus amicitiâ fallis, quibus artibus olim
Instructus venias, tua quamquam infantia tristes
Fortunæ est experta vices, aciéque cruentâ
Occumbens genitor, bimum & cum matre relinquẽs
Te viduâ, teneri tibi spem tardauerit æui,
Præsidio caritura domus; maturus adulti
Se vigor ingenij tamen extulit, orba nec ætas
Incrementa minus quamuis extracta recepit:
Naturæ genio retinacula sortis acerbæ
Eluctante tibi, generoso vt patre creatum,
Atque animo fortem, solertem & rebus agendis
Tandem te magnæ Gastonis sisteret aulæ.
Hæc tua me gratis virtus obstringere vinclis
Si volet, officiis certes melioribus, opto,
Longinquo exilio & tristi damnata recessu
Carmina nec peregrè referas, quæ perdita pridem
Optaui, sed des potius mihi cernere finem
Inuisæ litis quæ nunc sub iudice restat:
Hanc tuus affinis te commendante senator

Digitized by Google

Finiat, atque æquo ius nostrum examine libret:
Aut iam Parca mihi duræ infœlicia vitæ
Stamina perrumpat, si lis aliunde negatos
Insuper inuideat somnos, hoc numina posco,
Hoc ego fortunam, caros & munus amicos,
Addere nil crucibus. quid me prostare tabernis,
Atque operis Sosiorum algentibus æra mereri
Sollicitant? me sola iuuant nunc otia fessum
Exhaustúmque malis, cœli & decreta morantem
Vltima. quem nusquam thyrso percusserit acri
Laudis amor, nusquam fuerit cui vita, superstes
Quî potis esse sibi? chartæ calamique facessant,
Carminaque intereant inuito extorta, nec vlli
Offendat stomachum repetitæ nausea crambes.

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS HENRICI BORBONII DVCIS MOMPENSERII, Dumbarum, &c.

TVMVLVS.

SEV te sectantem fallacis inania mundi,
Seu monumenta virûm lustrantem fortè, Viator,
Detinet in nostris cura haud ignobilis oris,
Huc age, quis magnæ tandem fuit exitus vmbræ,
Et Mompenserij sanctos cognoscere manes

Digitized by Google

Ne pigeat: ſed nec victrices marmora lauros
Hæc tibi narrabunt, nec tanti principis arma,
Fortunámve domus: procul iſta faceſſere iuſſit,
Aſſurgens cœlo, terráſque reliquit inanes.
Erexit pietas animum nil regna morantem,
Aut humanarum faſtigia lubrica rerum,
Splendidáque incertæ riſit ludibria vitæ:
Scilicet exemplum reliquis mortalibus ingens,
Tollere humo mentes, nec res ardere caducas.
Iamdudum dirâ conſumptus febre iacebat
Februa Luna ſuum quàm longa peregerat orbem:
Degeneris nuſquam tamen illi verba querelæ,
Impatiénſque ſui morbus ſæuíque dolores
Extorſere: Deo ſummas pro munere grates
Ipſe fatebatur, morbi quòd longa dediſſet
Tempora, & inſtantem non exhorreſcere mortem.
Inde frequens puro ſuſcepit pectore numen,
Libauitque dapes ſacras, ſolúſque ſacerdos
Arbiter hîc, mediæ poſt alta ſilentia noctis:
Iámque toro acclinis nullis non ille diebus
Intererat ſacris concepta precantis ad aram.
Quin & adoratum Laureta miſerat ædem
Virginis, ex voto: tabulis mox deinde ſupremis
Multa dedit mandata pium teſtantia pectus,
Multáque fundatis ſuperûm donaria templis.
Filia quæ Francæ nuptum datur vnica proli,
Agnatos regum nurus intratura penates,
Tot patrum titulos hæres, tot regna, tot vrbes
Dote trahens: ſi fors ſobolis deceſſerit expers,
Francia ſuccedat, ſceptríſque accreſcat auitis

Digitized by Google

Tanta domus, tot opes. inter famulantia natæ
Agmina, sit nullus fidei desertor auorum,
Cui gradus officij discendáve iura per arces
Aut mandetur honos. Et iam suprema vocabat
Hora virum: Coniux oculos perfusa madentes,
Quo gemitu, queis non pulsauit questibus astra?
Illa Ioüsæa lux formosissima gentis,
Illa pudicitiâ priscas transgressa Sabinas,
Et pietate nitens. Lacrymas interritus Heros
Coniugis adspexit consolatúsque dolentem est.
Huic socer, ipse sibi spreta tellure superstes,
Assistens, idémque pater, speranda monebat
Elapsæ vinclis animæ, cùm carne reuinctus
Angelus iret adhuc, viuúsque capesseret astra:
Quem vili panno, nudísque per aspera mundi
Vadentem pedibus, generi reuerentia maior
Suspexit, quàm dum celsos præferret honores.
Hic Montholonius curas lenire iacentis
Suetus, & orbatæ moderator maximus aulæ
Adstabat, cui vera dedit prudentia, regum
Consiliis inferre pedem, rerúmque sequestrum
Integritas longo pollens felicior vsu
Constituit, tantæ curatorémque puellæ.
Illæ, vbi lustratus confesso pectore princeps
Rursus, & æternæ repetiuit ferculа mensæ,
Inuictúsque pugil extremo membra perunctus
Est oleo: vetuit morientis limina pandi
Nobilibus, solos passus succedere tectis
Quos pia sacratæ decorabat regula vitæ:
Ne vox purgatas malè-fausta incurreret aures,

Digitized by Google

Surgentémque animam cœlo & migrare parantem
Tardarent vani rursus contagia mundi.
Verùm vbi sopitis luctatur in æthera totus
Sensibus, extremæque natat caligine noctis,
Sponte suâ patuere fores, nulliqué videri
Est vetitus, sonuítque altis ploratibus aula.
Nec præmaturi causam te funeris, hospes,
Præteriisse velim. Dum regnum vindicat armis,
Et Druidum muros premit obsidione rebelles
Rex magnus, ductóque illi stat in aggere princeps
Impiger, & primâ lauros captante iuuentâ:
Desuper obsesso fortè huic libratus ab hoste
Fulmineus petit ora globus, quo vulnere sanguis
Plurimus erumpens & ad interiora refusus
Corrupit certâ tandem vitalia peste.
Felix qui potuit meritis vtrimque probatus
Sic animam cœlo, patria sic reddere vitam!

EIVSDEM ET ACHILLIS COMPARATIO.

PAR Mompenserij sors est & Achillis: vtrique
Virgineus puero finxerat ora decor:
Blandáque quæ teneras decuisset forma puellas,
Celabat tacita martia corda face.
Regibus illustres atauis, & originis ambo
Tangebant ipsos nobilitate Deos.
Hos patriæ primâ traxerunt bella iuuentâ;
Hos quoque periurus mouit ad arma Paris.

Digitized by Google

Ambobus licuit senium praeponere famae,
Securósque domi continuare dies.
Expertes decoris, longos nec ducere soles,
Nec patriis opibus sustinuere frui.
Sustulit obsidio fatalis vtrumque, secuta
Causa eadem praesens atque futura necis.
Hos multis similes inter se partibus, aequat
Seu breuitas vitae, siue peremnis honos.
Plurima conueniunt: verùm id discriminis ambos
Separat; hic comis moribus, ille ferox.
Vulneris ille breues, longos tulit iste dolores:
Ille citus ringi, nescius iste queri.
Pelides talo, sed noster saucius ore,
Vulnere pugnantis non fugientis obit.

IN EVNDEM EPICEDIVM.

AVgustos cineres, adscriptáque stemmata cœlo
Mompeseriadum, supremus nominis heros
Henricus tumulo secum tegit, altera Francae
Munimenta domus, quae per tot ducta nepotes,
Nuper adhuc duplici surgens se stirpe ferebat.
Inuidit terris cognati regia cœli
Hunc inuenem, tanti nec saltem sanguinis vnum
Haeredem Gallis heu! festinantia fata
Passa dari, regnóque nouas sobolescere vires.
Vna patri, rerum solamen dulce, superstes
Filia, fronte rosis & moribus aemula matri,
Diis genita & genitura deos, cùm virginis aetas

Digitized by Google

Pronuba maturos votis admouerit annos,
Et nurus agnatæ fœlix successerit aulæ,
Fœdere quod sancti pepigere vtrimque parentes,
Quod poscunt eadem coituræ in nomina tædæ,
Lætáque fraternâ Luparæ palatia flammâ.
Audiat, atque etiam hæc superus ascendat ad oras
Fama patri: natámque, altorum semina regum
Nuntiet in nullas æuo transmittere metas.
Interea, niuei quâ ducitur orbita lactis
Ipse sui generis merito super vltimus axe,
Ingentes animas & mascula robora viset.
Néve maris desint illi solatia sexus,
Agnoscet laudes & grandia facta suorum
Tradita perpetuis ventura in tempora fastis:
Quâque pererratum sol circumuoluitur orbem
Quâ circumfuso se porrigit æquore tellus,
Non ignota suæ populis præconia gentis,
Nec tria transuersâ candentia lilia virgâ,
Priscum insigne domus, delapsáque nubibus arma.
Sed neque maiorum cunctos fœlicibus vmbris
Debebit titulos, aliena luce videndus,
Et proprij fulgoris inops, cumulabit honores
Magnanimus postremus auis, quois flore sub ipso
Sublimes animos & magna æquauerat orsa.
Cætera præcipiti spes intercepta sororum
Stamine: sed iuueni virtus ingentibus ausis
Emicuit, Druidum vulnus cùm fortè sub altis
Excepit muris, aduersa petitus in ora,
Exhaustúsque suo sæua inter bella cruore,
Vnde mali primùm vis est illapsa medullis,

Digitized by Google

Imáque peruasit lentâ vitalia tabe.
Cúmque per Oceani positas in littore gentes
Armoricos tenuit tractus & regia castra
Imperio, externúmque iuit metuendus in hostem.
Magna quidem, sed queis etiam maiora supersint:
In Regem miranda fides, in numina maior
Iuncta fide pietas: animus calcare caduca
Intrepidus, dudúmque minatæ occurrere morti:
Et cessisse malis aut indulsisse querelis
Nescius: immitisque adeò patientia morbi,
Vnicáque æternis semper fiducia rebus.
I, iacta patriis longinque penatibus hospes
Nobilius nulli visum, nullíve videndum
Marmor, & hîc viuos Herôis degere manes.

D. O. M. V. Q. M.

HENRICI BORBONII Mompenseriæ stirpis vltimi, principis fortunâ iuxtâ ac virtute maximi hîc deposita sunt ossa, vt qui claritate regij generis & famâ nominis orbem terrarum impleuit, idem Campiniacum maiorum sepulcrum nouissimis his exuuiis ac visendis cineribus cumulet. Adolescentiâ bellis ciuilibus strenuè exercitâ, primísque stipendiis in propinqui regis Henrici Magni eximiâ beneuolentiâ & caritate, in publica Galliæ luce atque gratulatione actis, cùm redditam immortali Dei beneficio, Franciæ

Digitized by Google

pacem, consuetâ in Regem obseruantiâ, ingenitâ in omnes humanitate coleret, contracto, ex vulnere quod diu antè in obsidione Druidum acceperat, lentæ phtisis morbo, lethali febre decubuit. Ibi suprema necessitas, inter acutos dolores, totum Februarium mensem, non minùs piè quàm fortiter & constanter à principe tolerata, Deo etiam pro non inopinâ morte grates actæ, sumptum crebrò ac reuerenter Eucharistiæ augustum viaticum, audita quotidie de lectulo, solo sacerdote arbitro, per conticinium noctis sacra, vota Deiparæ virgini Lauretanæ nuncupata, móxque per idoneos homines persoluta, conditum testamentum, ingentibus & piis quà in Deum, quà in patriam legatis, ornata donariis templa, substituta vnicæ filiæ, si quid puellæ humanitùs accideret, in tam amplam hæreditatem Francia, eadem summæ spei excellentísque formæ virguncula iam tum vni Regis liberorum confectis rite tabulis pacta, datáque subinde ad posteros mandata, ne quis maiorum religionis desertor in ditionibus charissimæ filiæ ad officia & præfecturas admitteretur, vt viuum pietatis antiquæ studium etiam in moriente agnosceres. Ipse quamuis exhausto viribus corpore, spe vitæ melioris erectus & alacer, sanctissimæ vxoris, incomparabilis heroïnæ Henricæ Catharinæ Ioiiseæ insolabiliter flentis conso-

Digitized by Google

lator, inter ſollicitos & mœrentes familiæ vultus, vnus intrepidus, ſocero cœleſtia monenti gener, Patri Angelo in amore Dei generatus filius operam dabat: relicta pridem Montholonio rerum humanarum, totius auiti dominij, & principis puellæ curâ, ſpectatâ multis magníſque experimentis illius viri fide atque prudentiâ, qui vt incolumi appoſitus à Rege ſapiens conſiliorum author adhæſerat, ſic poſt reguſtatas puriſſimo pectore diuini Sacramenti epulas, & inunctum ad extremam luctam Chriſtiano ceromate corpus, faciliorem in cœlum morienti viam munîuit, iuſsâ occludi aulicis, pacem migrantis animæ fortè interpellaturis ianuâ, donec princeps amiſſo ſenſuum vſu, nullo iam interpellationis periculo, datus eſt ſuis pariter ac extraneis, ad fragilitatis humanæ ſpectaculum, & verè Chriſtianæ mortis exemplum conſpiciendus. Maria Borbonia vnica tanti principis, tantæque domus & nominis hæres, virgo in orbitate adulta, Mauſolæo ſui pectoris, & hoc marmore Patri ad æternam memoriam parentauit.

Obiit anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo octauo pridie Calendas Martias.

Digitized by Google

AD V. CL. IACOBVM VASSORIVM ARCHID. NOVIODVNENSEM, DE IOSSINIACO EIVS SECESSV, & Antithesewn editione,

ELEGIDION.

ABstulerant vrbi ciues, & ciuibus vrbem
Funera vulgatæ dira repente luis;
Fugerat éque adytis Phœbus, trepidæque sorores
Ibant quà cœlum, quáque salubre solum:
Tu Iossiniaci per amœna silentia ruris,
Interea pigros non sinis ire dies:
Nam tibi, Vassori, comes est Academia, tecum
Vmbriferos saltus turba nouena colit,
Quò neque contagem spirat violentior Auster,
Iniicit audaces nec Libitina manus.
Hìc paria in doctâ rerum committis arenâ,
Et verum falso cominus, astra solo.
Virtutes vitiis certare furentibus armas;
Ceu Bitho contrà Bacchius ire solet:
Cernimus hìc æquo iam concurrentia Marte,
Quæ natura potest, aut homo mente capit.
Sanguine tota vacant spectacula, vulnere sæuo
Tingit rorantem nec gladiator humum.
Sed tibi, Vassori, quem fas componere? siue
Spectemus rerum pondera, siue modos?

Digitized by Google

Scilicet hoc etiam miratur doctior orbis
In tot te paribus non habuisse parem.

CLAVDIO GARNERIO

DE LAPSV REGIS ET REGINÆ ad pontones sancti Germani aut traiectum Nulliacum.

ESTIS Iô superi! Cæsar fortunáque Franca
Emersit patriæ gurgite sospes aquæ,
Namque vehens Regem fluuiali Sequana lembo
Erubuit mediis destituisse vadis.
Hunc lapsum senis ab equis, currúque cadentem
Reginam excepit, sustinuitque manu,
Protinus & viridi sistens in margine, iussit
Seruatum imbellem, Naiadas ire, gregem.
Officium inuidiâ minus est, & Gallia clamat
In Maiestates hoc scelus esse duas:
Deierat insontem se Sequana, nunc quoque lis est
Contigerit per equos, casus hic, an per aquas!

AD EVNDEM.

VT deriuatus sexcenta per ostia Gyndes
Quod Cyrum rapido læserat amne, perît,
Sic per te, pœnas violati Sequana Regis
Traductus, dederit, mille per ora virûm.

Digitized by Google

PAVLO BVDOTIO THEOLOGO ET CONCIONATORI EXIMIO.

ÆThereis cùm te video ſuccendere flammis
Pectora, & iratos conciliare Deos.
Hæreticos contra, cum ſummi verba tonare
Numinis, & ſanctas ore ciêre minas,
Tunc ego te admirans fœlicia tempora clamo
Lætus, & ætati gratulor inde meæ:
Namque quod optanti non contigit Auguſtino,
Orantem Paulum ſæcula noſtra vident.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΠΑΥΛΟΝ ΒΟΥΔΩΤΟΝ ΕΓΚΩΜΙΑΣΘΕΝΤΑ ΚΑΙ ΠΕΤΡΟΝ τὸν ΟΥάλεντα ἐγκωμιαστήν.

ΟΥΤΙ ἁμαρτοεπὴς, Βουδῶτον πρῶτον ὃς εἴποι
Ἐν δημηγορίαις ῥήτορα Χριστιανάις.
Τοῖο μάλ' αὐδήεντι κακοὺς πλήσουσα κεραυνῷ
Ὀμφὴ, ὡς βροντὴ ἐῤῥάγη ὑρανόθεν,
Μάρτυς ἀληθείης μεγαλόθροος ἴαχε Ἁλπιγξ
Δεύτος ἀπ' ἠελίου μεσφ' ἀνατελλομένου.
Αἱρετικοῖς ὄλεθρόν τε καὶ ἐλπίδα εὐσεβέεσσι,
Τοῖς δ' ἀνέγειρε νόον, τοῖς δ' ἐνέφυσε φόβον.

Digitized by Google

Οὐδ' αὖ δὴ ἀπίνυσε, Βάλεντα μὲν ὅσγε νοήσῃ
Ῥήτορα Αὐσονίῃ πρῶτον ἐν εὐεπίῃ,
Τοῖο γὰρ ἐν στομάτεσσι τιθαιβώσουσα μέλιτα
Νέκταρ ἐνέσταξεν χείλεσι Κεκρόπιον.
Οφρ' ἀρετὴν κεδνοῖο ἀείσῃ κ' οὔνομα ἀνδρὸς
Βουδώτου, ἄλλων καὶ κλέα ἠμιθέων·
Αμφω τρισμάκαρες ἀνταξιον ἄνδρα λαχόντες,
Κεῖνος ὅτ' εὐσεβείης, τοῦτ' ὅδ' εὐεπίης.

IN LIBROS METAMORPHOSEON Ouidij à viro clarissimo Carolo Massaco Gallicè conuersos.

QVÆ modò mutatas testantia carmina formas
Ausonij fuerant nobile vatis opus,
Massacus Latiæ iamiam nihil indiga linguæ
Reddidit in patrios emodulata sonos.
Procedunt alio ter quinque volumina cultu,
Claráque mutatâ conditione nitent.
Lecta prius, tetricis vix intellecta magistris:
At nunc virginea sæpe terenda manu.
Quæ matrona leget, quæ cultior audiet aula
Et mirata nouas Gallia mater opes.
Corpora Dij mutant, sed qui sic carmina mutat
Massaci Diis est æmulus iste labor.

Digitized by Google

D. Mariæ Carnutensi.

MATRI DEI, REGINÆ CŒLI, SIMVLACRVM RVPELLÆ CAPTÆ ARGENTEVM, AVREO DEVOTÆ MENTIS AFFECTV AD DONARIA APPENSVM, QVOD REGINAM SIBI COGNOMINEM, MAGNI REGIS VIDVAM, MAIORIS MATREM, PERDOMITA A LVDOVICO FILIO SEXAGINTA AMPLIVS ANNORVM REBELLIONE, VOTO DAMNAVERIT.

Saxea displicuit superis, argentea facta est
Vrbs æquata solo, iam statuenda polo.
Euersa postquàm speciem Regina dicauit,
Nec Regi inuisa est, & placet illa Deo.

Digitized by Google

IN VERSVS V. C.

IACOBI PINONIS SENATORIS PARISIENSIS, DE CRVCIFIXO.

HINC faceßite blanduli Catulli:
Hinc diſcedite comptuli Tibulli:
Naſones procul, & procul Marones:
Et ſi qui numeros cient profanos,
Concinúntve modos parum pudicos.
Iocoſæ mihi diſplicent Camœnæ
Iſto tempore macerationis,
Pœnitudinis, atque lacrymarum.
At vos patriciæ venite Muſæ,
Plenæ mellis & elegantiarum:
Docta carmina candidi Pinonis,
Qui graui pede ſacra Chriſtiana
Ingentémque canit crucis triumphum.
Mel[illegible]ißimus omnium poëta:
[illegible]errimus omnium ſenator.
[illegible]umenta fide petens ab ipſa,
[illegible]uæ Prudentius & pius Iuuencus,
[illegible]uthorúmque alij vetuſtiorum
[illegible]pſerunt Latio canenda verſu.
[illegible]lcedine non ſtili Catullo,
[illegible]lce[illegible] carminis Tibullo,
[illegible] aut Maroni.

Quare

Digitized by Google

Quare patriæ venite Musæ,
Plenæ mellis & elegantiarum:
Docta carmina candidi Pinonis
Vos exosculor, ô piæ Camœnæ,
Et totis relego lubens diebus,
Isto tempore macerationis,
Pœnitudinis, atque lacrymarum,
Duro Iuppiter! & laborioso.

IN LEGATIONEM DVCIS FERIÆ.

QVID rursus male feriatus ad nos
Redit Feria? filiusne captam
Amissamque patri reposcit vrbem?
Ipso nomine Panicus repente
Vulgum perculit horror, inque mentem
Venit temporis illius, superbos
Cùm Lutetia passa Celtiberos,
Non tam præsidio vrbis immorantes,
Quàm certo exitio orbis incubantes:
Sed Diis gratia iam procul periclum.
Legatus tibi, Ludouice, pacis,
Venit Feria, plus timens timendo,
Nec putes fore clarigationem,
Expectes mage gratulationem,
Regni in limine, Ferieque partes

Digitized by Google

Hîc mirum nihil, esse; namque cæso
Henrico, stygis arte, quem timebant.
Agunt vndique ferias Iberi.

IN COMPENDIVM LOGICES POSTHVMVM I. CRASSOTII eximij philosophi.

POST cineres authoris, abi, securus edacis
Inuidiæ, merita luce, libelle, frui:
Fixerit hæc viuo dentem: fortuna negarit
Quæ bene promeritis non satis æqua solet,
Omnis eò sortis vis est consumpta maligna,
Et nasci fato iam meliore potes.
Alterum, in excusis sera amplexabitur ætas,
Quem sua spreuerunt sæcula, Aristotelem.

IDEM.

Βασκ' ἴθι, δέλτε, φόωσδε, μετ' φθίμενον γενετῆρα·
Πικροῦ βασκανίης οὐκ ἀνέγουσα δάκους,
Ζῶντα φθόνος δήξειε, τύχῃ φθονέσειεν ἑάων,
Δεινὴ τοῖς ἀγαθοῖς πολλάκις ἀντιάσαι.
Ἀλλ' ἔμπης φῶσαι σωκεῖς ἐπὶ κρείττονι μοίρᾳ,
Εἰς τοῦτον φθονεραὶ δ' ὕβριες ἀξέλιπον·
Εοσομένων γὰρ, ἐπὶ ξυγγράμμασι, κῦδος ἕλοιτο
Ζῶν ὀλιγωρηθεὶς ἄλλος Αριστοτέλης.

Digitized by Google

IN COMPENDIVM PHYSICES EIVSDEM.

NAturam rerum solitus causásque latentes
Promere, tam doctum qui dedit author opus,
Desiit in rerum naturâ nuper haberi,
Et moriens arti præbuit ipse fidem,
Cũcta etenim semel orta cadũt, semel aucta senescũt,
Et fugiunt istas corpora nulla vices.
Non tamen in tenues euanidus excidit vmbras,
Sed meliore sui parte superstes agit.
Spectarunt oculi quondam quem mille loquentem,
Nunc oculi, cassum lumine, mille legent.
Nec monumenta viri spatio consumpta fatiscent
Temporis, ingeniis stat sine fine decus.

Idem αὐτοσχέδιον.

ΚΑρτα φύσιν δεδαώστε, δυσεύρετα τ' αἴτια πάντων
Ἴδρις ἀνὴρ ταύτας γραψάμενος σελίδας,
Πρόσφατος ἐν κοινοῖς φύσεως ὢν παύσατο θεσμοῖς,
Καὶ τέχνῃ πίστιν δῶκεν ἑῇ θανάτῳ.
Φυύτα κίχανεν ἀεὶ μόρος, αὐξηθέντα δ' γῆρας,
Ταῦτα δ' ἐνδηλὰξ πᾶν σῶμα πέφυκε παθεῖν.
Ἀλλ' ὅλος ἐς σκιερὴν οὐκ ᾤχετο φροῦδος ὁμίχλην
Αὐτοῦ αἰδίος κρείττονι ζῶν μέρει.
Μύρια φθεγγόμενον ποτ' ἐθάμβεσ' ὄμματα, νῦν δ'
Ὀμματ' ἀναγνώσει μύρι' ἀποιχόμενον,
Οὐδ' αἰὼν θήσει μνημήια ἀνδρὸς ἀΐστα
Εργα νόου κτᾶται κῦδος ἀπειρέσιον.

Digitized by Google

INCENDIVM PALATII.

FORS an fraus, Themidis celsos violare penates
Ausi sit, incertum: varias sua somnia causas
Cuique ferunt, studiis odiisve est multus aruspex,
Qui bene sopitos etiamnum ventilet ignes.
Sed neque tam placidæ diis possunt crimina noctis
Affingi, verni non fulgura sideris ortu
Visa. nec attonitos rupêre tonitrua somnos,
Nulláque tranquillo flammæ vis addita vento:
Aut hebetes credent, aut fingent talia sontes.
Vix etiam casu, tenuis scintilla repente
De face neglecta, tantam populauerit ædem;
Ingentésque trabes, & grandia marmora totis
Corripiens spatiis, vnâ non amplius horâ
Hauserit, & tantas, miseris suspiria, merces.
Quicquid id est, patrum sedes intacta furenti
Vulcano, regni tabulæ, Themid'sque recessus,
Illud inauratum superans à clade lacunar,
Arguit inuito grassata incendia cœlo.

REGINÆ LOYSÆ HENRICI III. VIDVÆ TVMVLVS.

ΗΡέμα τῇ παράμειψον ὁδοιπόρε, ἐνθάδε κεῖται
Ἐρρίκοιο τρίτου ἡ βασίλισσα δάμαρ.
Μὴ ταύτην κνώσσουσαν ἔγειρε, νομιστέον εὕδειν
Ὡς ἁγίαν, τοιάνδ' ἔλλαχεν οὐχὶ μόρος.

Digitized by Google

IN POEMATA GALLICA Bertaldi, episcopi Sagiensis.

Ελλαδικῶν ποτε σειρήνων ποίηματ' ἀναγνοὺς
Καὶ τὰ Μεγησιγενοῦς, καὶ τὰ μὲν Ἡσιόδου,
Οὐδὲν, ἔφην, τούτων προφερέστερον ἑλλὰς ἔδειξας
Καίπερ ἀπειρεσίων, μῆτερ, ἀοιδοπόλων.
Ρωμαϊκῶν ποτ' ἀρεσκόμενος τερετίσμασιν ἀνδρῶν
Βιργιλίῳ ἐδίδουν πρῶτα καὶ Οὐϊδίῳ;
Ὡς δ' ἐνέκυρσα τεῇ Βερτάλδε σοφώτατε δέλτῳ
Κάρτα μελισταγέων βριθομένῃ χαρίτων
Εστην θαμβαλέος, καὶ πρῶτά σοι εὐθὺς ἔνειμα
Δεύτερα Ρωμαϊκοῖς δ' ἆθλα καὶ Ελλαδικοῖς.

GASPARI LIVRIO sacerdoti Andegauensium lacrymæ.

FOElicis cineres vmbræ cognosce viator.
Liurius est, quem nec finito eluximus anno
Andegaui, mœror non obice temporis hæsit
Publicus, & longos trahit hæc iactura dolores.
Rara viro pietas rerúmque scientia, constans
Pectus, & aduersis frangi mens nescia rebus,
Lucrandique Deo multos & gnara merendi.
Nunc desiderium superest, quod pectore dudum
Quisque suo, sed nunc incisum marmore, cunctis
Testamur mœsti ventura in tempora ciues.

Digitized by Google

Scilicet hoc etiam miratur doctior orbis
In tot te paribus non habuisse parem.

CLAVDIO GARNERIO
DE LAPSV REGIS ET REGINÆ ad pontones sancti Germani aut traiectum Nulliacum.

ESTIS Iô superi! Cæsar fortunáque Franca
Emersit patriæ gurgite sospes aquæ,
Namque vehens Regem fluuiali Sequana lembo
Erubuit mediis destituisse vadis.
Hunc lapsum senis ab equis, currúque cadentem
Reginam excepit, sustinuitque manu,
Protinus & viridi sistens in margine, iussit
Seruatum imbellem, Naiadas ire, gregem.
Officium inuidiâ minus est, & Gallia clamat
In Maiestates hoc scelus esse duas:
Deierat insontem se Sequana, nunc quoque lis est
Contigerit per equos, casus hic, an per aquas!

AD EVNDEM.

VT deriuatus sexcenta per ostia Gyndes
Quod Cyrum rapido laserat amne, perit,
Sic per te, pœnas violati Sequana Regis
Traductus, dederit, mille per ora virûm.

Digitized by Google

PAVLO BVDOTIO THEOLOGO ET CONCIONATORI EXIMIO.

ÆThereis cùm te video ſuccendere flammis
Pectora, & iratos conciliare Deos.
Hæreticos contra, cum ſummi verba tonare
Numinis, & ſanctas ore ciêre minas,
Tunc ego te admirans fœlicia tempora clamo
Lætus, & ætati gratulor inde meæ:
Namque quod optanti non contigit Auguſtino,
Orantem Paulum ſæcula noſtra vident.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΠΑΥΛΟΝ ΒΟΥΔΩΤΟΝ ΕΓΚΩΜΙΑΣΘΕΝΤΑ ΚΑΙ ΓΕΤΡΟΝ τὸν ΟΥάλεντα ἐγκωμιαστήν.

ΟΥΤΙ ἁμαρτοεπὴς, Βουδῶτον πρῶτον ὃς εἴποι
Ἐν δημηγορίαις ῥήτορα Χριστιανάις.
Τοῖο μάλ' αὐδήεντι κακοὺς πλήσσουσα κεραυνῷ
Ὀμφὴ, ὡς βροντὴ ἐρράγη οὐρανόθεν,
Μάρτυς ἀληθείης μεγαλόθροος ἴαχε ἄλπιγξ
Δεύτος ἀπ' ἠελίου μεσφ' ἀνατελλομένου.
Αἱρετικοῖς ὄλεθρόν τε καὶ ἐλπίδα εὐσεβέεσσι,
Τοῖς δ' ἀνέγειρε νόον, τοῖς δ' ἐνέφυσε φόβον.

Digitized by Google

Οὐδ' αὖ δὴ ἀπίνυσε, Βάλεντα μὲν ὅσγε νοήσῃ
Ῥήτορα Αὐσονίῃ πρῶτον ἐν εὐεπίῃ,
Τοῖο γὰρ ἐν στομάτεσσι πεθαιβώσουσα μέλιττα
Νέκταρ ἐνέσταξεν χείλεσι Κεκρόπιον.
Οφρ' ἀρετὴν κεδνοῖο ἀείσῃ κ' ὀνόμα ἀνδρὸς
Βουδώτου, ἄλλων καὶ κλέα ἡμιθέων·
Αμφω τρισμάκαρες αὐταξιον ἄνδρα λαχόντες,
Κεῖνος ὅτ' εὐσεβείης, τοῦτος ὅδ' εὐεπίης.

IN LIBROS METAMORPHOSEΩN Ouidij à viro clarissimo Carolo Massaco Gallicè conuersos.

QVÆ modò mutatas testantia carmina formas
Ausonij fuerant nobile vatis opus,
Massacus Latiæ iamiam nihil indiga linguæ
Reddidit in patrios emodulata sonos.
Procedunt alio ter quinque volumina cultu,
Claráque mutatâ conditione nitent.
Lecta prius, tetricis vix intellecta magistris:
At nunc virginea sæpe terenda manu.
Quæ matrona leget, quæ cultior audiet aula
Et mirata nouas Gallia mater opes.
Corpora Dij mutant, sed qui sic carmina mutat
Massaci Diis est æmulus iste labor.

Digitized by Google

D. Mariæ Carnutensi.

MATRI DEI, REGINÆ CŒLI, SIMVLACRVM RVPELLÆ CAPTÆ ARGENTEVM, AVREO DEVOTÆ MENTIS AFFECTV AD DONARIA APPENSVM, QVOD REGINAM SIBI COGNOMINEM, MAGNI REGIS VIDVAM, MAIORIS MATREM, PERDOMITA A LVDOVICO FILIO SEXAGINTA AMPLIVS ANNORVM REBELLIONE, VOTO DAMNAVERIT.

Saxea diſplicuit ſuperis, argentea facta eſt
Vrbs æquata ſolo, iam ſtatuenda polo.
Euerſa poſtquàm ſpeciem Regina dicauit,
Nec Regi inuiſa eſt, & placet illa Deo.

Digitized by Google

IN VERSVS V. C.
IACOBI PINONIS
SENATORIS PARISIENSIS,
DE CRVCIFIXO.

HINC faceßite blanduli Catulli:
Hinc diſcedite comptuli Tibulli:
Naſones procul, & procul Marones:
Et ſi qui numeros cient profanos,
Concinúntve modos parum pudicos.
Iocoſæ mihi diſplicent Camœnæ
Iſto tempore macerationis,
Pœnitudinis, atque lacrymarum.
At vos patriciæ venite Muſæ,
Plenæ mellis & elegantiarum:
Docta carmina candidi Pinonis,
Qui graui pede ſacra Chriſtiana
Ingentémque canit crucis triumphum.
Mellitiſsimus omnium poëta:
Integerrimus omnium ſenator.
Argumenta fide petens ab ipſa,
Quæ Prudentius & pius Iuuencus,
Authorúmque alij vetuſtiorum
Sumpſerunt Latio canenda verſu.
Sed dulcedine non ſtili Catullo,
Non dulcedine carminis Tibullo,
Naſoni neque cedit aut Maroni.

Quare

Digitized by Google

Quare patriæ venite Musæ,
Plenæ mellis & elegantiarum:
Docta carmina candidi Pinonis
Vos exosculor, ô piæ Camœnæ,
Et totis relego lubens diebus,
Isto tempore macerationis,
Pœnitudinis, atque lacrymarum,
Duro Iuppiter! & laborioso.

IN LEGATIONEM DVCIS FERIÆ.

QVID rursus male feriatus ad nos
Redit Feria? filiusne captam
Amissamque patri reposcit vrbem?
Ipso nomine Panicus repente
Vulgum perculit horror, inque mentem
Venit temporis illius, superbos
Cùm Lutetia passa Celtiberos,
Non tam præsidio vrbis immorantes,
Quàm certo exitio orbis incubantes:
Sed Diis gratia iam procul periclum:
Legatus tibi, Ludouice, pacis,
Venit Feria, plus timens timendo,
Nec putes fore clarigationem,
Expectes magè gratulationem,
Regni in limine, Ferieque partes

Digitized by Google

Hic mirum nihil, esse; namque cæso
Henrico, stygis arte, quem timebant.
Agunt vndique ferias Iberi.

IN COMPENDIVM LOGICES POSTHVMVM I. CRASSOTII eximij philosophi.

POST cineres authoris, abi, securus edacis
Inuidiæ, merita luce, libelle, frui:
Fixerit hæc viuo dentem: fortuna negarit
Quæ bene promeritis non satis æqua solet,
Omnis eò sortis vis est consumpta maligna,
Et nasci fato iam meliore potes.
Alterum, in excusis sera amplexabitur ætas,
Quem sua spreuerunt sæcula, Aristotelem.

IDEM.

Βασκ' ἴθι, δέλτε, φόωσδε, μετ' φθίμενον γενετῆρα·
Πικροῦ βασκανίης οὐκ ἀλέγουσα δάκους,
Ζῶντα φθόνος δήξειε, τύχη φθονέσειεν ἑάων,
Δεινὴ τοῖς ἀγαθοῖς πολλάκις ἀντιάσαι.
Ἀλλ' ἔμπης φῶναι σωκεῖς ἐπὶ κρείττονι μοίρᾳ,
Εἰς τοῦτον φθονεραὶ δ' ὕβριες ἐξέλιπον·
Εσσομένων γὰρ, ἐπὶ ξυγγράμμασι, κῦδος ἕλοιτο
Ζῶν ὀλιγωρηθεὶς ἄλλος Αριστοτέλης.

Digitized by Google

IN COMPENDIVM PHYSICES EIVSDEM.

NAturam rerum solitus causásque latentes
Promere, tam doctum qui dedit author opus,
Desiit in rerum naturâ nuper haberi,
Et moriens arti præbuit ipse fidem,
Cũcta etenim semel orta cadũt, semel aucta senescũt,
Et fugiunt istas corpora nulla vices.
Non tamen in tenues euanidus excidit vmbras,
Sed meliore sui parte superstes agit.
Spectarunt oculi quondam quem mille loquentem,
Nunc oculi, cassum lumine, mille legent.
Nec monumenta viri spatio consumpta fatiscent
Temporis, ingeniis stat sine fine decus.

Idem αὐτοτοχέδιον.

ΚΑρτα φύσιν δεδαώστε, δυσεύρετα τ' αἴτια πάντων
Ἴδεις ἀνὴρ ταύτας γραψάμενος σελίδας,
Πρόσφατος ἐν κοινοῖς φύσεως ὢν παύσατο θεσμοῖς,
Καὶ τέχνῃ πίστιν δῶκεν ἑῇ θανάτῳ.
Φυύτα κίχανεν ἀεὶ μόρος, ἀυξηθέντα δ' γῆρας,
Ταῦτα δ' ἐνεκλὰξ πᾶν σῶμα πέφυκε παθεῖν.
Ἀλλ' ὅλος ἐς σκιερὴν οὐκ ᾤχετο φροῦδος ὁμίχλην
Αὐτοῦ ἀΐδιος κρείττονι ζῶν μέρει.
Μύρια φθεγγόμενον ποτ' ἐθάμβεσ' ὄμματα, νῦν δ'
Ὀμματ' ἀναγνώσει μύρι' ἀποιχόμενον,
Οὐδ' αἰὼν θήσει μνημήια ἀνδρὸς ἀΐστα
Ἔργα νόου κτᾶται κῦδος ἀπειρέσιον.

Digitized by Google

INCENDIVM PALATII.

FORS an fraus, Themidis celsos violare penates
Ausi sit, incertum: varias sua somnia causas
Cuique ferunt, studiis odiisve est multus aruspex,
Qui bene sopitos etiamnum ventilet ignes.
Sed neque tam placidæ diis possunt crimina noctis
Affingi, verni non fulgura sideris ortu
Visa. nec attonitos rupere tonitrua somnos,
Nulláque tranquillo flammæ vis addita vento:
Aut hebetes credent, aut fingent talia sontes.
Vix etiam casu, tenuis scintilla repente
De face neglecta, tantam populauerit ædem;
Ingentésque trabes, & grandia marmora totis
Corripiens spatiis, vnâ non amplius horâ
Hauserit, & tantas, miseris suspiria, merces.
Quicquid id est, patrum sedes intacta furenti
Vulcano, regni tabulæ, Themid'sque recessus,
Illud inauratum superans à clade lacunar,
Arguit inuito grassata incendia cœlo.

REGINÆ LOYSÆ HENRICI III.

VIDVÆ TVMVLVS.

ΗΡέμα τῇ πρᾶμοιψον ὑδοιπόρε, ἐνθάδε κεῖται
Ερρίκοιο τρίτου ἡ βασίλισσα δάμαρ.
Μὴ ταύτην κνέοσσουσαν ἔγειρε, νομιστέον εὐδεῖν
Ὡς ἁγίαν, τοιάνδ' ἔλλαχεν οὐχὶ μόρος.

Digitized by Google

IN POEMATA GALLICA
Bertaldi, episcopi Sagiensis.

Ελλαδικῶν ποτε σειρήνων ποίημαθ' ἀναγνοὺς
Καὶ τὰ Μεγησιγενοῦς, καὶ τὰ μὲν Ἡσιόδου,
Οὐδὲν, ἔφην, τούτων προφερέστερον ἑλλὰς ἔδειξας
Καίπερ ἀπειρεσίων, μῆτερ, ἀοιδοπόλων.
Ρωμαϊκῶν ποτ' ἀρεσκόμενος τερετίσμασιν ἀνδρῶν
Βιργιλίῳ ἐδίδουν πρῶτα καὶ Οὐϊδίῳ;
Ὡς δ' ἐνέκυρσα τεῇ Βερτάλδε σοφώτατε δέλτῳ
Κάρτα μελισταγέων βριθομένῃ χαρίτων
Εστιν θαμβαλέος, καὶ πρῶτά σοι εὐθὺς ἔνειμα
Δεύτερα Ρωμαϊκοῖς δ' ἆθλα καὶ Ελλαδικοῖς.

GASPARI LIVRIO
sacerdoti Andegauensium lacrymæ.

FOElicis cineres vmbræ cognosce viator.
Liurius est, quem nec finito eluximus anno
Andegaui, mœror non obice temporis hæsit
Publicus, & longos trahit hæc iactura dolores.
Rara viro pietas rerúmque scientia, constans
Pectus, & aduersis frangi mens nescia rebus,
Lucrandique Deo multos & gnara merendi.
Nunc desiderium superest, quod pectore dudum
Quisque suo, sed nunc incisum marmore, cunctis
Testamur mœsti ventura in tempora ciues.

Digitized by Google

METON INCENDIARIVS ET VATES CLADIS ATHENIENSIUM in Sicilia.

O Dea Cecropidum custos, Tritonia belli
Consiliique potens, quid nunc exosa furentem
Destituis populum & perituras linquis Athenas?
Vnde tui miseros exercent numinis ira
Indigenas? vrbémque adeò quæ prouida quondam,
Maturóque senum florens moderamine, supra
Graiorum reliquas victrix caput extulit vrbes?
Nunc male-sana ruit, cæci funestáque ciues
Bella parant, longè in positas tràns æquora terras
Inque ducis iuuenis temeraria cœpta feruntur
Præcipites. num quas superi incestauimus aras?
Num neglecta tui luimus solennia pepli
Nata Ionis? vel quo tua crimine læsa recessit
Pectoribus nostris sapientia? iámque perîmus
Consilij exortes, gentis miserabile nostræ
Excidium video, patefactáque limina morti.
Quis furor ô ciues, lustris iam pene quaternis
Ante focos geritur vobis lacrymabile bellum,
Ingruit & muris sæuus Laco, corpora nondum
Conclamata iacent, nec adhuc restincta colono
Per desolatas fumant incendia villas.
Vos tamen Hesperium bello tentabitis axem,
O miseri, & certas noua per discrimina mortes
Quæretis? frústrà superos cœlúmque fatigo

Digitized by Google

Vocibus, abripiunt celeres dicta irrita venti,
Classis abit, dant signa tubæ, non vlla morantur
Prodigia, obscæna nec aues faciésve pericli
Et citus à terrâ conuellit nauita funem.
Magnum aliquid Neptune paras, altáque repostum
Forsan mente tenes, cum te dare nomen Athenis
Iudicium vetuit Diuûm, prælatáque Pallas
Et bellator equus nascenti cessit oliuæ.
Iam genus inuisum Siculis superabitur vndis,
Et steterit magnis iniuria cladibus illa.
Ast ego iampridem venturis ora resolui,
Cùm mihi fatidico stimulos sub pectore Phœbus
Verteret, & tripodes Diuúmque arcana paterent.
Vidimus insolitis pallentia sydera causis,
Et latè sparsis metuendos crinibus ignes,
Necnon sanguineo currentem limite Lunam;
Cœlestes iras monui, risere monentem
Cecropidæ, veluti patriæ Cassandra canebat
Exitium, nusquàm vesanis credita Teucris.
Nec satis, infaustæ vatem dare nomina cogunt
Militiæ & comitem perituris addere castris,
Prænisæque meum caput obiectare ruinæ.
Quid mihi tunc animi? libuit simulare furorem
Ne traherent secum, propriis incendia misi
Ædibus, exultánsque animo ceu victor ouanti
Cernere sustinui depastas omnia flammas,
Vulcanóque meos solus populante penates
Spectator plausi, trepido vicinia cursu
Dum mihi fortunis certat pereuntibus ire
Auxilio, totáque panor crebrescit in vrbe.

Digitized by Google

Hic omnes captum me credere mente. solutum
Immunemque domi, superest cùm nulla, relinquunt
Purgandum Anticyris. sic me seruauit Apollo
Publicáque euasi priuatis funera damnis.
Iliacam qualis cum detrectaret Vlysses
Militiam, sterilis vel arabat littora ponti,
Vel salis in pingues mittebat semina glebas;
Semina non stulto segetem factura colono.
Deprendit vafra simulantem protinu arte
Naupliades; frustrà, inquit, agis, te Dorica castra
Expectant, tantis sine te cessantia cœptis.
Ast incensa domus deflagratíque penates
Non dubium mentis nostræ fecere furorem;
Iamque per insulsæ plebis traducimur ora,
Esto, sed immunes agimus, non barbarus ensis
Hauriet hoc pectus, non sæua nostra catenæ
Brachia constringent, Siculus non mœsta videbit
Ora triumphati victor, nec certa procellis
Præda, per æquoreas iactabor naufragus vndas.
Non me latranti sorbebit gurgite Scylla
Bis senos succincta canes, altóque Charibdis
Vortice, non aliquis vasto Polyphemus in antro,
Saltem gente meâ, terráque insternar auitâ.
Tu contrà, inuitum quem gens furiosa coëgit
Tristibus auspiciis damnata capessere bella,
Et iuueni audaci communia iungere castra,
Peste faméque simul domitus lentóque dolore,
Debilibus vix ægra trahens vestigia plantis,
Post iniecta tibi captiuo vincula collo,
Post tristes ignominias victoris acerbi

Digitized by Google

Cyclopum in nuda miserande iacebis arena.
Has vltrix repetet meritò Rhamnusia pœnas,
Vrbis & insanæ temeraria puniet ausa,
Cui non Ægæo satis est dare iura profundo,
Nec tot vicinas submittere legibus vrbes,
Infestâ ad portas cùm sit Lacedæmone nondum
Parta quies, audet longinqua lacessere bella
Insuper, Herculeásque animis transcendere metas.
Scilicet accedat nostris Trinacria regnis,
Non hîc finis erit, cursu tendetur ad ipsam
Protinus Italiam, aut alio Carthago petetur
Littore, nec nostras remorabitur Africa vires;
Vsque adeò demens rerum sibi somnia fingit
Ambitio, & totum vanâ spe deuorat orbem.
Sed velut Ætnæo pressus sub pondere anhelat
Enceladus, postquàm regnum cœleste gigantes
Affectasse ferunt, postque altæ prælia Phlegræ:
Proh dolor! & Siculi sic nostro sanguine campi
Ipsáque Cecropiis memorabitur Ætna sepulcris.

AD LIBRVM CVI TITVLVS LESINA GALLICE VERSVM.

DIC, cur transisti ad Gallos, festiue libelle,
Cerdonum è vili cuspide nomen habens?
Quòd gallam subigunt omnes, nec martius ensis
Subula sed vestras armat auara manus.

Digitized by Google

THOMÆ NOBILI ADOLESCENTI ROMÆ OCCISO.

IN ter septenos virtus adoleuerat annos
Huic iuuenì, strauit quem scelerata manus,
Æmulus incauti ferro præcordia liuor
Occupat, haud homines haud veritúsque deos:
Externâ vinci doluit virtute, suóque
Maius apud proceres hospitis esse decus.
At scelerum vindex probrosum Roma quiritem
Elapsum terrâ persequitúrque mari,
I, fuge. sed fusi sequitur te pœna cruoris,
In maria & ventos ius habet alta Themis.

IN MYSTERIVM SIMVLACRI Aureliæ ponti superimpositi.

ANte Deũ supplex, quas, Carole, rebus in arctis
Fudisti tacitas corde loquente preces,
Audierat nullus per sacra silentia testis,
Conscius oranti nec locus ipse fuit:
Has, factura fidem, tibi concita numine virgo
Rettulit, & faciles in tua vota Deos.
Mox eadem sæuum bellatrix terruit hostem
Fœminea quatiens arma tremenda manu.
Nunc vos arcani, saluo miracula regno,
Posteritas voti spectat in ære reos.

Digitized by Google

ΕΙΣ ΤΟ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ θεολογίας βῆμα ὑπὸ κυρίου τοῦ ΡΟΕΝΝΟΥ καθιδρυθέν.

Μειλιχόγηρις ἀνὴρ, νηρίθμων θαῦμα μαθητῶν,
Πάσης τ' ἐν κύκλῳ δῶρα λαχὼν Σοφίης,
Οὐκ ἄπρηκτα καμὼν, ὄλβον μέγαν εὗρε Ροέννος,
Πολλὰ τύχης τέχνῃ ἀντερανιζομένης·
Γαυσάμενος δὲ πόνοιο, διοτρεφέεσσιν ὁμίλει
Γαισὶν, ἀνακτορέων φυομένοις μεγάρων,
Ἔνθεν ἀεξήσας καὶ χρήματα καὶ κλέος εὐρὺ
Ἡσυχίην ἦγεν πλείονα δὶς δέκ' ἐτῶν.
Ἀλλ' ὁ διδασκαλίης καὶ εὐεπίης πρὶν ἀγαστὸς,
Νῦν ἔσται φειδοῦς εἵνεκα καὶ δαπάνης,
Κοινῇ τόσσα διδοὺς, καὶ μείρακας αἰὲν ὀφέλλων,
Ἵμερος οὓς Σοφίης εἷλε θεοφραδέος,
Ἰδμοσύνης θείων λογίων ἀνεγείρατο βῆμα,
Κρείουσιν δόξαν ὥστ' ἐφάμιλλον ἔχειν,
Εὐκλεὲς ἔργον τοῦτο καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι
Ἐκτελέσας ἰδίαις δημοσίῃ τελεταῖς.
Φροῦδος πυραμίδων πόνος ᾤχετο, φροῦδα τυράννων
Δώματ' ἀΐστωσεν πανδαμάτωρ ὁ χρόνος·
Ἀλλ' ὅσσῳ γ' ἔργων ὑπερέχετο θεῖα βεβήλων,
Τοῦτο καθιδρυύθη βῆμα βεβαιότερον.

Digitized by Google

D. O. M. V. Q. M. L.

QVISQVIS es mortalium qui maioribus sacris in hac D. Benedicti æde interesse amas, siste parumper & earum quas audis precum parentem fundatorémque disce. Ioannes Roënnæus Rothomagensis, olim dum florebant litterarum studia disertorum primus, iisdem extinctis nuper commortuus, sed æui maturus & gloriæ reíque plenus, quam ex prouentu eloquentiæ indeptus Deo magnam partem consecrauit, passimque suæ pietatis monumenta extare voluit, sacrificium quod ad maximam huius templi aram singulo quoque die nouissimum offertur, sumptibus suis instituit, augustiorem apparatum, symphoniacos & vestes adhibuit, atque ædis sodales perpetuis ad hæc reditibus obstrinxit, vtique vetus hoc dictum confirmans, qui bona fide Deum colit, eius & sacerdotes amat. Vale hospes & viri manibus bene precare.

Nascimur & morimur nudi, nec fata sequuntur
Diuitiæ; cupidus nostra superstes habet.
Res mutat dominos, verùm pietate Roënnus
Quas dedit hîc, solas semper habebit opes.

Obiit pridie Nonas Martias anno 1615.

Digitized by Google

D. O. M. V. Q. L.

ERVDITE viator adsta parumper, & cuius hic cinis siet cognosce. En vbi Ioannes Roënnæus mortale deposuit exuuium, qualis quantúsque vir, si nescis, ne te longum morer, nullus dico, tantum publicam famam & Academiam, necnon supremam Curiam & aulam quas meritis suis impleuit, adire & audire iubeo. nunc vbi perenne sacrificium pio iuxta ac liberali sumptu fundauit, ad aram sanctæ vrbis cognominem visendus puluis conquiescit. Vale & piis manibus bene precare.

Credidit infossos Academia nuper honores
Hic vbi tecta iacent ossa Roënne tua.
Et dixit lacrymans: studiis ingrata Mineruæ
Quando vllum inuenient secula nostra parem?

Obiit pridie Nonas Martias anno 1615.

Piis manibus memoriæque sacrum.

PAVLI PETAVII senatoris Parisiensis, integritate vitæ, cum primis suspiciendi, rerum diuinarum humanarúmque scientia,

Digitized by Google

editis ingenij fœtibus per Europam clarissimi: nec tantùm antiqui moris retinentissimi, sed & omnis antiquitatis, priscorum rituum, signorum archetyporum & numismatum in elegantioris doctrinæ vsum studiosissimi: cui viro præmatura morte extincto Pallas & Astræa pari damno ac dolore affectæ iuerunt exequias; coniux vero, gener in purpura successor, & liberi superstites, marito, socero, parentíque carissimo, paruum hoc æterni sui desiderij monumentum posuêre.

Ossa solo linquens, animóque Petauius astris
Insitus, ad meritos aui melioris honores
Maturauit iter cœlo, corrupta perosus
Sæcula, quamquam illo visa est sub Iudice, sese
Reddita damnatis Astræa ostendere terris.
Ordinis eximij robur, virtúsque Catoni
Æmula, Palladias sed enim conuersus ad artes
Multus in antiqui latebras penetrauerat aui:
Quicquid longa dies alta caligine texit
Nouerat. Ecce viri tam cana scientia, vanam
Decepit Lachesim, qui tantum limina lustri
Pulsarat decimi, quæcunque fuêre capacis
Illi notitiæ, falsò est rata tempora vitæ.

Obiit 15. Kal. Octob. anno D. 1614. Vixit annos 46. mens. 4. dies 2.

Digitized by Google

IN DIONYSIVM AREOPAGITAM A R. PATRE LANCELIO societatis Iesu editum.

Αμφήριστον ἔην, Διονύσιος, εἰ μὲν, ἀρέιος
Ατρεκέως ἐστὶν τὸν ποτ' ἔνεικε πάγος.
Εἰ δ' ἄλλος κείνῳ μὲν ὁμώνυμος, ἀλλὰ χρόνοιο
Καὶ προτέρου δόξης ψεύδεϊ χρησάμενος.
Εν δοιῇ μάλα θυμὸς ὅσοις ἀρχαῖα μέμηλεν,
Αρχαῖον δὲ φρονεῖν οὐδὲν ἔδωκε φύσις.
Νῦν δὲ πατὴρ τόδ' ἔθηκε περίτρανον ὄμμασι πάντων
Λανσέλιος νοέειν φέρτατος ἠδὲ λέγειν.
Αντιπάλοις δ' ἤλεγξεν ἀπροσδιόνυσα λέγοντας
Ως ἐν Αρειοπάγῳ ἐσθλὰ δικασσάμενος.

Italo equiti ex cupresso eius manu sata, & postea à ventis eradicata, bonum omen.

Τὰν κήπῳ κυπάρισσον ἐν ἀνθεμόεντι φυτεύσας
Ιππεὺς Τυρρηνῶν Προύλιος εὐγενέων.
Δένδρον ἑᾶς ἐκόμει ἔργον χερὸς ἠδ' ἀπέταλλεν
Λιστροεύων, ῥαίνων νάμασι, πάντα πονῶν.
Ηυξήθη δὲ μέγα χλοεροῖς βρίθουσα πετήλοις
Κύριον ὥς ἐνορᾷν αἰὲν ἀγαλλόμενον.

Digitized by Google

Αλλ' αὐτὴν μάρψασα θοὴ ἀνόρυξε θύελλα
Εκ ῥιζῶν τε πέδῳ ἴς ἀνέμοιο βάλεν.
Νῦν δὲ μάτην κενεοῦ ὀλοφυρόμενος καμάτοιο
Ιππεὺς πολλὰ θεοῖς μέμφεται ἠδ' ἀνέμοις·
Γαυέσθω φλυαρῶν, μοῖραι καὶ ἄκοντα φιλοῦσιν
Οὐδὲ μινυνθάδιον κεῖνον ἔθηκε θεός.
Εκρήξας γὰρ δενδρὸν ἀναίσιον, αἴσια φαίνει,
Κηρὸς ἀπ' ὀφθαλμῶν κλῶνας ἀπωσάμενος.

In methodum linguæ Græcæ Simonis Medici.

ΕΛΛΑΔΟΣ ἐν μέσσοις πεπλανήμεθα δηρὸν ἑλογμοῖς
Τρυχόμενοι καμάτῳ κ' οὐδὲν ἀνυστὸν ἔτυ.
Οὔτινα γὰρ τισθ' εὗρε διέξοδον οὔτε τι τέκμωρ,
Αλλὰ Σίμων μεθόδῳ πᾶσαν ἔλυσε πλάνην.
Τοῦτο δέχεσθε νέοι ξύγγραμμα παρ' Ελλάδος οἶμον
Ὡς Αριαδνέοις ἐν γροφάλιγγι μίτοις.

In Lucianum Burdelotij.

ΤΡαυματίας καὶ ἑλκώδης μάλα στυγνὸς ἀλᾶτο
Εὐτράπελος δόξας πρίν ποτε Λουκιανός.
Καὶ φάτο ταῦτα παθεῖν ὑπ' ἀπείρων πολλάκι νυχθεὶς,
Ηὲ μεταφραστῶν ἢ τάχα χαλκογράφων·
Οὐκ ἔτλη προτέρω κεκακωμένον ὧδε νοήσας
Βουρδελοτὸς, μεγέων ἀλλὰ κάθηρεν ἰόν,

Digitized by Google

Καὶ χαίρεις ἀπέδυξε πάλιν, χαίρεστερος αὐτὸς
Κείνῳ σὺν ἰδίων πως μεταδοὺς χαίτων.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΓΙΟΝ ΙΩΑΝΝΗΝ

Ἀπόστολον καὶ Εὐαγγελιστὴν ὕμνος αὐτοσχεδιασθείς.

ΔΕΥΡΟ σὺ αὖε, ὃς τῇδε φόως ἀνέτειλας ἑορτῇ,
Πάντα κατωγάζων, τῶν σὺ αὖ ἀκαλίγκιος ἀνδρὶ
Ἐλθὲ ἀοιδοπόλῳ, πεπαιημένα ἐντέα Μούσαις
Ἄκρα λιπὼν, τὴν Ἰωάννου κῦ νόημον ἥμαρ
Κρόδσιν εὐκρεκτοῖς ὑμνάσεαν, ἔντιμον ἀοιδὰς
Ἐς κήρυκα θεοῦ. ἡμεῖς ἀναδυόμεθ' ἔργον
Οἷ ἀνῆτοι πιλόμεθα, βεοτέν σὺ χαίδαιρεν ὀμφὴ
Ἥρωος κλέος ἰσοθέου, ὃς ψυδέα ἐθνῶν
Δυσεβέων, συνεσῆς ἀποφώλια θῆκεν ἀέλλαις,
Μάρτυς ἀληθείης, σοφίῃ σὺ ἐκέκασο μαθητῆν
Ἐξοχ' ὀπηδοώτων Χριστῶ, ἤδιω τε φύλαξε
Παρθενίης ἄχραντον, ἑοῦ δ' ἀμπώσατ' ἀνάκτος
Γείν ποτ' ἀποβείξας κόλπῳ, πέρι κηεὶ φιλήθεις.
Ἀλλ' ὅπαν αἰσαιέθη θεὸς οὐρανὸν, ἄλγεα σαυτοῦ
Δακρυόεντα παθὼν, ὑπὸ ἡμῖν δῆθεν ἄπεινα,
Οὐώμα καὶ πίστιν Χριστοῦ κήρυσσεν ἅπασιν
Δῖος Ἰωάννης, καὶ οὐ μάστιγας ἔδησεν,
Οὐ πύρα, οὐ κλοιοὺς, οὐ φάσγανα, οὐδὲ λέβητας
Ἡφαίστῳ σαθεροὺς, καὶ μορμύροντας ἐλαίῳ·
Θαύματα πολλὰ δ' ἐᾶς γράψας ἀνεθήκατο δέλτοις;

Digitized by Google

Τοὔνεκα χαλκοχάφοι σφετέρης σημαίνεσι τέχνης
Καρπὰ μεραίροισιν πλεπῆς. Ἓλκθι σέβοισιν
Χαλκοχάφοις, ἥρωϊ, πεφόσδ' αὐτὸν λίσσεο Χειρὼν
Δωδίνῳ βασκὸν χαίσμῶν, καὶ μυπέει καθνῇ.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΞΥΓΓΕΓΡΑΜμένον τοῦ κυείου Δουχατίου ἱερὸν πόλεμον.

ΔΕΙΝΟΣ ἔρως χειτοῦ δγαπόθιον ἤλθ Δρκαε
Φεαγκηλῶν, ἱερῆς πεφαπλάσαι Σολύμοις,
Πάμπαν ἀφιδήσαντες ἑῶν ψυχῶν, κπαίωνπ
Εἴξαντες μακρῇ δ' ὑδὶν ὁδοιπορίν,
Ὠεπ πόλι ναοῖς τε θεοεβέεσιν ἀλάλκειν
Δύλιον ὀθνείης ἤμαρ ἀπεσσεύης.
Καὶ γε ζαλαστύουσι τύχῃ ἐπεφλκέα νίκιν,
Εμπνδύσε μθμος σήθεσι βαρβαριχοῖς;
Αλλ' ἔμπης ἤσαθεν· ἐοῖς χαίσμησι μαχηταῖς
Καλὰ πε σήσαθαι δῶκε Τόπαγα θεός.
Τοῦτ' ἄρα Θυκυδίδη Δυχάθιος ἴκελος αὐδλὼ
Ατρεκέως νεαρῇ ἄπυεν ὠ σιλίδι,
Χειτιανοῖς ὡς ξυμμαχέων, μὴ φρουδὲ χθνέσθαι
Τόσσα μθμ ἡρώων ἔργα πελαιχθνέων,
Ελλαδικῆς Μούσησι κακασιθμος, αὐχὶ δόλοισι
Φεαγκηλῶνς Γραικῆς οὐ φθονέων χάεσιν.
Οὐκ' ἄος κακόφρων πῖ Αλέξιος ἐμβασίλθυ
Βασκανίης πε χάμων, κ' αἰγοπάτακτος ὀμήρ.

Digitized by Google

Ἀλλοτρίῃ κοτέων ὃς κληδόνι, μύρι' ἔθηκε
Χρισιανὸς τῶν ἐὼν ἄλγεα χρισιανοῖς·
Ἀλφιτα γὰρ τιτάνῳ φυρῶν φθονερὸς, καὶ ἀνάλκις
Μήδετο λευγαλέην πᾶσι βιοφθορίην.
Ἀλλ' ἔσοπ' ποτ' ἔμελλεν (ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα)
Γλώσσῃ ἐλέγχεσθαι ὀψιγενοῦς ἰδίῃ.
Ἐν γὰρ ἰῇ βίβλῳ Δουχάτιος ἄμμιν ἔδειξεν
Ἑλλήνων ἀπάτην, Ἑλλάδος εὐεπίην.

ΕΙΣ ΨΕΛΛΟΥ ΕΚΔΟΣΙΝ

ὑπὸ λαμπροτάτου καὶ πολυμαθεστάτου κυρίου τοῦ Γωμίνου, Ἐπίγραμμα.

Ἐμπαλιν οὐνόματος δόξαν χὼν ψέλλος ἐδείχθη
Κλήδην πρᾶτα δοκῶν ψελλὸς ἁμαρτοεπής·
Νῦν γὰρ ἐν ἡμετέροισι πρέπτρανος οὔασιν αὐδᾷ
Ἀερίουσε γονὰς δαιμονίοις τε φύσις,
Πάντα μὲν ὅσσα βροτοῖσι τεράστια, ποικιλότραυλα
Φθέγματ' ἀμειβόντων πολλάκι δαιμονίων.
Τούτων Γωμίνῳ πολλὴ χάρις, ὅσγε ψέλλῳ
Ἄρτια φθέγξασθαι αἴτιος ἔσκε μόνος,
Εὐεπίῃ πολλῇτε κεκασμένος ἐν νεότητι,
Καὶ πολιοκροτάφων πλεῖον ἐπιστάμενος.
Δαιμόνιον τόδε χρῆμα δαήμονος ἠιθέοιο
Ἀρ' οὐ Σωκρατικοῖς χρήσατο δαιμονίοις;

Digitized by Google

EX GALLICIS TOTIDEM versibus ROB. STEPHANI.

O Qui luce noua, nostrum te promis in orbem,
Solque oriens, alio sole cadente, micas;
Arida quo surgunt rediuiuo lilia flore,
Antiquus Francis & renouatur honos.
Astra fauere tuis crede auxiliantia rebus,
Et tactos nostris questibus esse Deos:
Nam tibi subiectos recreant cœlestia Gallos
Præsidia, atque tegunt vndique missa latus,
Nuper & infernis monstrum quod prodiit antris,
Heu per quod tantas soluimur in lacrymas!
Sustulit haud totum, te nobis rege, parentem,
Maxima namque tui pars genitoris ades.
Quæque paterna tibi, mater pia, sceptra tuetur,
Altera consiliis Pallas in arce sedet.

Τὸ ἀυτό.

Κοίρανε, ὃς νεαρὸν σέλας ἀρχομένοισιν ἀνέσχες,
Ηελίου δυύτος, φῶς ἀνατελλόμενον·
Λειριόεν βλάστημα, τὸ αὐσταλέων ἀπὸ κρίνων
Ἄνθος ἀναλδαίνων ἐνδαπίοισιν ἄνασξ·
Θάρρει, ἀθανάτοισιν ὅτ' εὐμενέεσσι μέμηλας,
Ηψάμεθα θρηνῷ δ' ἄντυγος οὐρανίης,

Digitized by Google

Καὶ τάχα παυμέμβλωκε θεὸς Κελτοῖσιν ἀρωγὸς,
Σοὶ φυλακὰς πιστοὺς, ὅπλα τε ἀμφιβαλών.
Αἴτιος ἡμετέροιο γόου ἐπ' τρίπτος ἀλάστωρ
Φαργάνῳ ἐν πάμπαν ὤλεσε σὸν πατέρα,
Σῶος ἐπεὶ ἀνέφυς τοίῳ γενετῆρι ἰοικὼς,
Καὶ πρὸς σοὶ μήτηρ ἵστατο κηδομένη·
Ὡς πρὶν Ἀθηναίη βουληφόρος, ἡδεῖ τέκνῳ
Πατρῷον κλῆρον τὸ διέπουσα κράτος.

IVVENVM APOLOGIAM pro Academia recitantium.

PRogenies Crœsi, captis cum Sardibus, hostem
Cerneret hausturum iam patris ense latus:
Muta repentinâ rupisse silentia voce
Dicitur, insolitis hæcque locuta sonis,
Μὴ κτεῖνε Κροῖσον, sic quæ natura negarat
Extorsit subitus verba coacta timor.
Nos prius elingues, Pharius quibus ora repressit
Sigalion, ætas cruda, iuuenta rudis:
Dum petitur sæuæ iaculis Academia mater
Inuidiæ, tristi iam propiórque neci;
Extemplò Samij taciturnâ lege magistri
Soluimur, inque metu turba diserta sumus,
Hactenus & mutas animat facundia linguas,
Quid mirum? res est ingeniosa dolor.

Digitized by Google

D. O. M.

FRanciſco Montholoneo P. Procancellario, qui cc. ∞. librar. Rupellanis ad ſtruendum valetudinarium reddidit, eaque à Franciſc. I. rege ſibi data, Deo fœnerauit.

Obit Villacoſt. ∞. D. XLIIII.

I. 3. O.

FRanciſco Montholoneo F. Procancell., qui è patrono ad ſacrum ſigillum ab Henrico III. rege voçatus, poſteà ſponte ſe abdicauit, omnibus honoribus maior, ſpreta tàm apiſcendor. nundinatione, quàm adeptor. poſſeſſione.

Obit Turon. ∞. D. XC.

MOntholonea gens vetuſta, & nobilis à caſtro in Heduis, ducentis annis illuſtrium capitum ferax Franciæ innotuit. ſacri ſigilli cuſtodes, ſenatuum præſides, Rhodiæ militiæ equites, ſanctioris conſiſtorij comites, regum ad exteras gentes legatos, fiſci, ac priuatorum patronos celebres tulit. inſita omnibus ſeueræ virtutis obſeruantia, tenacique moris antiqui, & auitæ pietatis indole. Abi viator vix oculis tuis plùs debes.

FRanciſcus etiam tribus regibus à conciliis patri, auo, & familiæ decori H.M.P. hîc, & ipſe quieſcit à III. Cal. Iun. ∞. DC. XXVI.

Digitized by Google

AV LECTEVR.

I'Ay estimé necessaire d'inserer icy les vers François, composez par Monsieur de Sully, desquels la version Latine est cy-deuant, afin de donner vne facile intelligence des noms propres qui y sont en fort grand nombre, & sans laquelle, la version Latine se trouueroit & rude & obscure : Aussi i'ay apprins de l'vn des amis de nostre Autheur, qu'il auoit faict ce trauail pressé par l'instante priere de quelque Seigneur, qu'il ne pût esconduire.

Digitized by Google

A MONSEIGNEVR LE DVC DE SVLLY, SVR ses Paralleles de Cesar & de Henry le Grand.

NVL Peintre n'osoit entreprendre
De tirer le grand Alexandre,
Qu'vn Apelles tant seulement:
Mais Rosny, qui nous rend notoire
Du grand Henry toute l'Histoire,
L'a bien pourtraict plus viuement.

S. HARDY, Receueur des Tailles du Mans.

PARAL-

Digitized by Google

PARALLELES DE CESAR, ET DE HENRY LE GRAND.

Par Monsieur le Duc de Sully.

ENTRE tant de grands Chefs, & de Princes diuers,
Dont le nom immortel vole par l'vniuers,
On n'en vit iamais deux si grands & si semblables,
Que Cesar & Henry, deux vainqueurs indontables;
Tellement qu'on pourroit comme d'vn mesme cours,
De Cesar & Henry former mesme discours,
Ayans eu mesme entrée, & mesme issuë en terre,
Mesme honneur, mesme gloire, & mesme ardeur en guerre.
Cesar par ses vertus esgalla son bonheur;
Henry de tous les Roys surmonta la valeur.
Cesar fit en son temps des choses nompareilles;
Et les faicts de Henry sont autant de merueilles.
Cesar fut ordonné des Cieux, & du Destin
Pour former vn Estat qui n'auroit point de fin:
Henry fut preseruë par le sort fauorable
Pour regir cét Empire à iamais perdurable.

Digitized by Google

Cesar vint d'Eneas, & des Roys Martiens,
Henry vint d'Eneas, & des Princes Troyens.
Cesar nasquit à Rome entre les sept montagnes,
Alors que les Romains ranageoient leurs campagnes.
Et Henry prist naissance au pied des monts affreux,
Alors qu'on projettoit les guerres & les feux.
Cesar dés le berceau vit faire la pratique,
Qui changea tout l'Estat de la chose publique,
Et Henry vit former le dessein des François
Qui voulurent changer leur Estat & leurs Rois.
Cesar fut façonné dés son adolescence
Par ceux dont le party establit sa puissance:
Et Henry par ses Rois dont la proximité
Luy deuoit quelque iour laisser l'authorité.
Cesar fut endurcy dés sa premiere enfance,
A porter tous trauaux sans nulle impatience;
Henry fut esleué comme vn simple Soldat,
Et cõme vn grand Guerrier qu'on destine au combat.
Au milieu des perils, du meurtre, & du naufrage,
C'estoit lors que Cesar monstroit plus de courage.
Les dangers, les trauaux, & les actes guerriers
Ont esté de Henry les esbats coustumiers.
Aussi nuls accidens des choses incertaines
N'effrayerent iamais ces deux grands Capitaines.
Tous deux dans les ardeurs des partis differens
Virent bien tost mourir leurs plus proches parens.
Cesar voyant par tout sa faction destruitte
Deuers la Bithinie aussi tost prist la fuitte;
Et Henry cognoissant ses amis ruinez
Se retira soudain vers les monts Pyrenez.

Digitized by Google

Cesar de deux prisons desengagea sa vie,
Henry sa liberté qu'on auoit asseruie.
Les parens de Cesar, leurs amis, leurs soldats
Furent tous déconfits en quatre grands combats,
Et rien ne fust resté d'vne telle puissance,
S'il n'eust lors releué leur premiere esperance.
Henry vit ses parens quatre fois combattus,
Sa maison presqu'à bas, ses amis abattus,
Et ne fust rien resté au sang ny au merite,
Si de ce grand Empire il n'eust pris la conduitte.
Vn Cesar, vn Henry, maintesfois ont remis
Vn camp que l'on croyoit vaincu des ennemis,
Ont arraché des poings les Enseignes, les Targes,
Les Picques des soldats qui s'enfuyoient des charges,
Pour les encourager: & d'vn bras furieux,
Renuerser l'ennemy presque victorieux.
Cesar n'estant encor qu'en son adolescence
Fut nommé Chef de part auec toute puissance.
Henry fut d'vn party General recognu
Bien qu'il ne fust encor à vingt ans paruenu.
Cesar veit son beau fils, son fils & leurs armées,
Contre luy se liguer, à sa perte animées;
Henry vit contre luy ses Cousins alliez,
Auec sa Belle-mere, & son Oncle liez.
Les femmes, les ingrats, l'ambition, l'enuie,
Despoüillerent Cesar de puissance, & de vie;
Les nopces, les ingrats: l'ambition, l'orgueil
Mirent la France en pleurs, & Henry au cercueil.
Dans l'Espagne Cesar demesla plus d'affaires
Qu'il n'en eust auec tous ses autres aduersaires;

Digitized by Google

Et tousiours eut Henry ces peuples dépitez.
Contre luy & la France ardemment irritez.
L'ambition des grands, leur haine, & leur pratique
Mirent contre Cesar toute la Republique:
Henry vit contre luy son Roy mesme offensé
Par la ligue des grands dont il fut trauersé.
Cesar en mesprisant toutes les choses vaines,
Posseda des honneurs, & des grandeurs certaines:
Et Henry rejetta tous offres de grandeur
Plustost que d'offenser son ame & son honneur.
En personne Cesar fut tousiours redoutable,
Mais les siens quelquesfois ont faict perte notable:
Et Henry a tousiours ses ennemis domptez,
Mais quelquesfois les siens ont esté surmontez.
Cesar dressa luy-mesme vn vaillant Capitaine,
Qui luy porta sans cause vne immortelle haine:
Henry pareillement vn guerrier valeureux,
Qui par ambition se rendit malheureux.
Vn Cesar, vn Henry ioignirent la prudence
Et l'extreme valeur, auec la diligence.
Cesar aux ennemis offroit tousiours la Paix:
A personne Henry n'en refusa iamais.
Cesar par ses vertus eut le peuple propice:
Henry gaigna le cœur de son Roy par seruice.
Cesar fit reparer d'vn incroyable soin
Les ponts & les pauez qui en auoient besoin;
Et Henry fit refaire auec magnificence,
Tous les ponts, les pauez, & les chemins de France.
Autun, Chartres, Beauuais, se voulans reünir,
Mirent les armes bas voyans Cesar venir;

Digitized by Google

Nantes, Blauet, Sedan, le reste des alarmes,
Voyans marcher Henry, eurent recours aux larmes.
De Bourges, d'Alexie, & d'Vxelodunom,
Cesar tira son los, sa gloire, & son renom:
Les sieges d'Amiens, Chartres, Lan, Dreux, la Fere,
Rendirent de Henry la fortune prospere.
Ny Henry, ny Cesar, estant hors du danger
Ne monstrerent iamais desir de se vanger.
Les combats de Pharsalle, Egypte, Tapse, & Munde,
Acquirent à Cesar le triumphe du monde:
D'Arques, Coutras, Saueuse, & d'Yury les exploits
Acquirent à Henry les courages François.
Cesar rendit les biens, les honneurs & la vie
A ceux qui trop ingrats ont la sienne rauie;
Et Henry s'efforça d'obliger par bienfaicts,
Plusieurs qui enuioyent la gloire de ses faicts.
Pharnasses estimant que la guerre d'Egypte
Seroit plus perilleuse, & de plus longue suitte,
Arma de tous costez, desfist des Iegions,
Surprist la Capadoce, & d'autres regions;
Mais au lieu qu'il pensoit ioindre la Bithinie,
Et le pays de Pont auecques l'Armenie,
Cesar en vn moment vint, batailla, vainquit,
Et cét Empire vain en six iours reconquit.
Emmanuel croyant que les troubles de France
Luy donneroient moyen d'vsurper la Prouence,
Surprend le Marquisat, espere au Dauphiné,
Et de se voir bien tost vn grand Roy couronné:
Or la paix estant faicte, & vsant d'artifice
Pour retenir l'autruy sans forme de Iustice,

Digitized by Google

En vn moment Henry vint, assiegea, vainquit,
Et toute la Sauoye en deux mois il conquit.
Aussi qui veut sçauoir le mestier de la guerre,
Marcher, loger, camper, se retrancher dans terre,
Se deffendre, attaquer, s'adextrir aux combats,
S'approcher pied à pied, policer des Soldats,
Fatiguer l'ennemy par veilles, par allarmes,
Par la faim, par la soif, par finesse, & par armes;
Qu'il soit ainsi que fut le premier des Cesars,
Inuincible à la peine, intrepide aux hazars;
Qu'il suiue ses desseins & ses ruses de guerre,
Ses passages du Rhin, ses traiets d'Angleterre,
De Rustine, & d'Hebro: ses temporisemens,
Ses combats Germanics, & ses retranchemens,
D'Aine, Sembre, Tournay, Bosleduc, Therouanes,
D'Asparague, d'Apsus, de Marseilles, de Vanes,
De Bourges, d'Alexie, & de Corsinium,
De Brunduze, Duras, d'Ateque, d'Vrsdom;
Du Phare, & du Delta; sa descente à Pharsalle
Ses traittes, ses logis, pour entrer en Thessalle;
Ou bien qu'il se conforme à nostre dernier Roy,
Qu'il suiue ses projets, qu'il imite sa foy,
Ses resolutions en toutes entreprises,
Ses vertus, ses labeurs, ses ruses, ses surprises;
De Broüage, Cahors, Niort, Saint Million,
Deose, Bourg, Louuiers, Corbie, & Argenton:
Ses traiets de Garonne, Isle, Rosne, & Dourdongne,
Ses cõbats de Saint Seine, & d'Arnay en Bourgõgne,
De Chelles, de Bondis, d'Aumalle, Pontarcy,
Diepe, Caudebec, & d'Iuetot aussy,

Digitized by Google

Ses secours à propos, ses heureuses retraites,
Bref soit imitateur des choses qu'ils ont faites.
Car Cesar & Henry ont liuré plus d'assaux,
Rendu plus de combats, porté plus de trauaux,
Deffait plus d'ennemis, passé plus de nauffrages,
Assiege plus de forts, accomply plus d'ouurages,
Et monstré plus d'esprit que Prince ny Soldat,
Qui s'entremist iamais d'assaut, ny de combat.
Et qui voudroit marquer les campemens, les armes,
Les grands retranchemens, les sieges, les alarmes,
Que firent autresfois ces deux fameux guerriers,
Il en faudroit former des volumes entiers,
Ne s'estant passé iour durant maintes années,
Sans auoir aux combats leurs cohortes menées.
Cesar ayant deffaict assez de nations,
Surmonté d'Empereurs, vaincu de Legions,
Essayoit d'esleuer l'olive planturense
Et de rendre sous luy sa Monarchie heureuse.
Henry ayant vaincu tant de braues Soldats,
Remporté tant d'honneur en tant de grands combats,
Desiroit d'establir par tout l'agriculture,
Faire fleurir les Arts, & la manufacture:
Mais les Destins cruels, apres tant de hazars,
D'vne tragique fin rauirent ces deux Mars.
An temps que les Romains donnerent la puissance
A Cesar, pour regir & gouuerner la France,
Elle estoit diuisée en plusieurs nations,
Autant d'estats formez, autant d'opinions,
On ne voyoit Païs, Ville, Cité, Prouince
Qui n'eust sa Republique, ou son Roy, ou son Prince,

Digitized by Google

Mesmes les estrangers venoient de toutes parts,
Afin de la destruire, & d'en faire des parts:
Si bien qu'il fut reduit en commençant sa guerre,
A retrancher son camp, à se loger dans terre,
Pour recognoistre mieux la force, & les desseins,
De tant de nations, & Suisses, & Germains,
Qu'il desfist tost apres auec tel aduantage,
Qu'ils perdirent l'espoir, la force & le courage.
Lors que Henry le Grand, la merueille des Rois,
Fut estably du Ciel sur l'Empire François,
Tout estoit reuolté, l'estat mis en partage,
Lon ne voyoit qu'horreur, cendre, sang & pillage,
Mesmes les estrangers bastissans sur sa mort,
Iettoient le peuple en proye, & la couronne au sort,
Et n'y auoit endroit, cité ny ville en France,
Qui n'eust de ces Tyrans esprouué l'arrogance;
Tellement que Henry dés ces commencemens,
Fut contraint de camper dans des retranchemens,
Pour euiter l'effort de ces grandes armées
Qu'à sa destruction il voyoit animées.
Mais ayant faict sentir à leur camp sa valeur,
Dispersé leurs Soldats, mis Paris en frayeur,
Il courut cõme vn foudre en quatre ou cinq Prouin-(ces,
Prendre Villes, Chasteaux, & en chasser les Princes.
A tant d'euenemens, & de prosperitez,
A tant de bons succez cy dessus recitez,
De ces deux grands Heros les mœurs incomparables,
Les hazards, les trauaux, les vertus admirables,
Seules y ont eu part; mais aux effets suiuans
Les faueurs de fortune, & les Destins puissans,

Digitized by Google

Y sont interuenus, pour calmer tant d'orages,
Appaiser tant d'esprits, changer tant de courages,
Les porter à l'enuy pour estre des premiers
Qui auroient recogneu ces genereux guerriers.
Car Cesar adioignant à ses vertus aimables,
Tant de submissions, & d'offres raisonnables,
Acquist en fin les cœurs des peuples des Citez
Qu'on estimoit auoir à sa perte excitez;
Si bien qu'on vit soudain, Gaulle, Corse, Sardaigne,
Italie, & Cicile arborer son Enseigne,
Et reclamer son nom toutes les Legions,
Municipes, Bourgeois, Tribuns, Decurions,
Des Villes d'Arezo, Singulum & Ancone,
Rimini, Pezaro, Calaris, Tarracone,
Nocerre, Sulmona, Auxime, Tignium,
Albano, Ascoly, Rome, Corsinium,
Orchomene, Agubo, Antioche, Venouze,
Naupacte, Callora, Amathie & Canouze,
Rhodes, Thebes, Zama, Tharse, Orique, Calis,
Cordube, Vallona, Callidon, Hispalis,
Brunduze, Camerin, Huesca, Terracine,
Delphes, Langres, Authun, Metaponte, & Messine,
Et vne infinité d'autres peuples diuers,
Qui prisoient ses vertus plus que tout l'Vniuers.
Ayant aussi Henry faict gouster à la France
Les solides raisons de sa iuste defence,
L'indubitable droict de ses pretentions,
Et la benignité de ses conditions,
Soudain on vit fleschir Champagne, Picardie,
Prouence, Lionnois, Languedoc, Normandie,

Digitized by Google

Se ietter à l'enuy deuant luy à genoux
Les Maires, Escheuins, Consuls, & Capitoux
De Paris, Orleans, Roüen, Chaallons, Auxerre,
Bourges, Meaux, Perigueux, Dijõ, Tholouze, Berre,
Abbeuille, Amiens, Rheins, le Haure, Monstreüil,
Blaye, Vannes, Soissons, Rion, Cambray, Verneüil,
Poictiers, Arles, Valence, Alby, Rhodez, Narbonne,
Marseille, Agen, Blauet, Vienne, Carcassonne,
Beauuais, Nantes, Dinan, Sens, Marmande, Lion,
Troye, Aix, Saintflour, le Puy, Pierrefonds, & Noyõ.
Or Cesar & Henry s'estans rendus en terre
Deux Alcides seconds, deux foudres de la guerre,
Esleuerent encore tant d'hommes genereux,
Tant de braues Soldats, & de Chefs valeureux,
Que lon peut iustement adiouster à leur gloire
Ce qui fut faict sous eux plus digne de memoire,
Par Sergius Galba, sur les Veragiens,
Et par Montgommery sur les Orthesiens,
Sur Induciomar vaincu par Labiene,
A Luçon par deux Chefs, la Noüe & Saint Estiene,
Par Titure Sabin contre ceux de Roüan,
En Poictou aux assaux soustenus par Rohan,
Par le Ieune Crassus combattant les Vocomtes,
Sur le mesme pays par les quatre Vicomtes,
Par Labiene encore sur Paris & Melun,
Sur Gorde à Castillon par Bonnes & Montbrun,
Par Trebon assiegeant la ville de Marseilles,
Par Roesse à Liuron où il fit des merueilles,
Par Marcus Messala qui fit tousiours des mieux,
Par Soissons à Contras, le Perche, & autres lieux,

Digitized by Google

Par Fußius sauuant plusieurs trouppes defaittes,
Par Colligny qui fit de si braues retraittes,
Par Piso qui seruit en tous perils Cesar,
Par d'Ornano courant pour Henry maint hazar.
Par Pulsie & Varan aux armes admirables,
Par Rosny signalé de playes honorables,
Par Sallone assiegé qui s'acquist tant de los,
Par Bellegarde aussi dans Quilleboeuf enclos,
Par Sitius qui prit Cyrthe & maint autre ville,
En diuers beaux combats rendus par Longueuille,
Par Curion de sang & de sueurs trempé,
Vainqueur & non vaincu, s'il n'eust esté trompé,
Par Condé grand guerrier, & vray foudre de guerre,
A Dreux, & à Iarnac, pris, meurtry, mis en terre,
Par Crastin à Pharsalle où il eut tant d'honneur,
Par Dandelot par tout, le Chevalier sans peur,
Par Sulpice à Chaalons conseruant la Prouince,
Par Neuers qui maintint la Chãpagne à son Prince,
Par Fabie & Canin sur les Luctoriens,
Par la Vallette aussi sur les Sauoisiens,
Par Vallere & Brutus qui prirent plusieurs Villes,
Par Chambaut, Chastillon, la Force, Viuans, Pilles,
Par Ciceron pressant de Cesar le retour,
A Thoulouze & à Mende aussi par Vantadour,
Par le Ieune Silla contre le grand Pompée,
Par Lesdiguieres, lors qu'il defit Amedée,
Encor par Fabius contre les Poitteuins,
Et Dumnaque leur Chef auec ses Angeuins,
Par Bouillon pres Beaumõt cõtre le sieur d'Amblize,
Par Curion lors qu'il fit à Randan quitter prise,

Digitized by Google

Par Euphanor sur mer en son premier bonheur,
Par Themines battant Ioyeuse à Villemeur,
Par Sabinus encor inuesty dans le Perche,
Par la Rochepozay lors qu'il vainquit la Guierche,
Par Mitridate estant contre l'Egyptien,
Par Crequy & Pasquiers sur le Sauoysien,
Par Cersulenius au camp de Ptolomee,
Par Daumõt sur Mercœur, Donjoan, & leur armée,
Par Antoine & Piso en cent occasions,
Où ils firent merueille auec les Legions,
Par Biron en cent lieux contre les aduersaires,
Sur Farnese & Ferie, & Dompietre & Contreres,
Par Cornificius de Cesar le Questeur,
Par Marcus Lepidus qui le fit Dictateur,
Lesquels en plusieurs lieux mõstrerẽt leurs proüesses,
Acquirent à Cesar tant de grandes richesses,
Tant d'armes, de citez, & de prouisions,
Que chacun redoutoit luy & ses Legions:
Sur les Sauoisiens, par Rosny, Lesdiguieres,
Qui prirent Montmeillan, S. Michel, Charbonieres,
Constans, & Miolans. Et par Sully encor,
Lors qu'il acquist au Roy, tant d'armes & tant d'Or,
De poudres, de Canons, & de viures en France,
Que chacun admiroit vne telle abondance;
Et l'esprit de Henry plein de prudence & d'heur
Qui sceut si bien choisir vn si bon seruiteur.
De l'Empire Romain les vastes esterdues,
Du peuple, & du Senat les haines continues,
Esleuerent autant de Rois en leur cité
Qu'ils en auoient ailleurs priué de Royauté,

Digitized by Google

Et n'estant au pouuoir d'vne tourbe ciuille,
De changer tant de Mars en des Bourgeois de ville,
Le Ciel voulut former par vn soin paternel
D'vn populas confus vn Empire eternel,
Choisissant au milieu de tous ces Capitaines
Du plus grãd des Guerriers les vertus souueraines,
Qui comme estant issu de la race des Dieux
Meritoit que son nom s'esleuast iusqu'aux Cieux:
Les troubles de l'Estat, l'oisiueté, l'enfance
Des Rois ayant laissé empieter la France,
Il n'y auoit moyen qu'vn Prince reietté
Peust remettre l'Estat en son authorité.
Parquoy le Ciel voulant d'vne telle Anarchie,
Repurger des François la chere Monarchie,
Il choisit entre tous ces genereux Guerriers,
Celuy qui meritoit d'auoir plus de lauriers,
Lequel extrait d'vn Roy que le Ciel fauorise,
Pouuoit seul paruenir à si haute entreprise.
Cesar ayant à soy tout l'Empire soubmis,
Flattoit ses citoyens, caressoit ses amis,
Et mettant sous le pied toute aigreur de vangeance,
Faisoit du bien à tous, & à nul violance.
Henry ayant acquis l'Estat à sa valeur,
Caressoit les petits, aux grands faisoit honneur,
A tous les gens de bien estoit tousiours propice,
Rendoit esgalement à chacun la Iustice,
Et ne monstra iamais desir de se vanger
De ceux qui autresfois l'auroient pis outrager.
Cesar n'eut pas tousiours la fortune prospere;
Et Henry quelquesfois l'esprouua fort contraire:

Digitized by Google

Car il se presenta plusieurs occasions,
Où l'effet contredist à leurs affections.
Pres là Sembre, Cesar vit son fort au pillage,
Et Henry pres d'Heruaux perdit Camp, & bagage.
Cesar perdit Cotta, son Camp, & ses Soldats,
Henry pres de Bassac, son Oncle & les Combats.
Cesar deuant Clairmont, fut contraint quitter prise,
Henry laissa Poictiers pour vne autre entreprise,
Cesar vit contre luy les plus grands disposez,
Henry eut à son bien les Princes opposez.
Cesar fut par decret declaré aduersaire,
Et Henry eut la Cour à ses desirs contraire.
Cesar fut des Romains, & des Consuls prescrit,
Henry fut fulminé de Rome par escrit.
Rome contre Cesar banda la Republique,
Contre Henry dans Rome on fit mainte pratique.
Pres Gadis trois grands Chefs par leur ambition
Mirent eux & leur Camp en desolation:
Pres Dourlans par discord, par despit, par enuie,
Trois Chefs furent desfaits dont l'vn perdit la vie.
Pres de Nicopoly Caluinus fut desfaict,
Par son impatience & son mauuais effect;
A Craon par discord & mauuaise conduitte
Tout fut precipité, & le camp mis en fuitte.
Pres Bragade Cesar perdit ses legions,
Et Henry pres d'Auneau diuerses nations.
Cesar pres de Duras embrassant trop d'ouurage,
Pressant trop l'ennemy receut vn grand dommage;
Et Henry mesprisant de trop grands ennemis
Pres d'Aumalle faillit d'estre en ruine mis.

Digitized by Google

Domitius saisit & reuolta Marseille,
Arnantil d'Amiens eut fortune pareille.
Le dernier des combats où Cesar s'esprouua,
Fut le plus perilleux que iamais il trouua:
Et Henry n'eut iamais plus de chaudes allarmes
Qu'au dernier des combats où il trempa ses armes.
Mais Cesar & Henry par ces aduersitez
Monstrerent qu'ils n'estoient iamais espouuantez.
Cesar restablissant l'image, & la memoire
D'vn de ses ennemis, il confirma sa gloire:
Et Henry effaçant les diffames d'autruy,
Esleua tout autant de loüanges pour luy.
Ainsi ces deux Cesars s'estans rendus propices,
A tous leurs Citoyens par tant de benefices;
Estimoient les auoir tellement mesnagez,
Qu'à leur propre salut ils seroient obligez.
Mais tant plus leurs vertus recõmandoient leur vie,
Tant plus les conjurez attisoient leur enuie.
Cesar dont la prudence & la viuacité
Ne pouuoient compatir auec l'oisiueté,
Ayant fait ressentir à chacun sa clemence,
Ses liberalitez, & sa magnificence,
Caressé le Senat, enrichy ses Soldats,
Appresté des festins, des ieux, & des combats.
Departy ses honneurs, esleué ses trophées,
Triomphé tant de fois en si peu de iournées,
Osté le souuenir des animositez,
Et imposé silence aux cœurs plus irritez,
Sans s'arrester l'esprit aux querelles ciuiles,
Il forma pour desseins plus grands & plus vtiles,

Digitized by Google

De regler au Soleil le cours du Calendrier,
Retrancher le profit que faisoit l'vsurier,
Abreger les longueurs des vaines plaidoiries,
Bastir vn Temple à Mars, dresser des Librairies,
Reformer tous excez, tous luxes, tous festins,
Reparer tous les ponts, pauer les grands chemins,
Dessecher les marais proches de Terracine,
Euacuer les eaux des paluz de Fucine,
Et conioindre les Mers en faisant retrancher
Les Istmes qui pouuoient cet ouurage empescher,
Pour desseins de la guerre, adiouster à sa gloire
Des Parthes indomptez la finalle Victoire,
Afin de limiter sa domination
Du Fleuue Tanaïs vers le Septentrion,
Et deuers l'Orient du Palus Meotide,
Du Roch, & lac Caspien, & de la Mer Perside,
Si que bornant ainsi de Mers & de Rochers,
Son Empire, il pensoit l'exempter de dangers,
Mais au lieu d'acquerir partant de grãds ouurages,
Et d'actes genereux, les cœurs, & les courages,
L'impatiente enuie & le despit mutin
Qui nourrissoient les cœurs d'vn poison intestin,
Ne peurent supporter ses vertus nompareilles,
Ny qu'au nom des Romains il fist tant de merueilles:
Car vingt & trois mutins, furieux, enragez,
Qu'en vie, honneurs, & biens il auoit obligez,
Meurtrirent ce Monarque en publique audiance,
Estant lors sans soupçon, sans armes, sans deffence;
Aussi le Ciel vangeur de ce crime inhumain,
Mist à sang & à feu tout l'Empire Romain,

Digitized by Google

Fist couller des ruisseaux de sang parmy les villes,
Accabla l'Vniuers de discordes ciuilles;
Tellement que celuy qu'ils auoient reietté,
Fut apres comme vn Dieu d'vn chacun regretté.
Henry dont les vertus n'eurent point de pareilles,
Qui ne cessoit iamais de faire des merueilles,
Quoy qu'il eust restably la France en liberté,
Fait gouster à chacun son extréme bonté,
Comblé tous ses Estats de ieux & d'allegresses,
Distribué dehors & dedans ses richesses;
Fait florir la vertu, les armes, & les Lois,
Son renom immortel, la gloire des François,
Estaint le souuenir des malheurs de la France,
Et reduit tous partis à son obeyssance;
Neaumoins conuié par l'opportunité,
Voulut pour actions dignes d'eternité,
Regler sur le Soleil les années suiuantes,
Moderer l'vsurier sur le profit des rentes,
Abreger les longueurs dont l'on vse aux procez,
Moderer tous festins, tous luxes, tous excez,
Establir des Lecteurs, leuer des Librairies,
Reparer tous les ponts, les pauez, les voeries,
Dessecher les marais, euacuer les eaux,
Conioindre les deux Mers, faisant diuers ruisseaux,
Et couper monts & rocs, auec vn tel mesnage,
Qu'on auroit admiré l'inuenteur & l'ouurage,
Pour desseins de la guerre; il eust bien tost fait voir
Qu'auec la volonté il auoit le pouuoir
De surmonter l'orgueil de ce grand aduersaire,
Dont l'estat a senty la haine hereditaire,

Digitized by Google

D'incorporer en bref au Sceptre des François,
L'Empire & la Grandeur qu'il auoit autresfois,
Reduisant derechef les nations guerrieres,
Et d'Albis & d'Ister, ses antiques barrieres,
Esperant que l'honneur de tant de beaux projets,
Auquel estoit conioint le bien de ses sujets,
Le repos, la grandeur, & la gloire de France,
Luy auroient d'vn chacun acquis la bien-veillance:
Mais le sanglant dessein des esprits infernaux,
Dont la premiere enuie engendra tous nos maux:
Poussèrent vn Demon qui rauit nostre gloire,
Meurtrissant ce grand Roy d'eternelle memoire:
Aussi le Tout-puissant comme iuste vangeur,
Des horribles forfaicts, espandra sa fureur,
Tant sur les conjurez à ce sanglant desastre,
Que sur les vrais François dont les vrais Rois sont
L'Encille, & le Tison; En la fatalité, (l'astre,
Desquels seule l'Estat trouue felicité:
Car Cesar & Henry auoient de la ieunesse,
Et de la force encor pour ioindre à leur proüesse,
Et pour rendre à iamais leurs Estats triumphans,
Lors qu'ils furent meurtris à cinquante sept ans,
Disposez de partir dans quatre ou cinq iournées,
Pour ioindre au rendez-vous leurs trouppes ordonées,
Où desia lon voyoit marcher de toutes pars
Les Aigles, les Drapeaux, & les grands Estendars,
A la terreur desquels toute haute puissance
Estoit preste à ceder & rendre obeïssance.
Cesar laissa Auguste en sa minorité,
Qui eut tant de courage & tant d'authorité,

Digitized by Google

Qu'il fit perir de fer, de rage, & de misere
Ceux qui s'estoient meslez du meurtre de son pere.
Puis ayant surmonté les Princes & les Rois,
Dompté les nations, & fait valoir ses lois,
Il regit l'vniuers auec tant de prudence,
Qu'en son temps l'Eternel voulut prendre naissance.
Henry nous a laissé son fils encor mineur,
Lequel tout plein d'esprit, de vertu, de bon-heur,
Sera rude aux meschans, aux benins débonnaire,
Vn iour accomplira les desseins de son pere,
Restablira les siens, les Armes, & les Lois,
Et l'antique grandeur de l'Empire François;
Si qu'vnissant en luy la gloire, & la clemence,
Le Siecle d'or prendra sous son regne naissance.

Digitized by Google

Epitaphium Henrici Magni.

HEnrici parua hæc vrna est, quem magna probârunt
Facta fuisse Deum, Fata fuisse Hominem.

G. Duuallius, Profess. Regius, & Doctor Medic.

Version Françoise.

CY gist le Grand Henry, dont les faicts heroïques
Faisoient croire à chacun qu'il estoit immortel:
Mais la mort nous faict voir qu'il ne fut iamais tel,
Puis qu'en si peu de lieu reposent ses reliques.

Seb. Hardy Par. Receueur des tailles du Mans.

Digitized by Google

DEVSV ET VTILITATE Græcarum litterarum

Præfatio in Thucydidem.

ALTERVM iam professionis annum ingredior, Audd. cóque magis mihi molestum accidit, quòd qui omnibus nouitatis oneribus defunctus mihi videbar, postquàm semel, ingenti hominum ad audiendum concursu, in possessionem huius loci pedem posueram; nunc rursus tantam ardui alicuius conatus, quantam auspicantibus necesse est, expectationem cogar sustinere. Video enim vestrûm omnium ora atq; oculos in me conuersos, video alios eruditionis, alios dicendi facultatis magnum aliquod à me specimen exigere, omnes in spem benè longæ orationis auritos huc adesse. Mihi verò etsi communi deesse officio, ac publica totius Academiæ vota frustrari nunquam animus fuit, tamen in præsens huic tam honestæ multorũ curiositati satisfacere non est promptum, quod iampridem causarius miles castrensia duntaxat necessitatis non pompę mu-

Digitized by Google

nera obiturus apud signa restiterim. Nec profectò multùm dissentanea Laberio, quamuis in re dissimili, vsurpare contingit, qui affectâ ætate, eò vsq; integrę famæ Romanus eques, à Dictatore Cæsare in scenam prodire iussus, ita vicem suam querens cum fortuna expostulauit.

Fortuna immoderata in bono æquè atque in malo,
Si tibi erat libitum litterarum laudibus
Floris cacumen famæ nostræ frangere,
Cur cùm vigebam membris præuiridantibus
Satisfacere populo, & tali cum poteram viro
Non flexibilem me concuruasti vt carperes?
Nunc me quo deijcis? quid ad scenam affero
Decorem formæ an dignitatem corporis?
Animi virtutem an vocis iucundæ sonum? &c.

Intelligebat nimirùm eum qui publico se committeret, venire quottidie in famæ & nominis dimicationem, multisque quæ incommoda ætas eripit aut minuit, tum animi tum corporis adminiculis indigere. Quod si his qui agunt in scena difficilis quodammodo suscepta prouincia videtur, quod id præstare debent, vt spectatoribus lepido gestu, vocis canore, atque adeò totius corporis conformatione placeant, quanto magis arduum est, vnum de pulpito copiosè ad gratiam dicere, si non modò hæc desiderentur, sed conseruatrix etiam omnium custósque memoria deficiat? Marco Tullio priuata in causa magna

Digitized by Google

& graui, cùm cœpisset Curio pater respondere, subitò resedit, causatus sibi venenis ereptam esse memoriam. Nobis vt fortè non est metuendum nunc ex veneficio vel magica deuinctione silentium, sic neque suppetit ea facultas, quæ aliquid longioris spiritus ausit promittere, cùm si qua eiusmodi vis fuerat, qua certè infrà omnem mediocritatem semper vsi sumus, eam multiplex ægritudo non ferenda mortali, aut extinxerit penitus aut corruperit. Quare nec magnificos titulos superbásq; inscriptiones ad parandam audientiam libenter proponimus, nec deinceps cuiquam deferendi vadimonij authores sumus, nisi fortè de scripto recitantem, quód ab ipso Cicerone sæpe in senatu factum legimus, & verè lectorem audire voluerit. Neque verò existimandum est, superiorum annorum vsu, & tempore magnopere adiutam esse memoriam, cum eo potius consumpta interciderit. Vnde fortasse Varo quidam philosophus Pithagoreus, tempus indoctum, si Aristoteli fides, appellabat, quod omnium rerum oblitionem induceret. Accedit illud Pollionis, quod Plinio verissimum censetur, commodè agendo factum est vt sæpe agerem, sæpe agendo vt minus commodè. Enimuero hæc & alia eiusmodi scio vobis in solutum dari non posse, atque hanc regiam cathedram suo quasi iure postulare, vt non aliter quis ad instau-

randum docendi laborem sese comparet, quàm ad legem ritus antiqui, ædem Musarum cuius parietibus continemur, postem manu tenens solennibus verbis dedicarit. Ab hac consuetudine quæ vim & potestatem legis habet, nec fas recedere nobis, nec excusatione vti Curionis, vt obtentu amissæ venenis memoriæ hodiernæ dictionis gratiam à vobis impetremus. Age igitur quando vti video, præstitit me hoc horæ, vobis ad conditum aggregatis atque expectantibus instar Philemonis domi animam agere, quàm huc progressum nihil dicere, vnde sermonis originem potius quàm ob instituti nostri ratione ducamus, quò prudentes intelligant, nos non tam animi causa in amœniores materias ad ostentationem euagari, quàm instituto præsenti ac suscepto muneri conuenienter disserere? Nam verisimile fit vnumquemque in arte sua quàm in aliena perspicaciorem esse, atque ideò de iis quæ profitetur nonnulla modestiæ laude, minimo reprehensionis periculo loqui, cùm qui ea tractet quæ alienæ professionis sunt, aut ludibrium debeat, velut sophista ille coram Annibale de imperatoris officio disserere ausus, aut extra cancellos prorumpere, & in re minimè necessaria iuueniliter suum ingenium iactare censeatur. Quare si vel dicis causa pauca de dignitate & vsu Græci sermonis attigero, nemo

mo, vt opinor, consilium meum improbabit, quod vnâ & Spartam quam nactus sim ornem, & iuuentuti ad eas litteras sine quibus doctrina omnis caligat, seriò capessendas velut orationis faces admoueam. Quamquam inuitus & insolens facio vt merci meæ pretium verbis ponam, nec ego is sum qui more complurium hominum ea quæ sim adeptus quàmamplissima existimari velim, cum quadam ingenij contumacia, eiusmodi thesauros potius auarè abscondi, quàm cum indignis ac fastidiosis communicari censeam oportere. Nullius enim commendatione indiget virtus, ipsa sibi conciliatricula est, ipsa suas illecebras habet, quibus qui non capitur, adeò illum nullo pacto inuites, vt contra ei merito tanti boni non possessionem modò, sed & notitiam inuideas. Accedit quod vt semper artes, inuenta, & diuitem Græcorum facundiam suspexi, ita gracculæ vanitatis osor nunquam me riualem eorum esse sustinui, qui authorum verba studiosius quàm arduos sensus conceptúsque attenderent, qui Græcè in conuiuiis & coronis ad audientium nauseam obstreperent, qui quoties aliquid dici scribíve oporteret, veluti lingua Latina parum efficax esset ad res exprimendas, aut propriis careret ornamentis, ei transmarinum, si diis placet, subsidium quærerent, & cùm tertio quoque verbo Græcam vocem infarcissent,

Digitized by Google

tum luculento quodam emblemate aut gemma orationem illustrasse sibi videretur. Quorum vitiorum alterum tanquam scopulum fugit copiosè loquentis sapientiæ parens M. Tullius, ac religioni duxit, in orationibus suis Græco verbo vti, cùm Romanum sermonem ieiunum vsque adeò & inopem haberi nollet, vt aliunde quicquam mutuari cogeretur. Altero laborauit imperator Adrianus, qui quòd ambitiosius quàm principem Romanum decuit, Græci sermonis peritiam ostentaret, per ludibrium à nonnullis Græculus est appellatus. Porrò satyrarum scriptorem audio hac loquendi sartagine offensum ita ciues suos incessere.

—— omnia Græcè
Cùm sit turpe magis nostros nescire Latinè.

Et comperio apud veteres eos qui vmbratili studio totos se abderent, homines, (vt ait ille) ignauâ operâ philosophâ sententiâ, sensu communi carentes, Græcos & Scholasticos, quæ contumeliæ nomina fuerunt, audiuisse. Neq; tamen ea imbibenda est animis opinio, quia prauo vsu quibusdam vel inanis huius studij labor fuerit, vel infœlicis potius diligentiæ quàm iudicij laudem attulerit, ideò frustrâ operam in eo poni, neque audiendi sunt ij qui putant, quantum temporis Græcorum lectioni tribuatur, tãtum Latinorum cognitioni detrahi & decedere, aut certè inge-

Digitized by Google

nio velut in plura diſtracto, reliquæ litteraturæ quæ ad gloriam magis conducat, profectum haud mediocriter retardari. Cuius erroris ridiculi certè ac puerilis rationem aliquam habere aut mentionem inducere ſuperuacuum foret, ſi eò tantùm vulgus illud ſine capite, cui anima pro ſale ne putreſcat data eſt, non etiam inſignes interdum famâ & eruditione viri tenerentur. Quo de genere accepimus Pomponium illum Lætum doctrinâ quidem præſtantem & antiquitatis apprimè ſtudioſùm, ſed vt coniicere eſt, non ex gente Pomponij Attici deductum, nunquam litteras Græcas attingere voluiſſe, ne natiuum Romanæ linguæ decus peregrinitate aliqua, vt aiebat, corrumperet. Contrà equidem cùm infinitis prope teſtimoniis euincere poſſe mihi videar, & res ipſa doceat omnes artes & ſcientias in Græciâ aut primùm inuentas aut egregiè auctas excultáſq; fuiſſe: de ſcientiis & artibus poſſe quidem labore & iudicio percipi, quolibet etiam ſermone tractari vtcumque conceſſerim, de humanioribus verò litteris & Latinis argutiis ac penitioribus linguæ myſteriis, ea ſine Græca lucerna inoffenſo pede adiri vnquam imus inficias. Nec refero huc omnes ferè circa Auguſti ætatem poëtas, qui Homeri aliorúmque non imitatores modò, ſed fures manifeſtò deprehenduntur, nihílque non detortum inde pro ſuo

Digitized by Google

venditant: Ciceronem ipsum dico, qui patrię linguæ splendori, quoad eius fieri potest, vbique studet, non ita tamen propriis terminis contineri, quin multa de Græcis furtim & dissimulanter traducta sese prodant, multus etiam in eius dictione Atticus imitationis lepos efflorescat. Quod si ea spectemus quibus rerum natura explicatur, Physica, Geometrica, Mathematica, præterea Musica & Astronomica, hæc quæso vnde nisi à Græcis profecta, & vt inuentores alij fuerint, à quibus saltem aut explicata subtilius, aut tractata copiosius accepimus? Nam quod Ægyptiorum sapientiam eos compilasse proditum est, atque ex gentis illius sacerdotibus arcana plurima fando didicisse, id à Pythagora, Platone & aliis confictum reor, ne nullo peregrinationis fructu gloriari possent, vtque in vulgus non modò ibi natæ, sed & longè petitæ doctrinæ famam sibi compararent. Hebræis à plerisque origines & principia scientiarum adscribi facile patior, & pietatis est assentiri, vnde lux terris orta sit, inde optima quæque ad humani generis vtilitatem oriri potuisse. Cùm tamen Hebræi nominis haud contemnẽdus author Philo Iudæus scriptum reliquerit, ab Ægyptiorum rege ad erudiendum Mosem adhuc adolescentem regiíque sanguinis creditum, accitos è Græcia præceptores, ex eo Græcos si non artes inuenisse,

Digitized by Google

attamen longissimi temporis possessione, quasi earum dominium vsucepisse palam est. Sanè Romani qui vni armorum studio addicti, demùm post subactum terrarum orbem, serius litteras attigerunt, eas Græcis nempe victores victis acceptas ferunt,

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio,

nec puduit rerum dominos tradere se seruis suis erudiendos. Vnus omnium hirtus horridúsque ingenio C. Marius, totam Græcorum doctrinam adspernatus est, idque non obscurè tulit, cùm propalam negaret, eos se magistros habere voluisse, qui aliis seruirent, & quibus videlicet effœminatis vmbratili otio animis, suæ artes nihil ad tuendam libertatem profuissent. Iam verò nemini dubium esse potest quin Græcæ nationi multò expeditior & facilior ad scientias via fuerit, quàm cæteris aliis, quippe quæ cùm illas domi haberet, in solo iudicio, non in memoria excolenda aut peregrino vllo sermone laborabat. Romanis vt liberalium artium mysteriis initiarentur, callere alienam linguam necesse fuit, & tamen cum iis multo melius quàm cum posteris actum est, quod hanc solam ediscebant, nos & Latinam eorum discendam habemus; illi peregrinatione, vsu, & commercio cum Græcis, nos postquam Græcia esse desiit, improbo labore, præceptioni-

Digitized by Google

bus ac muta plerumque lectione percipimus. Et quidem summus ille iuuentutis moderator Martiali dictus, auspicari puerorum institutionem à Græcis mauult, ita tamen vt Latina fermè pari gradu subsequantur: sed de iis pueris intelligit quos vel ipsæ nutrices nedum Corneliæ matres eloquentiam docuissent. Liberè dicam illud, quod licet verum, tamen pręter multorum opinionem futurum est, cùm vtriusque linguæ interitus iam à multis sæculis contigerit, & ipsis fontibus exhaustis atque penitus arefactis, res omnis ad libros tanquam ad triarios redierit; Græca contenti facilè Latinę vsu carere potuimus. Quod si factum esset, nos nulla vtilitate priuati, sed magno contrà labore atque onere liberati, vnica via, & vno (vt Plautinè loquar) pedatu, nunc in omnium artium & scientiarum adyta veniremus. Sed quia fortuna domicilium orbis terræ in Capitolio locauit, Romámque caput rerum esse voluit, non modo quō tempore illa aurato curru de regibus & populis triumphabat, sed postquam etiam explosō gentilium ritu, oracula fidei & sacrorum iura inde peti cœpta sunt: idcircò totus occidens illius vrbis cui Deus & fortuna in se imperium dedissent, & moribus viuere & verbis loqui, pro statu rerum præsentium instituit. Alioqui si vsu & consuetudine olim ita receptum fuisset, vt à Græcis inciperemus, præter-

quam quod laboris dimidium ad altiora nitentibus tolleretur, etiam tota Latinitas, nullo penè artium humaniorum damno à ſcholis exularet. Quid enim habet illa præter delitias aliquas & veneres quod magnoperè expetendum ducamus? quid ita neceſſarium, vt ex eius ignoratione, nos ad rerum cognitionem minus inſtructos eſſe contingat? Nec enim ſummos quoſque grauiorum diſciplinarum antiſtites nobis protulit, non in philoſophia Platonem & Ariſtotelem, non in medicina Hippocratem & Galenum, non in mathematicis Euclidem & Archimedem, non denique ſexcentos alios in omni genere artium authores maximos, quorum pulſata pede Græcia legiones multas ſuffecerit. Nam vt comparatione Homerica vtar, ad numerum ſcriptorum vtriuſque gentis ineundum, ſi Græci epulentur deni, eiſque, ex Latinis ſinguli miſceant, certum eſt multas Græcorum decadas ſuo pocillatore & pincerna eſſe carituras. Tanto ſcilicet ingeniis fœcundior Græcia fuit quàm Italia, quod abſumptis toties conuerſione rerum & vaſtitate populorum bibliothecis, tot libris amiſſis, ex vtrorumq; reliquiis etiamnum licet colligere. At dicet aliquis, ignotum Ciceronis nomen foret, & hic eloquentiæ ſol ſilentij nube obuolutus nequaquam nobis illuceſceret; hoc damnum vel vno Demoſthene penſaretur, & in illis

Digitized by Google

decem Græciæ oratoribus, quorum monumenta haud prorsus interciderunt, exempla facundiæ abundè suppeterent. Desideraremus Maronem, at Homerus & alij superstites facile hoc desiderium lenirent; denique Thucydides & Herodotus Liuij & Sallustij, ne longior enumeratio molesta sit, vicem fungerentur. Ingentem fateor iacturam fecissemus in illis. diuinæ memoriæ patribus Ambrosio, Hieronymo, & Augustino, quorum parta scriptis & miraculis gloria ad homines pariter & cœlites extenditur. Sed in eorum locum venirent Basilij, Nazianzeni, Chrysostomi, quorum dictio (vt de argumentis ipsis & rerum mole sileam) & antiquorum gloriam æmulatur, & Latinorum patrum facundiam longè anteuertit. Fortè & huic decreto intercedent iureconsulti, nec æquo animo ferre poterunt tanquam superuacuum illius linguæ studium eliminari, qua olim tot Pauli & Papiniani, tot Labeones & Scæuolæ responderint. Sit sanè vt volunt, quando etiam Græcus imperator id sua cura dignum existimauit, vt prudentum responsa Latino eóque purissimo edita sermone in volumen vnum conferrentur. Non tamen iuris scientia nihil Græcis debet cùm Tribonianus, Theophilus & Dorotheus summi viri, postq; illos Harmenopulus insignem in id operam contulerint. Cuius rei causa hæc est quam an-

Digitized by Google

te indicauimus, quod Romani tam longè armis & virtute imperium propagarunt, vt cunctas gentes dicto sibi audientes fecerint, & ad dominæ vrbis leges ac ius Quiritium veneratione quadam tantæ maiestatis ediscendum compulerint. Quinetiam Iustinianus & secuti eum principes qui Roma exciderant, & in Græcum morem degenerauerant, recordatione tantæ potentiæ, se non Græcos, sed Romanos imperatores passim nuncuparũt. Cùm igitur fors ita tulerit, vt scholæ omnes Latina Græcis præuerterent, sic vtrisque incumbendum est, vt hæc omnino ad grauiores disciplinas necessaria, illa plausibilia magis & accommodata tempori habeantur. Sed occinunt nobis veterem næniam homines à litteris malè feriati, linguarum inutile studium esse, postquam hoc æuo eruditorum interpretum diligentia factum est, vt omnis fermè antiquitas Gallico donata sermone nobiscum familiariter loqueretur, & togati palliatique scriptores, huc è suis sedibus traducti, nostrorum habitus induerent. Præpostera hercle ratio, eos imitari nolle, per quos profeceris, & quorum interpretationis fidem sequi necesse habeas, eorum interpretandi operam inutilem ducere, aut similis facultatis comparandę laborem defugere. Nam opinor tutius ingreditur qui suis quam qui alienis oculis videt, nec vllus sanæ mentis futu-

Digitized by Google

rus est imperator, qui ducibus itinerum vti quàm ipse notitiam locorum habere malit. Mitto quod totus ille interpretũ labor adeò non valet ad configendos cornicum oculos, vt contrà sæpe natiuam authorum pulcritudinem & verborum vim non assequatur. Neque hoc aliud quicquam est, quàm Mineruæ sacra solis adeunda viris euulgare, vt eò tunicata & tabernaria plebs, ipsæque mulierculæ se penetrent, quas vt ab Olympicis quondam certaminibus spectandis arceri solitas legimus, sic etiam nunc à mysteriis litterarum introspiciendis exclusas oportuit. Porrò vertendi munus fere expers laudis est & plenum periculi, quod facilis in eo lapsus, atque in alienis vestigiis euntem, si tantisper oculos aliò deflectas, lubricus pes fallit, omnísque recte dictorum penes authorem est gloria, in interpretem erratorum culpa reiicitur. Vnde vix vnum aut alterum inuenias eorum qui vertendis authoribus manum admoliti sunt, quin aut per imperitiam multa peccauerit, aut interdum per incogitantiam obrepente somno ab authoris mente diuersus abierit. Quod ne mihi sine testimonio ac exemplo credi velle videar, en Plutarchus Gallicus quem omnes manibus terunt, omnes ob beatam fluentémque vernaculi sermonis venam in cœlum tollunt, quoties impegit, quoties inquam à Plutarchi Græci verbis sensúq;

Digitized by Google

aberrauit? Indicare locos, & ante ora vestra Critico apparatu traducere non patitur orationis modus, vt crimine ab vno, discatis omnes, Catonis maioris vitam, si vacat, euoluite. Ibi memorabile refertur apophthegma quo vir ille censorius, trium se potissimum pœnitere aiebat, in eo apophthegmate vertendo quam pœnitendam operam ipse interpres adhibuerit, collatione vtrimque facta licebit deprehendere. Cuius profecto loci ante alios non venisset in mentem nisi haud ita pridem concionatores magnæ celebritatis eum nobis audientibus de suggestu ex interpretis fide protulissent. Neque hæc dicimus ad conuellendam viri clarissimi existimationem, quem inter lumina Galliæ nostræ veneramur, & cui tantum Plutarchus debet quantum nos ipsi Plutarcho debemus, sed ad commonendos studiosos vt in seipsis aliquid præsidij reponant, ne dum per æqua & iniqua interpretes sequuntur, ipsi suis gressibus regendis prorsus impares, cum errantibus labi necesse habeant. Quem autem mortalium immunem erroris reperias? quem ita Lynceum & perspicacem vt non interdum dormiret, non alicubi etiam plane cæcutiat? Humanum istud est, nec probro vertendum viro aliàs magnis dotibus suspiciendo, quod non vbique Plutarchi mentem assequutus sit, sed laudi potius tribuendum quod singu-

Digitized by Google

lari iudicio ac eruditione præditus cæteris omnibus in eo genere palmam præripuerit. Miremur scilicet hominem Gallum aliquoties in Plutarcho hallucinatũ esse, cum diuus etiam Hieronymus ingenij & eloquentiæ tam admirabilis, scientię pene humano captu maioris, præterea æqualis eorum temporum quibus Græcus sermo vernaculus erat, in translatione Eusebij errores non paucos, nec in mediocri homine ferẽdos admiserit. Quos ita doctissimus huius æui suis ad Eusebium commentariis animaduertit, vt seruata quæ sanctissimo viro debetur reuerentia, quicquid peccatum est, incredibili modestia excusaret, & partim notarij qui dictata excipiebat inscitiæ, partim dictantis ob varias occupationes properantiæ adscriberet. Non enim vlla libidine detrahendi ad hos lapsus prodendos impulsus est, quod existimare possent, qui hominis sectam norunt, sed quia sine labe sui nominis & damno lectoris, publicæque vtilitatis iactura dissimulari non poterant, aperuit. Nos etiam & quisquis vel mediocrem vsum in re litteraria consecutus est, magnam eorum partem deprehendere potuimus, nisi dum Diuum Hieronymum audimus, & eius scripta legimus, tanti nominis authoritas & fulgor, longè animos ab omnis mendi suspicione auerteret. Quare hinc liquidò constare arbitror, quatenus translationibus fidendum

Digitized by Google

ſit, quámque ipſæ archetypis & autographis diſſimiles, quod idem Hieronymus luculentâ illâ, quam Euſebianæ tranſlationi præfixit, epiſtolâ ſatis declarauit. Supereſt igitur vt cui tutioris ſcientiæ inceſſerit cupiditas, is non alienæ operæ ſegniter acquieſcat, ſed de ſedulitate nihil remittat, donec per ſe præſtare poſſit interpretem. Nos qui ſemper ſtuduimus prodeſſe quamplurimis, & quorum partes ſunt hæc ſtudia promouere, currere volentibus opem pro virili laturi, repetito ſtadio ad carceres conſiſtimus. Sed quorum maximè perteſum ſit in regiis prælectionibus, & quæ progreſſum in Græcis litteris remorari putem, aperire non verebor. Cùm vſus adnitente memoria, omnis facultatis & peritiæ pater ſit, tamen hic prauus mos inoleuit, credo vt infirmioribus mos gereretur, vt ſingulis penſis ſex ſeptemve authoris verſus duntaxat explicentur; vnde doctori ad anxiam & inutilem lõgarum minutiarum expoſitionem labor, auditori ad linguæ intelligentiam ferè nihil accreſcit. Ergo Callipidis illius ſimiles ſumus, quem curſitare ac ne cubiti quidem menſurã progredi Græco prouerbio notatum eſt. Vel ad cõditionem Diotimi deuoluimur, cuius Aratus vicem dolet, quod Gargarẽſium pueros Beta & Alpha docens conſeneſcat. De hoc elegiæ Arati fragmentum, quia eximiè lepidum eſt vel inuito Cicerone proferam.

Digitized by Google

Αἰάζω Διότιμον, ὃς ἐν πέτρῃσι κάθηται,
Γαριδρέων παισὶν βῆτα καὶ ἄφα λέγων.

Aliorum præceptorum est quos eruditos & industrios plerosque habet Academia, pauca quæ rudiorum memoriam excitent potius quàm onerent, tradere, regium professorem eiusmodi angustiis coërceri non oportet, sed nihil necessarium omittentem, & Græcorum genium ac linguæ arcana vbique explorantem, si res ita postulet, Demosthenis orationem, Homeri librum vel Aristophanis fabulam vno mense percurrere. Molesta certe hæc auribus vestris accidit oratio, Audd. quippe cuius argumentum ex scholastico puluere desumptum, nihil ornatus aut suauitatis habeat, nulla sese nouitatis commendatione animis insinuet. Qua in re causæ seruiendum duximus, ne si ab instituto nostro diuersa sectaremur, censor aliquis aurem vellens, de tribus capellis dicendum esse admoneret. Non deerat tamen vnde quis captare plausum, & vbi vel magnorum rhetorum dictio posset exspatiari, si de serenissimi Regis Ludouici decennio, quod reuolutæ temporum vices altero ab hinc mense fœliciter compleuerunt, animus parum virium fidens sermonem instituere non recusasset. Exemplum enim peteretur ab Augusto, qui decimo quoque anno, nouum velut imperium capessebat, noua principatus auspicia solenni omnium

Digitized by Google

ordinum assensu & gratulatione celebrabat. Iam decimus annus exiit, ex quo tantæ spei princeps magno generis humani bono in hanc communem lucem ingressus est, quem non in priuata parentum fortuna genitum, non ex transuersa cognatione ad hæreditatem vocatum, ius regni duntaxat nobis dominum imposuit, sed quod imperator Commodus de se aiebat, patre rege natum, in regia ortum & educatum, sol hominem simul & regem adspexit. Pro eius incolumitate vniuersa Gallia, adumbrato more veteri sæpe decennalia vota nuncupabit, sæpe propitiis & annuentibus superis persoluet. Nos interea si fieri possit, imitemur Tyrios qui vrbe obsessa, cum vnus e ciuibus in concione indicasset, oblatam sibi esse per somnum speciem Apollinis, quem eximia religione colebant, vrbem deserentis: e vestigio simulacrum eius catena religarunt, atque aræ Herculis cuius numini vrbem dicauerant, inseruerunt vinculum, quasi illius Dei ope Apollinem retenturi. Apollinem ne ex Academia aufugiat, vinculis constringamus: quæ si ad eum retinendum parum valebunt, ipsum Herculi cuipiam quem eluctari non possit, alligemus. Is erit Illustrissimus Cardinalis Perronius, in quo hac tempestate spes & opes studiorum sitæ sunt, & qui vnus possit Apollini fugienti compedes iniicere. Ab eius

Digitized by Google

consiliis & summa qua pollet apud serenissimum Regem authoritate, ædem, aram, domiciliúmque Apollini & litteris propediem expectamus, & simul in tam fausto nomine desinimus.

PRO DOMO SVA, SIVE *REGIORVM INTERPRETVM cathedra.*

DIVTVRNVM silentium excusare, Audd. aut profectionis meæ afferre causas, in hac regij muneris instauratione, non est mihi consilium. Esset enim ridiculæ vanitatis me quem per hos quattuor menses nemo fortasse abesse senserit, cuius nullum in tanta præsertim doctissimorum collegarum copia, apud studiosos desiderium extiterit, nunc modico interuallo huc reuersum, ambitiosa oratione vel absentiæ meæ rationem reddere, vel culpam deprecari. Quippe idem meritò, quod olim M. Tullius audirem, qui cùm exacto ferè trien-

Digitized by Google

nio, è quæstura Siciliensi vrbem repeteret, ratus ex nimio sui amore, toto illo temporis spatio, nullos nisi de se Romæ fuisse sermones, quem primùm ciuem obuium ad portas habuit, eum percontatus est quæ hominum de magistratu suo foret existimatio, à quo vicissim interrogatus; vbi hesterno die fuisset, castigata pudore iactantia, rerum gestarum famam, & præsumptam gloriæ opinionem sensit in vnius hominis vel dissimulatione vel ignoratione esse sepultam. Et verò de intermisso labore apud vos verba facere, adeò nullius relligionis aut officij esse duco, vt contrà verear ne id modestiæ genus arrogantiæ suspicionem incurrat, animúmque declaret eius qui scholam regiam & iuuentutem putet tandiu opera sua ægrè caruisse. Quare delictum huius cessationis si quod est vel damnum præstabunt medicorum filij, qui mihi peregrinationis authores suasoresque homini præ Lutetia facilè longinqua non admiranti, & iure inhospitales vultus ac itinerum difficultates exhorrescenti non vsque-quaque gratas ferias indixere. Veruntamen eorum præscriptis parendum erat, quorum imperia detrectasse, multis apud Libitinæ tribunal capitale fuit, quæ quanti fecerint veteres, vel ipse sermonis vsus indicat, cùm Latina antiquitas medicum velut imperantibus imperantem passim insinuet. Adhæc ne à fu-

Digitized by Google

gitiuariis retrahi possemus, aut tanquã emansores castrensium legum pœnis subiiceremur, de commeatu nobis prouisum est, nec iniussu imperatoris de hac statione decessimus. Quã daret ægro

- dedit ægrotare timenti
Mœcenas veniam.

Quamquam scio fraudi non fuisse olim ciui vel patritio, etiam cùm suspicio rerum nouarum multos fulmine maiestatis percuteret, si tum valetudinis, tum animi causa, absque permissu Cæsaris, Baias aut Aponum, aut extra Italiam in viciniores prouincias excurrisset. Enimuero non est quod vindemiales mihi ferias ceu iusto longiores quisquam inuideat, qui in regione aspera atque montuosa, inter nemora & solitudines, non modo vindemiam nullam viderim, sed nec aliud duos ferè menses quàm aquam biberim, vt neminem hic esse rear, qui non tales recuset inducias, & eiusmodi otium cum quouis negotio malit commutare. Illic è subiectis conuallibus quaquauersum pendentes scopulos non racemos intueri datur, inuisa pariter Cereri & Libero loca, quę si deus ille ingeniorum Homerus nouisset, θάλασσαν ἀτρύγετον vbique nuncupare solitus, proculdubio iam in eius scriptis, prouinciam aliquam ἀτρύγετον & partem mundi inuindemiabilem legeremus. Quamobrem iis qui nos Tungrorum secessu

Digitized by Google

vel amœnitatem captasse, vel laborem defugisse prædicant, similem profectionem eundémque aquarum vsum licere optamus, vt plusculos dies cum Plautino Euclione Cereri nuptias faciant, in quibus temeti nihil apponi experiantur. Aliis verò qui nullo liuore, sed solo publicæ vtilitatis amore ducti, maturius huc me reuerti debuisse dicent, ad explendam anticipata industria superioris temporis lacunam, respondebo idem quod consularis Arpinas conquerentibus Pompeianis quasi serò ad partes venisset: minimè serò veni, nihil enim hîc paratum video. Etenim vt nulla sontica affectio, iustam nobis vacationem dedisset, tamen quod iniquis inclusi spatiis, intra meridianæ horæ angustias cogeremur, quod aliis prandentibus doceremus, ac per æstiuos dies, quos plerique otiosi, iuxta Varronem insititio somno meridie diffindunt, importunis lectionibus has columnas rumperemus, satis erat causæ cur tam molestum officium differremus, donec vicina illa porticus omnibus partibus absoluta, commodiore nos docendi statione exciperet. Itaque expectabamus vt in nouam ædem translati, anno ineunte laxius sederemus, vtque casu seu miraculo nobis idem accideret, quod ranis illis apud Aristotelem, quæ cùm in Seripho mutæ sint, si aliò transferantur, canoræ admodum & vocales fiunt. Verùm nescio

Digitized by Google

quo pacto huc infrequens cæmenta demittit redemptor, & opere tardius procedente, in easdem nunc loci atque temporis angustias reuoluimur. Quinetiam vix est potestas vetere in domicilio consistendi, iussis iampridem conuasare dominis, & cœptis circumquaque demolitionibus, vt verisimile sit omnes dudum ex prouidentia mures isthinc emigrasse. Ipsum adeò sacellum in quo rem diuinam quotidie fieri videbamus, solo æquatum reliquæ profanæ mansioni, atque huic aulæ exiguam moræ spem facere videtur.

Excessere omnes adytis arisque relictis,

Dij quibus auditorium hoc steterat. Nos tamen adhuc rudera & parietinas ruentis ædificij premimus, ac prope est vt professoribus illud eueniat, quod Philippus quondã Olynthiis interminatus est, à quibus de muro probris lacessitus, breui se effecturum dixit, vt cicadæ humi canerent. Atqui nescius non sum, plerisque hæc frustra obtendi, neque satis iustam deserendi muneris excusationem videri, etiam si neutrum domicilium staret, & vetus plane dirutum, nouum duntaxat inchoatum, omnem exercendæ ibi professionis facultatem adimeret. Quid enim? num alias deesse basilicas in tam vasto Academiæ ambitu, in quibus officio illo defungi liceat? nunquid docere volentibus cætera gymnasia patêre, & in iis liberam cuique sui temporis ad inter-

Digitized by Google

pretandum electionem esse, neque demum id exemplo carere, cùm iampridem non pauci collegarum eadem difficultate deterriti, cathedra vetere abstineant, nec ideò tamen minus in aliis ædibus pergant profiteri? Quæ profectò vt conuenienter rationi dici fieriq; assentior, ita hoc mihi concedi æquum esse censeo, non paruam huic suggesto inesse dignitatem ac prope dixerim sanctimoniam, vt quodammodo nefas sit ad fungendum munus, nisi obiectis maximis impedimentis ab eo recedere. Regia hîc auspicia, regales diui semper fuêre, & vt in veterum spectaculis sua patribus Orchestra, sui equitibus quattuordecim gradus assignati, quò tunicatę plebeculæ relictis cuneis perrumpere non liceret, ita in hoc florentissimo quondam disciplinarum theatro, prudenti maiorum discrimine, constitutus est regiis professoribus locus, vbi à pluribus seorsim consisterent. Hunc primi verbis solennibus consecrarunt vera immortalitatis nomina, Tusani, Turnebi, Lãbini, Aurati, Passeratij, neque minus difficilem virtutis suæ imitationem, quàm gloriosam muneris successionem posteris reliquerunt. Tantorum virorum simul vestigiis ingredi, & adorare manes, vel exemplo stoici Senecæ oportet, qui Linterni agens in villa quondam magni Scipionis, hęc apud se admirabundus & summissus proferebat. In hoc an-

Digitized by Google

gulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet quod tantum ſemel capta eſt, abluebat corpus ruſticis laboribus feſſum: ſub hoc ille tecto tam ſordido ſtetit! hoc illum pauimentum tam vile ſuſtinuit! denique alia eiuſmodi cum ſtupore obſeruabat, quæ ſummam Africani tanto in faſtigio moderationem ac frugalitatem arguerent, id potiſſimum in magna fœlicitatis parte deputans, quòd ſibi daretur, calcata tanto heroi loca intrare, inſiſtere, venerari. Itidem & in mentem venire debet omnibus qui hæc pulpita ineunt, quos deceſſores habuerint, quot mortales ex omnibus terrarum oris, exteri pariter & indigenæ hæc limina celebrarint, quoties hi parietes doctiſſimorum hominum vocibus, & ſtudioſorum iuuenum plauſibus perſonuerint. Hic Latinas, ille Græcas, alius Hebraicas litteras exquiſita quadam miniméque vulgari ratione tradebat, ex hoc loco Ariſtoteles reiectis barbarorum bardorúmque inquinamentis, puram philoſophiam ex ipſo fonte deriuabat, Euclides totum orbem radio mathematico dimenſus inſuper formas in puluere deſcribebat, Hippocrates pleroſque ſuæmentis ac placitorum interpretes nuſquam Galeno inferiores habebat. Et tot viros quorum nunc famam Europa vix capit, cathedra vna putri aſſere fermè ruinoſa capiebat, quam profectò velut nauim illam Argo vel ſua, vel vecto-

Digitized by Google

rum præstantia, inter signa cœlestia relatam oportuit. Quippe vt poëtarum fabulis proditum est, Argonautarum carinam è transtris suis vocem emisisse, sic Cameracensem cathedram è pulpitis oracula fudisse, non dubiis multorum testimoniis verum est. Quare nemini dubium esse debet quin hæc cathedra tàm professoribus fatalis sit, quàm Scipionibus Africa, quod eius ingenti Genio non mediocriter adiuuentur, & insita ingeniis virtutum laudúmque semina, hic potissimùm tanquam in proprio aruo alantur atque efflorescant. Proinde nimium iniquus censor fuerit, quisquis de rebus longiore spatio prolatis querelam in nos instituet. Quò enim legendi laborem suscipimus, si vbi legamus non est? Audita vox est Cnæi Pompeij, cùm frequenti concione, extinctam operâ Ciceronis nefariam Catilinæ coniurationem gratularetur, eíq; seruatæ reipublicæ testimonium daret, frustrà se tertium triumphum deportaturum fuisse, nisi beneficio Ciceronis, vbi triumpharet, habuisset. Ita nisi rediuiua illa Pergama, illa inquam basilica, liberalitate Christianissimi Regis, authoritate & consilio illustrissimi Cardinalis cœpta, penéque ad fastigium perducta, in consummatam operis faciem tandem assurgat, video necessum fore interpretibus, penuria loci vbi prælegant, tantisper artem desinere. Ad quæ rursus mihi

Digitized by Google

responderi audio, professoris officium non angulo aliquo finitum, non tempore circunscriptum, in aliis Academiæ vmbraculis, quæ plurima sunt, posse interim præstari: & simul adiici Ausonianum illud,

Non obstare locum, cùm valet ingenium.

Primùm si domo longius exeundum sit, quis præstet ne agitatione illa & motu corporis, omnia quæ meditatus veneris, excidant? Sicut Platonici vt suam αὐάμνησιν adstruerent, existimarunt animas in cœlo prius rerum omnium scientissimas, dum in corpora mitterentur, rotatu illo & vertigine per mundum elementarem, omnium quæ scirent oblitas, hîc nonnisi magno studio ac labore paulatim reminisci. Adde frequentes amicorum occursus & colloquia, offendicula, moras, in turba iactationes, quæ si corpori non officiunt, at seriam animi cogitationem interpellant. Non enim magis commoda sunt Lutetiæ quàm Romæ interualla, nec magis puræ plateæ, vt per eas ambulanti, aliud agere impunè liceat. Idem nobiscum Flaccus quò minus inter ambulandum totus sit in nugis suis, sibi obesse non dissimulat his versibus:

Puræ sunt plateæ nihil vt meditantibus obstet?
Festinat calidus mulis gerulisque redemptor
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum
Tristia robustis luctantur funera plaustris,
Hæ rabiosa fugit canis, hæ lutulenta ruit sus.

Eat

Eat nunc qui volet ad alienas cathedras & è vicis ac angiportis lutulentus ad prælectionum munus accedat. Nos hercle vt cætera minimè grauemur, tamen relligione aliqua prohibemur, alia quàm quæ regiis auſpiciis conſecrata ſint, roſtra conſcendere. Occurrit illud Pauli Iuriſconſulti, prætorem non vbiq; ius dicere, ſed in eo duntaxat locò, vbi ſalua maieſtate imperij ſui, ſaluóq. more maiorum id facere queat. Et ſi parua magnis conferre haud abſurdum eſt, repeto ex veteribus memoriis, poſt interitum Neronis, cùm Galbam in Hiſpania exercitus Auguſtum ſalutaſſet, quantos ea res animorum motus apud Senatum & populum vrbanúmque militem conciuerit, euulgato ſcilicet imperij arcano, poſſe principem alibi quàm Romæ fieri. Fortè & profeſſoriæ exiſtimationis, maioríſque litterarum dignitatis intererat, ne conſtaret exemplis, nos in quauis exhedra poſſe regios interpretes agere. Nam ex quo vagi ac deſultorij nihílque referre putantes, hoc an illo loco ſtipendia regia faceremus, communia pulpita frequentare cœpimus, è veſtigio circulatorum turba, proletarij & capitecenſi litteriones, temerè nullóque regalis Genij reſpectu, ſepta hæc irruperunt. Inde quemadmodum omnis natio Comœda, mimi & moriones vndecunque Lutetiam delati, velut in deſtinata ſibi publica Burgundionum ſcena ſuę artis ap-

Digitized by Google

paratum explicant, ita quicquid ardelionum & Serapionum in Academiam confluit, hîc merces suas exponere amat, hîc ingenium ostentare, hîc tanquam in Achillis lorica sese traducere. Quorum permulti cùm sæpenumerò non tam se experiundos dedissent, quàm populo ridendos propinassent, & sine præda in scopulo morati essent, facetissimè aiebat ματαιόμυς Passeratius, parodia vetus prouerbium adumbrans, necessariò qui hîc doceret aut professorem aut stultum esse oportere. Dum itaque hoc modo commodam quisque horam & stationem quærentes, communia suggesta sectamur, proprium istud habere desiimus. Hoc verò quid aliud est quàm auditorium regium suis penè sedibus ac fundamentis reuulsum aliò transferre, & interpretis officium atque personam alieno loco induere, in suo deponere? Frustra Pompeius bello ciuili Romam deserit, vt eam trans mare in Thessalia quærat. Patricij iuuenes qui principe sententiæ Metello, post cladem Apuliæ mare & naues circunspectare cœperant, vt deserta Italia, ad regum aliquem transfugerent, vel translatis penatibus in loca super Adriam, aliam ibi Romam conderent, non modò à Scipione strictum gladium intentante grauibus minis in præsens increpiti sunt, sed postmodũ etiam meliore fama mulctati, nimium degeneris propositi notam sub-

Digitized by Google

ierunt. Ita ſemper crimini datum eſt, maiorum locum relinquere, vt etiamſi extrema quæque premant, tamen ex conſilio illius qui Dionyſio ſuadebat ὡς καλὸν ὑπάρχειν ἡ τυραννίς, non niſi pedibus protractum foras inde auelli oporteat. Quorſum verò hęc? inquiet aliquis: an tantis verborum ambagibus eò demùm res deducitur, vti putemus ſi locus hîc deſit, omninò profeſſoribus ſilendum, & paratis aliarum ædium ſubſelliis abſtinendum eſſe, denique nullam videri, quàm aliquam huius ordinis diligentiam, præſtare? Debeatur ergo inſtitutio illa publica deinceps parietibus, non hominibus, & contrà generoſum Spartæ reſponſum, ciuitas muris potius quàm viris conſtet. An alibi pluris quàm hîc ſal emitur? an Cameracenſis cathedra de genere Delphicorum tripodum eſt, quam vt quiſque inſederit, ſtatim velut afflatu diuino, eius ſeſe vis ingenij exerat, aliàs eum deſtituat? Fortè homines Antæi ſimiles narras, qui niſi hanc terram ceu matrem ſuam attigerint, quouis infirmo infirmiores, aut ſtatua taciturniores futuri ſint. En Rhodus, en ſaltus. Equidem nec aliorum factũ improbo, nec quemquam vt Popilius Lænas virgula circunſcribo, vt quaſi finito arenæ circulo non egrediatur, certóque loco ad docendum conſiſtat, tantùm quæ velim proloqui mihi liberum eſſe poſtulo, qui adeò intra hos parietes cogere

Digitized by Google

me nolim, vt etiam si tectum desit, subdiales prælectiones non sim recusaturus. Scimus enim & subdialia iudicia olim haberi solita, nonnullo causidicorum incommodo, ita, vt Porcius Latro sua ætate disertissimus, qui aliàs tecto & parietibus insueuerat, cùm pro reo diceret, vsqueadeo insolentia loci confusus fuerit, vt à solœcismo inciperet, nec ante confirmari potuerit, quàm iudicium è subdiali foro in proximam basilicam transferretur. Quod ad nos attinet, si neque sub hoc tecto, neque cœlo aperto satis commodè degemus, omisso ad tempus instituto, donec propinqua regia pateat, opperiemur, Plinianum istud subinde reputantes, omninò præstare otiosos esse, quàm nihil agere. Neque si reliquæ omnes Academiæ domus, adapertis foribus, nobis ad id officij sedem commodent, eò ituri sumus, nihilo inferiore spiritu quàm Amphicrates rhetor Atheniensis, qui rogantibus vt Seleucię in vrbe mediocri profiteri vellet, conditionem aspernatus respondit, ὡς οὐδὲ λεκάνη δελφῖνα χωρεῖν, patinam non esse delphini capacem. Facio inuitus vt molesta oratione tandiu vestras aures detineam, mihique præter expectationem accidisse video, vt potius de angustiis cadentis domus conquererer, quàm de surgentis commodis & laxitate gloriarer. Nimirum pro centum panegyricis professorum orationibus, quibus

Digitized by Google

& Academia vndique circunſonare, & noui auditorij encænia celebrari hoc tempore debebant, nihil vobis niſi velut Ιλίου ἅλωσιν, & Troiæ excidium damus audiendum. Hæc omnis operarum & latomorum culpa eſt, qui ob tantæ lentitudinis noxam, vel Latomias meruerunt, vel nihilo maiorem mercedem, quàm qua decantatus ille Laomedon poſt exſtructos immortali manu ciuitatis ſuæ muros diis mercenariis ſatisfecit. Tametſi nec iſti fabri vllo pacto cum illis conferendi ſunt, nec operi ſuo æternitatem polliceri nedum præſtare poſſunt. Eam non ab architectis fas eſt, ſed ab iis qui reconditos pulcherrimarum rerum theſauros ibi deprome nt, expectari. Vrgebit autem, vt ſperamus, indormientes operi operas, Turni præſentia, hoc eſt, maximi Senonum antiſtitis, qui quam debemus ſedulitatem, tandiu iuſtè deſiderari non poſſe intelligit, quamdiu nobis ad agendum apta & neceſſaria defuerint. Cæterùm omnia numerò non fiunt, nec inueniri hac tempeſtate poteſt, tantæ celeritatis ædificator, quantæ Sextus Marius Tiberianorum temporum locupletiſſimus ciuis fuiſſe perhibetur, quem narrant ad oſtentationem potentiæ, aliquando vicinum ſuum cui leuiter iratus erat, biduum lautiſſimo conuiuio detinuiſſe, ac primo quidem die villam eius funditus demolitum eſſe, poſtridie verò aliam in eadem area,

Digitized by Google

multò ampliorem priore ac magnificentiorem ædificasse, additis iactantiæ minis tam sibi promptum esse, & inimicos vlcisci, & amicos prouehere. Neque porrò hæc ita disserimus, quasi portum aliquem nobis extrui arbitremur, quietem (si diis placet) & laborum finem in eo inuenturi, aut tanquam palatium fœlicitatis, vt videlicet in illa aula noui Æoli nos iactemus. Scimus hoc vitæ genus catenatis addictum esse laboribus, & præterea infensissimum litteris sæculum, nullúmque idcirco aliud ibi fore commodum, quàm quod Græca parœmia tritum est, ἀπ' ἀξίου ξύλου κρέμασθαι. Accedunt vanæ nonnullorum diuinationes ex metu profectæ, qui rem dubitationis haud vacuam putant, vtrum hæc domus in Academia, an Academia in hac domo futura sit, & quod Mantua nimium Cremonę vicina sit, omnia suspectant. Quos ita euentum metuentes puto, domum eam, si fortè venalis proscriberetur, ne asse quidem licitaturos esse, nec spem fiduciámque Romanam imitaturos, quæ prædio suburbano ab Annibale occupato in desperata belli fortuna emptorem inuenerit. Inter hæc verò nos Græcam prouinciam sortiti, eam (modò conatum numen adiuuet) non Græca sed Attica fide administrabimus. Non hîc monendos mihi iuuenes arbitror, vt harum litterarum studium strenuè capessant, quòd non ego is sim

Digitized by Google

qui merces meas obtrudere ſoleam, & alioqui compertum habeam verba virtutem non addere, neque ex ignauo ſtrenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cuiuſque animo alacritas natura vel moribus ineſt, tanta in bello patere ſolêt: quem neque gloria, neque præmia excitant, nequicquam horteris. Quamuis autem res ipſa ſuis nitatur rationibus, & ad impellendos ſtudioſorum animos, ſexcentas eius linguæ vtilitates referre poſſimus, tamen omiſſis quæ indidem ſuppetunt argumentis, ad vnum idque externum confugiemus. Habent quos imitentur, ſupremam Curiam, vbi iacentem ac propè intermortuam eruditionis Græcæ dignitatem excitari, & in dies refloreſcere videmus, tot inſignes cauſarum actores, cenſu oris (vt cum Manilio loquar) cœlum emeritos, qui multa è veteribus philoſophis, multa è patribus Græcis hauſta, inſtar niuis cadentis effundunt: ipſos ſenatus principes, & clariſſima Themidis lumina, qui grauiores ſermones multiplici doctrina, præcipuè verò Græcis ſcitamentis condiunt. Horum exemplo quis non comparandam ſibi omni ſtudio vtiliſſimi ſermonis facultatem putet? quis non procerum veſtigiis inſiſtat, quorum in oculis, & in luce hominum, quiſquis diſerti nomen & præmia obtinere volet, induſtriæ periculum aliquando facere

Digitized by Google

oporteat? Quæ partes nostræ sunt, in hoc theatrum Aristophanem producimus, scriptorem Athenis ipsis magis Atticum, vnum tot veterum Græciæ Comicorũ superstitem, vnum maximè id quod omne punctum fert, assecutum, vt misceret vtile dulci. Nam ne quis eius comœdias voluptatis aliquid habere, frugis nihil, perperam existimet, is author est, qui summa cum libertate, factiosos homines, seditionum signiferos & turbarum incentores, fures, depeculatores ærarij, tyrannos ac quibusvis criminibus famosos nominatim in scena traduxit, qui Cleonem, Hyperbolum, Lamachum, aliásque id genus reipublicæ vomicas & carcinomata coram populo Atheniensi non minus acerbè quàm salsè & iocularitер exagitauit, qui denique leuitatem inconsultæ multitudinis, nimiámque concionum licentiam, necnon principum virorum ambitionem exitio libertatis publicæ imminentem passim perstrinxit: idémq; acre rabulis ac vulturiis forensibus bellum indixit, seuerúmque se nugarum & nebularum sophisticarum, quibus non modò ciuitas pessum ibat, sed etiam iuuentus in scholis corrumpebatur, censorem præstitit. Quo instituto, etsi Socrati ac Euripidi petulãtius quàm deceret virum probum, detraxit, tamen iniquam hanc præstantium virorum insectationem æquiore complurium impostorum ac

ſycophantarum defricatione propemodum obliterauit. Hac libertatis & eruditæ dicacitatis fama florentem, ex legatorum ſuorum relationibus cognitum Darius Perſarum rex minimè barbaro ingenio & laudaſſe fertur, & pecunia inſuper magníſque muneribus cumulaſſe. Nec prætereundum ſilentio quod Hiero Syracuſarum rex Atticæ linguæ perdiſcendæ cupidus, cùm ab Athenienſibus pro iure amicitiæ peteret eloquentiſſimum ſcriptorem ſibi mitti, ex cuius lectione Attici nectaris ſitim expleret, non modò Herodoto, Thucydide & Demoſthene, ſed Xenophonte quoque, Platone & Ariſtotele prætermiſſis, vnus ei propoſitus eſt ab illis Ariſtophanes legendus. Nec diuum illum Chryſoſtomum ab aureo eloquentiæ flumine indigetatum, aliunde putant viri doctiſſimi, ſuam dicendi vim ac efficaciam, ſuam in deprauatos mores inuehendi aculeatam vehementiam, quam ex frequenti Ariſtophanis lectione eſſe conſecutum. Quem ita in delitiis habuiſſe dicitur, vt etiam noctu eum puluino ſubiiceret, ſtatim atque euigilaſſet, amœniſſimæ lectioni operam daturus, nec minus ob Ariſtophanis diuus Ioannes, quàm ob amorem nimium Ciceronis diuus Hieronymus, vapulare potuerit. Nihil autem moramur Plutarchum, cuius vt in aliis rebus authoritas valeat, tamen iudicium de Ariſtophane, ſicut & de He-

Digitized by Google

rodoto iampridem explosum est: si tamen iudicij nomine appellandum est cœcum odium quo ille impulsus, iniqua comparatione, Menandro laudem, ex Aristophanis contumelia quæsiuit. Eius igitur comœdiam quam nobis ex librarij taberna fors primam obtulit, inscriptione Pluti spectare operæpretium est, in qua deus ille diuitiarum Plutus cæcus inducitur, & cæcitatem suam errori prætexit, quod frequentius ad indignos & scelestos homines, quàm ad probos & egregios commeare soleat. Quærit autem ab arte Æsculapij remedium, vt oculorum vsu recepto, deinceps bonos à malis atque immerentibus distinguere, ac proinde beneficia sua melius collocare possit, quod vtinam hac ætate fiat, qua tantam in erogandis muneribus Pluti cæcitatem, tantáque fortunæ ludibria conspicimus. Nimirum Plutus haud respicit virtutem aut eruditionem, sed potius nequissimo cuiq; accedit, & ei authoramenta publica, honores, prætoria, fundos, opimáque sacerdotia, prætermissis dignioribus affert: vt veriora sibyllæ oraculis sint illa veterum, amor ingenij neminem vnquam diuitem fecit; soror bonæ mentis est paupertas: tam citò cadit denarius in cloacam quàm in manum viri boni:

Vilis adulator picto iacet ebrius ostro,
Et qui sollicitat nuptas ad præmia ---
Sola pruinosis horret facundia pannis,

Digitized by Google

Atque inopi lingua desertas inuocat artes.

Audio etiam Martialem Pluto & fortunæ grauiter succensentem quod sutori censum priuato maiorem contulerint.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere lato putre vetúsque solum.
Præsesima tenes defuncti rura patroni,
In quibus indignor si tibi cella fuit.
Rumpis & ardenti madidus crystalla Falerno,
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me litterulas stulti docuêre parentes,
Quid cum Grammaticis rhetoribúsq; mihi?
Frange leues calamos, & scinde Thalia libellos,
Si dare sutori calceus iste potest.

Quæ veteris poëtæ verba nec intempestiuè nunc renouamus, & nouissimis exemplis iampridem nobis oblita in memoriam reducuntur. Sed Plutum teneamus, ne nobis elabi possit, eumque velut parario & sequestro Aristophane propitiare conemur, si fortè mutata rerum sorte, & deposita cæcitate, aliquando bonis arrideat, quem vobis singulis & vniuersis perpetuò fidum hospitem ac benignum amicum esse percupio.

Digitized by Google

DE IMMVNITATE PROFESSORVM.

MIRA Dianæ facies Ephesi fuisse perhibetur, quæ templum intrantibus tristior appareret, exeuntibus verò arridere suauiter videretur. Nec absimile est quod in facie Reipublicæ nuper adspeximus vt nescio quid triste referret, & belli plusquàm ciuilis incendia minaretur, cæterùm exitu ipso, consulente melius rebus Gallicis numine, omnia læta magis ac iucunda in posterum, spe certa repromittat. Nam siue pessimus in dubiis augur is metus fuit, siue fors & casus ita tulit, vbique repente trepidari vidimus, ab agrestibus qui longo pacis otio assueti, iampridem pallori & paluori non litauerant, sua omnia raptim in urbem comportari, ex diuitum fundis amœnioribus & prætoriis ad quartum sextúmve lapidem, tum ornamenta & lautiorem supellectilem, tum instrumentum omne rusticum, ne prædæ esset, conuasari, vrbem tanquam Annibal ingrueret ad portas, firmissimis custodiis excubiisque teneri, denique in ipsa Lutetia Lutetiam includi. Cùm

Digitized by Google

enim ij qui habitant in suburbiis, non satis se tutos vel à diurnis incursionibus, vel à nocturnis terroribus rati, plerique omnes desertis laribus intra muros immigrarunt, quid aliud quàm vrbem in vrbe fuisse, & ipsam in sua ipsius viscera velut in latebras sese condidisse putandum est? Siquidem ipsa suburbia Lutetiam dici & esse nemo negauerit, qui saltem illa Pauli iureconsulti verba audierit. *Vrbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur.* Et, *Romam non muro, sed continentibus ædificiis æstimamus.* Emanabant præterea in dies immo in horas singulas abortiui rumores, partim à nonnullis studio partium conficti, partim vulgi credulitate longè propalati, quibus ad infirmiores animos, facilè, provt quisque affectu ferebatur, fiducia aut metus accederet. Modo enim numerosissimi hostium exercitus in aëre conscribebantur, modo ferocissima Germanorũ pubes à Rheno descendebat, aut à Septentrionibus classis in Oceano apparebat, aut ingens ab Alpibus tempestas toti se Galliæ superfundebat, cùm interim ne musca quidem quaquauersum in limite regni, ad mille amplius stadia cerneretur. Quæ cùm ego animaduerterem, iam non inanes eiusmodi consternationes ad veterum figmenta & Panicum quem vocant casum, sed ad aliud quidpiam multò vtique certius atq; efficacius referebam. Nam quemadmodum

vbi ſol ab hemiſphærio noſtro infra finitorem circulum deſcendit, ſuccedentibus tenebris, ſpectra & lemures, lamiæque ac puerorum terriculamenta oberrare creduntur, vanáque ſomnia ſopitis & varia caligine circunfuſis mentibus illudunt, ſic poſtquam ſereniſſimus rex Ludouicus ab vrbe diſceſſerat, ſuæque maieſtatis radiòs aliò tantiſper conuerterat, neceſſe fuit apud nos horrificas illas tenebras, illos pauores, illa vigilantium nocturna quaſi viſa, rumorúmque portenta exoriri. Quamquam non me præterit dictum illud vetus, quod Amyclas perdiderit ſilentium, quodque authore Velleio, magna ſecuritas ſæpè ſit initium maximæ calamitatis, proindéque in periculo reipublicæ, credulitatem non ſemper inutilem, immo verò nullam de ſalute communi ſuperfluam eſſe cautionem. Et audio iam qui quærant, iſta quid ad Thucydidem, aut Demoſthenem, ad Homerum, vel Ariſtophanem, alióſque melioris ſæculi Græcos ſcriptores, quos vt profeſſor de pulpito enarret, non vt arma virúmque declamet, expectamus? Enimvero & ſi non eſt hoc proprium iſtius loci & perſonæ quam ſuſtinemus, ſed patriæ potius hiſtoriæ & ſcriptionis argumentum, tamen nec à tempore, nec à re alienum eſſe, neque me fruſtrà omninò in hunc ſermonem deuenisse paulò poſt faxo intelligatis. Alioqui noſlite exiſti-

mare mihi consilium esse ex hoc loco motum ciuicum, bellíque causas & vitia & modos tractare, aut per ignes cineri doloso suppositos incedere. Quippe probè recordor vocem illam puto ab ipsa sapientiæ dea Pallade, vel aliquo alio numine ad Cadmum cœlitus emissam:

-- nec te ciuilibus insere bellis.

Tametsi nullus dubito, quin me de bello Gallico, quàm de Peloponnesiaco vel Punico differentem libentius audituri essetis. Est enim maxima illecebra audiendi nouitas, neque rancidæ veterum fabularum næniæ de matre Hecubæ, de Herculis laboribus aut Vlyssis erroribus, deque laude scientiarum, quas rupicones partim frigidi, partim plagiarij, omni loco & tempore in publicæ recitationis materiam arripere solent, aliud quicquam audientibus quàm fastidium & nauseam pariunt. Nec rursus metuo, ne si argumenta rerum nostrarum ex hoc suggestu attingerem, quicquam mihi excideret, vnde vel in suspicionem mali ciuis venirem, vel cuiusquam magnatum odium maledicendi procacitate ineurrerem. Sed cùm nostræ modestiæ sit libenter à mentione rerum non necessariarum abstinere, ne verbum quidem de motibus istis nouis, deque publica trepidatione facerem, nisi mea priuatim atque adeò totius professorum ordinis aliquid interes-

Digitized by Google

set, quod quale sit, me dicis tantum causa, vel deridiculi gratia, & vice solitæ præfationis exponentem quæso benigni & faciles attendite. Ferunt ad nuntium olim ingruentis cum infesto exercitu Philippi illius qui Alexandri magni pater fuit, Corinthios vrbi suæ & libertati fortunísque metuentes, omnia ad extremum obsidionis discrimen gnauiter comparasse, obfirmatísque ad defensionem animis, belli munia & curas inter ciues diuisisse. Itaque videre erat in repentino populi tumultu, hos arma sibi comparantes, illos lapidum vim congerentes, alios mœnia in altitudinem exstruentes, nonnullos in propugnaculis firmandis occupatos, omninóque alios aliud molientes, vnde vrbs munitior, eiúsque oppugnatio difficilior, ac demum irrita hosti redderetur. Quem omnium laborem conspicatus Diogenes, qui vnus inter tot satagentes otiosus erat, quando nemo illius hominis operam aut industriam reipublicæ vllo pacto vtilem duceret, illico philosophico pallio præcinctus ne nihil ageret, dolium illud suum quod pro gurgustio & domuncula habebat, subuoluere, deuoluere, vltrò citrò versare ac impellere cœpit. Ego quoque cùm belli famam increbrescere, & compita ciuitatis armis ad pompam nescio magis an ad defensionem collucere viderem, nec tamen maiorem futurum mei quàm Diogenis; in tali

negotio vsum putarem, statueram non quidem dolium instar Cynici per plateas & colles vrbis agitare: sed in dolio potius memet continere, atque extra teli iactum, quatenus liceret, subducere. Ecce autem tres honestissimi è vicinia ciues ad me domum ingrediuntur, & satis comiter ac honorificè appellatum, quando (inquiunt) decretum exstet præfecti, ædilium, decurionúmque vrbis, de obeundis ad portas excubiis atque stationibus, sibíque imperatum sit vt singulas domos perlustrent, & vnumquemque habitatorum in cohortes & manipulos describant, iubent quibus armis vterer, ostendere. Illicò ego re insolenti, nec tamen omninò inopinata perculsus, de armis & ferramentis quicquam me posse illis promere nego, at Platonem, Homorum, Ciceronem, Liuium, totámq. Græcorum ac Latinorum multitudinem ostendo, quibus stipatus & quorum aculeis stilísque armatus, pro rege, si necesse foret strenuè pugnaturus essem, omnésque hostium legiones è longinquo, quasi ventus folia, spiritu difflaturus. Sin isti authores nimium ad pacem accommodati ac imbelles videantur, alios magis pugnaces & in castris præliísque exercitatos profero, Vegetium de re militari, Ælianum de instruendis aciebus, Frontinum de strategematis, Polybium præterea & Modestum de vocabulis militiæ, deque castrametandi ra-

Digitized by Google

tione. Sed cùm nihil istis bellatoribus tempus egere dicerent, postremùm denuntiato vti ad custodias vrbis pro me aliquam optionem seu vicarium darem, abierunt. Hîc locus erat quiritandi, & libertatem, iura, immunitates, prærogatiuas opponendi, sed inter arma & tympana neque legum, neque litterarum vox audiretur. Non deerat etiam aliqua valetudinis excusatio, per quam sæpè causarij milites honestam iustámque missionem impetrarunt. Verùm vbi remedia malis ipsis molestiora & importuniora sunt, satius fuerit imitari nobiles illos veterum temporum gladiatores, qui prostrati & sub pedibus aduersariorum iacentes, non mortem deprecabantur, nec ceruices contrahebant, sed toto potius iugulo ferrum recipiebant. Quippe deterior est in huiusmodi occasionibus, renuentis ac detrectantis, quàm sponte currentis obsequentísque conditio: sicut etiam in gladiatoriis pugnis, populus Romanus timidos & supplices, vtque viuere liceret obsecrantes odisse solebat, fortes & animosos, & se acriter ipsi morti offerentes seruare cupiebat, eorúmque magis misericordia tangebatur, qui eius misericordiam non requirerent, quàm qui illam efflagitarent. Nam & videbamus aliquos haud postremi nominis Theologos, ne quid hac publica seu seruitute, seu functione suis priuilegiis decederet,

Digitized by Google

anxios ac sollicitos vndique circuncursare, procēres vrbis adire & prænsare, cùm tamen multùm sudando nihil proficerent. Nobis contrà quibus idem persuasum esset quod Senecæ, nullam rem carius constare, quàm quæ precibus emeretur, tanti non erat friuola immunitas, vt propterea cuiusquam limina supplices tereremus, præsertim cùm liceret, circumactu quindecim dierum, denis assibus omnem hunc laborem ac molestiam redimere. Et hæc quidem ita se habuerunt, vt iam quod de tumultu Gallico refert parens eloquentiæ Marcus Tullius, manifestum fiat, vsqueadeò quouis bello atrociorem antiquitus habitum fuisse, vt vacationes per quodvis aliud bellum valerent, per tumultum Gallicum duntaxat tollerentur. Quod si veteranis & emeritis sua vacationum iura in eiusmodi tumultu adempta sunt, quid nos expectare oportebat, quibus omnia ista studia de manibus excutiuntur, simulatque aliquis nouus motus bellicum canere cœpit? Etenim vt ait ingeniosus poëta & author valde bonus, vbi armorum fragor insonuit:

Tollitur è medio sapientia, vi geritur res,
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur,
Non ex iure manu consertum, sed mage ferro
Rem repetunt.

Itaque subit exclamare cum Strepsiade in nebulis Aristophanis,

Digitized by Google

Ἀπόλοιο δῆτ' ὦ πόλεμε πολλῶν εἵνεκα.

Execramur te bellum multis de causis. Nam præter incendia, vastitates, fugas hominum, desolationes agrorum, aliásque multiplices ex eo tum domi, tum foris metuendas calamitates, insuper sublato rerum discrimine diuina humanáque permiscet, nec fermè quemquam sui status atque conditonis securum patitur conquiescere. It delectus per omnes ordines, gradus, & fortunas, si delectus is dicendus est, cùm peræquè omnes siue sacrorum, siue Themidis cultores, inquilini & ciues, municipes ac extranei nomina in hanc militiam dare coguntur. Et quasi defendi Lutetiam sine nobis fata prohiberent, vt quondam Achillem inter Lycomedis filias, sic professorem inter studia ignobilis otî & musas delitescentem conquisitores nescio an Vlyssis similes peruestigant. Quod contrà æquius fuerat vbi fortè conspexissent aliquem litterarum professioni deuotum, arma tractantem, eum corripere, officiíque identidem admonere Horatianum illud occinendo:

Libros Panætî Socraticam & domum
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora tendis.

Quamquam nullum iuri nostro hac patientia & obsequio factum est præiudicium: ac si tantisper delibatum videretur, multiplici no-

Digitized by Google

bis in integrum restitutione, posset subueniri: atque vel imprudentia lapsis, vel vi & metu, & ipsa conditione temporum coactis, recepta velut postliminio libertas repræsentari: præsertim apud tantæ spei ac indolis regem, qui quòd iam laudanda, & præconiis litterarum digna pleraque animo concipiat, haud dubiè testes virtutis litteras, & litterarum cultores creditur amplexurus. Nec enim tot præcellentibus magistris vndique circunfusus ignorare potest antiquas Cæsarum quæ codice Iustiniani continentur super professoribus constitutiones, nec quam de iisdem habet Cassiodorus, nihil Gotthicum aut barbarum spirantem Athalarici regis epistolam: dum edicit eloquentiæ doctores omnibus commodis & authoramentis fouendos, ac omnino præcidendam illis satyricæ querelæ causam, qua negant ingenium duabus curis debere occupari. Quinimò spes propior est, eum aliquando lubenter hanc auream referente Suida imperatoris Leonis vocem vsurpaturum esse: εἴθε γένοιτο ἐπὶ τοῦ ἐμοῦ χρόνου, ὥστε τὰ τῶν στρατιωτῶν εἰς διδασκάλους παρέχεσθαι. Vtinam mea ætate fiat vt stipendia militum in litterarum doctores conferantur. Viderint igitur quàm ad illius ingenium agant, qui omnes vno ordine habent Achiuos, nec vlli professioni aut homini, communis salutis obtentu, vacationem eiusmodi castrensium quasi mu-

Digitized by Google

nerum putant concedendam, præsertim vbi quis domum aut insulam viæ publicæ imminentē occupet, perinde ac si locus in quo quis habitat, eum ex immuni & libero vectigalem faceret, aut velut in triumviratu sua quempiam insontem domus proscriberet. At etiam Alexander captis Thebis quæ ab ipso perfidiosè defecerant in ipsa vltionis & irarum flamma, qua erat in litteras humanitate, ipsis Pindari ædibus parcendum iudicauit, vetitis eas violare & incendere hac inscriptione militibus: Πινδάρου τοῦ μελοποιοῦ τὰν στέγαν μὴ καίετε, nedum vt in pacata & dicto sibi audiente ciuitate, vllum eius simili viro vel leuissimum onus impositurus fuerit. Nisi fortè credunt quia Pallas bellandi fandíque potens à poëtis prædicatur, & Homericis ad Ilium præliis non solùm interfuisse, verùm & ipsum Martem secum congredi ausum grauiter vulnerasse fingitur, magnum aliquod ab eruditis viris operæpretium, si ad tutelam rerum arma capessant, posse præstari. Eant nunc, & à nobis extraordinarias ingenij otio abundantis operas exigant, epithalamia & panegyricos plausus, litterarúmque tempestiuas nunc quidem festiuitates, quando quos ad hæc prouocatos omni liberalitate & indulgentia oportuit, vltrò in plebeïa onera, velut in metalla & remos damnauerunt? Scimus enim hoc maximè tempore debitas esse Christia-

Digitized by Google

nissimo regi [illegible]douico, musarum vndique gratulationes, cùm breui vt speramus reducem, & illustri auctum matrimonio, pignora æternæ pacis secum adducentem, non sua tantùm Lutetia aut Gallia, sed vniuersus occidens venerabundus adspiciet. Nam siue Tacito credendum est affirmanti non legiones, non classes perinde firma imperij munimenta esse quàm numerum liberorum, & Euripidi

Φῦναι βασιλήων παῖδας ἔρυμα δώμασιν.

Aut denique Æschylo in commune monenti Coëphoris, propagandam esse sobole vnicuique homini sui memoriam, quod liberi superstites patrem extinctum, non secus ac subera in summo aquæ natantia rete in imo demersum ostentent:

Παῖδες γὰρ ἀνδρὶ κληδόνες σωτήριοι
Θανόντι· φέλλοι δ' ὡς ἄγουσι δίκτυον
Τὸν ἐκ βυθοῦ κλωστῆρα σώζοντες λίνον.

Quantas ei gratias debet Gallia, quod id ætatis iam regiæ domui liberos, regno columnas, paci orbis terrarum altissima fundamenta procuret, quod eos virilitatis annos, quos etiã priuatæ fortunę homines aulici, ferè volgiuaga venere consumere solent, reipublicæ bono consecret, quòd denique à sanctissimo coniugio prima experimenta pubertatis auspicetur? Siue regiæ opes non suis tantùm radicibus, sed externis quoque fœderibus nonnihil innituntur, quantæ prudentiæ fuit cum

Digitized by Google

potentissimo rege iungere affinitatem, vt duo maxima Europæ Christianæ imperia mutuis starent auxiliis, & ad spargendum latè in Turcas atque barbaros nostri terrorem, velut in vnum coalescerent? Hæc & alia plura omni orationis genere persequi, fœlicitate temporum philologis oblatum est, patefactúsque ingens exspatiandi campus; neque non aliquis nobis ipsis incesserat ardor publicæ huius exultationis dicendæ, nisi animum assurgentem, ista quæ dixi, portarum stationúmque onera depressissent. Conquestus est ante aciem Pharsalicam Pompeius, cum importunis senatus flagitationibus & conuitiis, ad pugnam exitiabilem inuitus compelleretur, à se militis potius quàm ducis officium postulari: ita si nihil in tam solenni redeuntium maiestatum expectatione, calamo exprompsimus, neque porrò exprompturi sumus, imputetur decurionibus & signiferis vrbis, qui nostra opera in aliis rebus vsi sunt, nosque mulos Marianos quàm Marones esse maluerunt. Sed non in eo positæ sunt Græciæ opes (vt aiebat orator) aut regni fortunæ, muginemur aliquid eiusmodi necne, quippe quorum vox perinde atq; silentium ignoretur. Et iam nugarum satias est, quarum & qui adsunt pertæsum sentio & nos plura in auribus vestris effutire, nec laterum nec memoriæ vires sinunt. Itaque pauca de instituto

nostro

Digitized by Google

nostro prolocuti finem faciemus. Quo loco primùm necesse est ingenua voce, tam nostrum hactenus, quàm omnium ferè qui vbiuis profitentur, factum reprehendere, quibus in publicis prælectionibus inani quodam famæ aucupio, infrequens sit Homerus, infrequens Demosthenes. Nam quia horum verè primæ classis authorum nomina passim vulgata sunt & omnibus cognita, vt reconditioris doctrinæ opinionem in vulgus captent iis, relictis alios multò inferiores, sed qui minus in ore hominum versentur, exponendos in manus sumunt, vt si nihil aliud, saltem minimè communia sectari videantur. Atque adeò hic morbus ante viginti annos florẽtem Academiam inuasit, nec dubia iam tum occasus supremíque litterarum interitus signa dedit, cùm plerique docentium repudiatis Cicerone, Cæsare, Liuio classicis scriptoribus, Sidonios, Cassiodoros, Corippos, aliáque id genus Latinitatis dehonestamenta in medium produxerunt, & insanientibus turbis de superiore loco non ad audiendum modò, sed & ad imitandum proposuerunt. Quibus institutis vbi sæpè vocabula inepta, ineptiores conceptus, ac purulentas quasdam sermonis cruditates euomuerãt verius quàm dixerant, tum sibi velut antiquarij & saperdæ & illustres Critici mirificè placebant, cæteros vt de triuio vappas superciliosè despiciebant. Nec

Digitized by Google

defuêre illis passim imitatores atque admiratores, qui putrem illam nouitatem, vt rem pulcherrimam amplecterentur, non secus ac Pindarus ait simiam, turpissimũ animal, pueris pulchram videri, non item viris: καλὸς τὶς πίθων παρὰ παισὶν αἰεὶ καλός. Nam nobis quoque portentosam istam eloquentiam assequi tam facile & pronum erat, quàm in vitium labi, quippe qui cascos etiam & semibarbaros authores legeramus, nisi relligio fuisset aut corruptelam inuehere, aut semel inuectam exemplo nostro tueri ac defendere. In Græcis verò etsi res est vulgo litteratorum occultior atque obscurior, quàm vt delectum vllum aut licentiam sibi permittere audeant, tamen eandem insanire insaniam videntur, qui Nonnum Panopolitanum Homero, Philostratum Thucydidi, aut nugacem aliquem sophistam & græculum declamatorem Demostheni anteponunt, atque vt doctrinæ non vulgaris famam aucupentur, raros potius quàm bonos & Atticos scriptores libenter attingunt. Quod nostrum est, fontes quàm riuulos consectari malumus, authores quos illi puerili vanitate ostentant, probè nouimus, nec tamen Demosthenis prælectionem, quia vulgaris videtur, magis quàm elementorum aëris & aquæ, quia omnium sint communia, vsum refugimus.

Digitized by Google

DE REGIA BIBLIOTHECA IN TRIQVETICAM ÆDEM transferenda.

DINOCRATEM nobilem architectum ferunt, Audd. cùm ad Alexandrum venisset, & formas atque cogitationes tanto rege dignas sese in animo habere iactasset: nimirum Atho montem, quà eminentissimus est, certis membrorum proportionibus incisum, Alexandri effigie figurandum, quæ altera quidem manu maximam vrbem gestaret, altera verò perennem fluuium ex ampulla libans in subiectum mare effunderet: tametsi tam stupendi operis molitio illicò vt insana omissa fuerit, tamen vel inuenti magnitudine, vel insolentis rei designatione, regiam gratiam atque commendationem esse promeritum. Nobis quoque in ingressu regij huius domicilij, quò, velut præsentem Christianissimi regis maiestatem adoratum venimus, citra Dinocratis fastum profiteri lubet, nos conceptus arduos gratiis optimo principi

Digitized by Google

agendis, & forsan tanto fastigio non indignos huc afferre, quos tamen cum oratione promere, vel etiam expressos memoria continere, nihilo facilius sit, quàm ex Atho monte virilé statuam effingere, quod superest, ipsius Genium animo ac silentio venerati, ab hoc itineris lubrici flexu pedem referemus. Accedit imperfecta istarum ædium structura, quæ sicut prætereuntium partim oculos specie & apparatu detinet, partim animos consummati operis expectatione suspendit, ita nobis in mente vagas atque inchoatas rerum imagines non sinit coalescere. Enimverò veteres omnium gentium annales euoluenti, & singulorum principum, tum nostrorum, tum externorum fortunas reputanti, subit illa cogitatio hunc esse maximè regem, in quo vetus acclamationis formula debeat renouari: fœlicior Augusto, melior Traiano. Qui puer admodum, ad paternum imperium subito casu raptus, cùm nullum tantum malum esset, quod non improbi minarentur, boni metuerent, ea morum innocentia fuit, eam futuræ virtutis ac pietatis significationem dedit, vt quos nulla vis armorum, nullus legum metus aliàs potuisset, eos à rebus nouandis sola regiæ indolis reuerentia contineret. Nuper verò vixdum exactis pueritiæ annis, in ipso tamdiu optatæ pubertatis limine, non solùm orientem bellorum ciuilium flammam op-

Digitized by Google

pressit, verumetiam tempestiua profectione suscepta, per maximas quà iter fecit regni vrbes, miris omnium mortalium studiis atque gratulationibus exceptus, nec magis armis quàm subditorum fide ac obsequio fretus, per volentes populos vbique victor ad Oceanum Armoricum peruenit. Ea autem quàm rara sit apud nos & inusitata fœlicitas, quiuis rerum vsu præditus facilè superiorum temporum recordatione intelliget, vt ab his initiis coniicere liceat, superos ei parem fortunæ Augusti magnitudinem, nobis verò pacèm, vt illius tempora tulerunt, stabilem polliceri. Iam verò quòd indicto Galliæ ordinum concilio, corruptis moribus ac euerso sæculo succurrere paret, quòd æternam magni parentis memoriam cùm aliis monumentis, tùm equestribus statuis publicè decoret, id quoq; nonnullam cum Augusto similitudinem habet. Vnum est, quo illum æmulari, & proximè ad eius opera videtur accedere, quod dum ego breuiter expono, quæso mihi attentione benigna & silentio faueatis. Augustus vbi rerum potitus est, ad cætera vrbis & palatij ornamenta adiecit bibliothecam Latinis & Græcis refertam voluminibus, quam in spatiosa porticu & ea Palatinæ domus parte collocauit, quam fulmine tactam consulti aruspices ab Apolline desiderari responderunt. Itaque & Apollini ædes illicò extructa,

Digitized by Google

& totum Cæsareæ bibliothecæ instrumentum in fulminato loco est repositum. Quanta sit regi Christianissimo librorum omnis generis supellex, neminem paulò humaniorem præterit, ita vt ne quidem Alexandrinam illam Ptolomæorum bibliothecam, in qua septingenta millia voluminum conflagrasse memorant, cum regio musæo arbitrer conferendam. Neque verò hæc vrbs, quam principis parens ex lateritia marmoream reliquit, licet incolarum multitudine, opibus, ædificiis, delubris, cæteris non Europæ modò, sed totius orbis terrarum vrbibus longè præstet, quicquam tamen magis singulare & visendum peregrinis hominibus ostentat, quàm tot membranas veteres, tot manu exaratos codices, tot omnis eruditionis, omnis antiquitatis scriptores, quibus regij longo ordine plutei, & his proximi Medicæi foruli exornantur. Ac cæteræ quidem priuatorum bibliothecæ, typographorum etiam tabernæ, si quo casu intereant, cura & diligentia necnon importatis aliunde libris reparari possunt, hæc si iacturam aliquam patiatur, nullo deinceps auro, nullius hominis labore aut industria, non denique totis Galliæ opibus possit resarciri. Ex quo intelligimus eiusmodi librorum esse horreum, quod aut veneranda vetustate, aut raritate quadam nullo pretio parabili æstimetur. Tantus igitur thesaurus cùm iam ali-

Digitized by Google

quot annos apud Franciscanos in conductis ædibus asseruetur, & tot scientiarum principes, tot antiqui heroës in alieno, non suo lare, precariò habitent, visum est aliquando eis certum ac proprium domicilium attribuere, ne vt inquilini & vagi toties emigrare cogerentur. Hæc sedes illis demùm adornatur, in quam vt speramus propediem translati, solito laxius ac magnificentius habitabunt, perpetuam consistendi facultatem nacti, & de superiore illo xysto, vno tantùm tabulato atque contignatione discreti, velut auditores dati professoribus auscultabunt. Non deerant tamen aliæ basilicæ serenissimo regi, non amplissimæ in Lupara porticus, vbi suam bibliothecam collocaret, sibique velut contubernalem ac domesticam in omnes occasiones præstò haberet. Verùm casu an consilio fecerit, vt ei reponendæ, huius vrbis partem maximè fulmine ictam deligeret, dubitari potest: ego hercle crediderim, id ipsi etiam cum Augusto commune esse fata voluisse, vt fortunatissimo vtrique principi paribus fermè auspiciis omnia cœpta procederent. Nam si qua pars vrbis fulgurita dici potest, certè est Academia, quæ iam continuos decem annos crebri verberata grandine, longè latéque stragem ac vastitatem persensit. Crederet aliquis se bidental triste, aut afflatum cœlitus ingens loci spatium intueri, vnde omnes re-

Digitized by Google

fugiant, & quò καθάπερ τὰ βαλλόμενα τοῖς κεραυνοῖς οὐέμβατα μένει χωρία, quemadmodum (aiebat Lysimachus Pyrrho Spartam obsidenti) loca fulgurita manent inaccessa, pedem inferre vereantur. Huius solitudinis causas alij alias vt cuique animus & libido fert, comminiscuntur, nobis veras attingere non est necesse, nisi fortè, vt ille solet, cùm alicuius rei vel nullam esse, vel non reddendam putat rationem, hanc vnam duntaxat, sic visum superis, assignemus. Cyrus quondam iratus vorticosum & rapidum Gyndem deriuatis in sexcentos alueos aquis sic exhausit, vt vel à mulieribus, sicco genu, vado transiri posset. Academiam suo omni iure & prærogatiua spoliatam, in tot tamque varias partes distractam ac dilaceratam, nullius ope aut patrocinio subleuatam in præcordiis tabescere haud mirum est. Et hæc quidem illos quorum magis interest conqueri sinamus, nobis quibus inde nihil metitur, ita regia liberalitate prospectum est, vt capita numerare non necesse habeamus, frequentiam si contingat modicè amemus, sin desit, ea carere facilè possimus. Venit in mentem M. Tullij cùm aduersus Antonium peroraret, in hunc modum locuti: si ab hinc annos prope viginti hoc ipso in templo, negaui posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni? Quod si parodia vti, & adumbrare M.

Digitized by Google

Tullium licet, in re dissimili, nobis conceditur, ita eius orationem imitabimur: si ab hinc duodecim plus minus annos, sæpè ex Seneca dixi, satis esse paucos, satis esse vnum, satis esse nullum Academico rhetori, quanto verius nunc dicam professori, cui extra omnem lucelli aleam posito, casum ac euentum regius fundus præstet? Quæ quidem in transcursu & obiter à nobis dicta sint, eò saltem vt manifestum fiat, quò rex Christianissimus destinet suos libros, inde ciuium liberos, tanquam ex sacro loco, vel infami scopulo, non esse auertendos. Hæc porrò domus ita regiæ coniuncta bibliothecę, non minus Apollinis ędes censeri debet, quàm quæ in palatio iussu Augusti dicata fuit, quippe quæ tot volumina, tot præstantium ingeniorum monumenta, ceu donaria sacra excipiat, atque etiamnum ex adytis suis oracula, nisi iampridem fides ei derogaretur, fundere possit. Itaque eam intuens facilè adducor vt Protarchi physici iudicium probem, qui eos lapides, ex quibus aræ & simulacra diuum fierent, fortunatos vocabat, propterea quod in summo cultu & veneratione hominum essent, cùm alij eiusdem generis lapides, pedibus calcarentur. Identidem hæc cæmenta & ligna quæ videtis, longè fœlicissima esse duco, vtique quod bene materiatam domum constituant, & insigne hospitium litteris litteratisque homini-

Digitized by Google

bus præstent, quo nomine apud optimum quemque in honore esse debeant, cùm alia eiusmodi pleraque exstruendis sellulariorum opificum tabernis, aut etiam fœdis vsibus inseruiant. Quamobrem spes etiam est vt exterior ista ædificij descriptio, & publicus elegantis domus adspectus, in quo nihil contra ædilitium edictum est, professoribus commoditatis aut celebritatis aliquid conciliet. Sicut Cnæo Octauio, qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse accepimus, quod præclaram habitaret in palatio, & plenam dignitatis domum, quæ cùm vulgò viseretur, suffragata domino nouo homini, ad consulatum putabatur. Neque de nihilo est, quod non contemnendi authores scriptum reliquerunt, vnà cum magnificentia domus ac sumptu, etiam dicentis animum attolli, & ad agendum excitari, vtpote cui ipse quoque visus subministret nonnihil atque subiiciat. Fermè enim intrò penetrat se per oculos, & ad animum vsque descēdit pulcritudinis species, qua demùm ille informatus, aliquanto magis ornatam & compositam orationem foras emittit. Nisi fortè credimus, Achilli, adspectum armorum, quæ à Vulcano fabricata ei mater attulit, ardorem & impetum in Troianos pugnandi acuere potuisse, repentéque animum his induto, velut lymphatum & furentem ad conserendas cum hoste manus in-

Digitized by Google

caluisse, orationis autem atque dicendi studium non eodem modo, commoditate locorum dignitateque accendi solere. Atqui Socratem audimus sub amœna illa platano, ac in herbis virentibus, libenter philosophatum esse, cùm ad fontem non longè ab Ilisso perspicuum, & gratissimam solitudinem venturas quasi Musas accerserer, sibi ad eludendum verbis Phædrum Myrrhinusium, ad orationem Lysiæ Cephali refellendam, atque ad eas quas de rebus grauissimis instituebat disputationes, præstò futuras. Nos autem in regiæ magnificentiæ domum, nouis auspiciis surgentem, non putamus eas professoribus vel inuocatas esse venturas? Magnam omninò alliciendi vim habet aspectus rerum pulcrarum, non apud homines modò, quibus illæ industriam iuuant ac exérunt, sed & in equis quoque vsuuenire videmus, vt per decliues campos, sensim pedi cedentes gressúmque placidè recipientes, quàm per loca confragosa, perque salebras præcipites, incitatius decurrant. Pauonem etiam ineuntevere, pennas versicolores ad solem ambitiosè explicaturum, delectant prata floribus omne genus passim ridentia, vbi cum ipsa rerum natura, cumque anni tempestate, ornatu vario diuitias suas ostentante, velut pulcritudinis certamen instituat. Atque ob eas causas huius domus pulcritudo idonea mihi videtur atque

Digitized by Google

efficax ad excitandam docentis induſtriam, cuius amœnitate & elegantia, veluti rhombo aut Sirene aliqua tracti huc acceſſimus, multò certò plura & exquiſitiora in tam inſigni argumento dicturi, niſi nos non ſolùm in ſubitis (quod dicere haud pudebit) ſed & ante cogitatis, infœlicior memoria deſtitueret. Quod certò ſcio pleriſque incredibile videbitur, iis præſertim, qui cùm priſtinum noſtrum agendi morem crebris experimentis perſpectum haberent, tamen nos ipſos hactenus ignorarunt, & cùm defectum memoriæ diligentia quadam & improbitate laboris penſaremus, quàm imparati eſſemus ab hac facultate, non intellexerunt. Quia enim minimè nos præteribat, ei prorſus nomen oratoris relinquendum, qui ope memoriæ deſtitutus eſſet, & quæ de ſuperiore loco ad audientes promerentur ἀποστοματίζόμθμα, vt vno verbo dicam, id eſt memoriter recitata, maiore plauſu quàm lecta excipi ſolere, interdum vim naturæ afferre cogebamur, vt cùm plura inculta & inornata dicturi eſſemus, ſaltem aliqua ex parte recitatio ipſa audientibus imponeret. Verum id nequaquam pulchrè ceſſit, nobiſque contra vſuuenit, vt dum ea quæ natura negauerat ſtudioſè affectaremus, aliarum facultatum quibus verè inſtructi eramus, fructu omni & exiſtimatione ſpoliaremur. Siquidem extitere illico liuidi quidam

Digitized by Google

rupicones, qui arrepta inde occasione, vt cætera nobis detraherent, hanc vnam memoriæ laudem liberaliter tribuebant. Non sumus inficiatores ingrati, qui eas naturæ dotes si adsint non agnoscamus, aut gloriam si qua inde oriri possit, vilem existimemus:

Οὔτι ἀπόβλητα ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.

Non sunt reiicienda Deorum præclara munera. Quantum enim sit memoriæ donum, vel ex eo liquet, quod inanis esset tam multa legendi, audiendi, & animaduertendi labor, nisi illa, huic custodi tradita, velut tabellis atq; pugillaribus asseruanda consignarentur. Fuit profectò istud hominibus, immortali Dei beneficio, aduersus rerum ignorationem datum præsidium, vt non immeritò Plutarchus aureo de liberorum educatione libello, memoriam disciplinarum cellam penuariam nuncuparit: αὕτη γὰρ ὥσπερ τῆς παιδείας ἐστὶ ταμεῖον. ipséque adeò Platonicus Theætetus, memoriam esse matrem Musarum, donúmq; Mnemosynes affirmarit, vt non diuersus abiret ab Æschylo qui eadem canit, memoriam subinde indigetans omnium scientiarum matrem, vt quæ ipsas quoque Musas pepererit:

Μνήμην ἁπάντων μουσομήτορ' ἐργάτιν.

Longior sim, si enumerem quàm multi priscis temporibus ea parte suspiciendi nominis sui famam ad nos vsque propagarint: si Mithridatem Ponti regem duarum & viginti gẽtium

linguis olim loquentem, si Crassum illum diuitem, cùm Asiæ præesset, quinque Græci sermonis differentias probè callentem, & prouincialibus suo cuiusque idiomate iura reddentem commemorem: si denique Cyrum Persarum regem, Theodectem, Charmidem, Cyneam Thessalum, aliósque inusitatæ memoriæ laude stupendos proferam. Vt prætereatur etiam silentio Themistocles, qui profugus apud Persas, eorum linguam sanè difficillimam non toto vertente anno ad perfectam elegantiam edidicit, nec non Simonides, qui, teste Fabio, & memoria insigni fuit, & eius iuuandæ artem primus excogitauit. Quæ sanè naturæ miracula & rara suorum sæculorum ornamenta, memoriæque prodigia sic commendauit antiquitas, vt eadem tamen innumeris casibus esse obnoxia, & morbis plerumque intercidere ac emori probè intelligeret. Audire est Senecam, de hac vi sibi fatiscente, multis verbis conquerentem, & Socratem qui apud Xenophontem, iniquo iudicio cadere mauult, quàm diutius superesse, quod prouideat fore vt ætate ingrauescente ἐπιλησμονέστερος, id est obliuiosior euadat? His accedit Plinius de memoria ita differens: *Nihil æquè fragile est in hominum vita, morborum & casus iniurias, atque etiam metus sentiens. Ictus lapide oblitus litterarum est, è tecto lapsus matris & affinium propinquorumque, aliud ægro*

tus seruorum etiam, sui verò nominis Messala Coruinus. Venit in mentem Orbilij, cui Tranquillus id accidisse narrat, vt rerum omnium memoriam amitteret, addito versiculo qui tum celebrabatur, Orbilius vbi est litterarum obliuio? Quid quod Aristoteles scientiarum habitus ægrè quidem, sed tamen interdum morbis grauioribus deperdi ac interire affirmauit? ἥτε γὰρ ἐπιστήμη δοκεῖ τῶν παραμονιμωτέρων εἶναι καὶ δυσκινήτων, ἐάν περ μὴ μεγάλη μεταβολὴ γένηται ὑπὸ νόσου ἢ ἄλλου τινὸς τοιούτου. Galenus multis lapsam variis casibus memoriam, cuidam exsiccato assiduis studiis & lucubrationibus organo, facultatem hanc ademptam, simile quoq; agricolæ, ex nimio in colendis vitibus labore, atque victus tenuitate, damnum importatum esse, inter artis experimenta refert: ἐγὼ γοῦν οἶδα τινὰ καὶ τὴν μὲν μνήμην ὀλίγου δεῖν ἀπολέσαντα, καὶ τὸν λογισμὸν δὲ βλαβέντα διὰ φιλοπονίαν τε καὶ ἀγρυπνίαν ἐπὶ μαθήμασιν, ἕτερον δ' ἀμπελουργὸν ἐπὶ τοῖς κατὰ τὴν ἀμπελουργίαν πόνοις καὶ διαίτῃ λεπτῇ αὐτὰ τούτῳ παθόντα. Enimvero minime nos fugit, domestica mala leuiora esse cùm probè teguntur ac dissimulantur, hocque viris cordatis ac sapientibus in more positum esse, vt suarum vestium maculas, si quæ sint, introrsus abscondant, atque publicis oculis amoueant. Est enim hoc tempore admodum frequens vitium ἐπιχαιρεκακίας, quod ex alterius malo voluptatem capit, perinde ac si sua vnicuique

fœlicitas in aliena infœlicitate consisteret. Adhæc si infortunium queraris, inutile est, adeóq; nullam miserationem excites, vt contra quibus nunc viuitur moribus, ludibrium debeas. Est quippe vt querula calamitas, ita superba fœlicitas, & quisque dum de aliena fortuna deliberat, suam in consilium adhibet. Verum non quemadmodum res aliæ, ita & valetudo fama constat, si quis intus æger sit, cùm hac in re nemo plus aliis credere debeat quàm sibi. Nemo (inquit Saluianus) alieno sensu miser est, sed suo: sic neque magni facienda est illa fœlicitas quæ in alieni iudicij errore, & proprij mali occultatione tantum posita est. Adhæc erubescendæ sunt illæ duntaxat infirmitates, quas quis ignauia sibi vel culpa contraxit, fortuitæ verò & naturales velut θεήλατοι apud homines non planè iniquos excusationem merentur, vt innuit grauissimus author in 3. ad Nicomachum: τοῖς μὲν διὰ φύσιν αἰσχροῖς οὐδεὶς ἐπιτιμᾷ, τοῖς δὲ δι' ἀγυμνασίαν καὶ ἀμέλειαν. Non imitabor hîc Curionem patrem, qui cùm cœpisset priuata in causa magna & graui M. Tullio respondere, subitò resedit, conquestus sibi venenis ereptam esse memoriam, neque anili superstitione infatuatus vnquam adducar vt credam cuiquam, veneficio vel magica deuinctione imponi posse silentium. Suum vnicuique temperamentum, sua nascendi conditio, suæ animi & corporis

Digitized by Google

affectiones, eius rei copiam negant aut sufficiunt. Vnde nobis ipsis sic naturæ vitio comparatum est, vt cùm exiguum in memoria præsidium haberemus, tamen nec eo vti sine certissima noxa possemus, quod cùm animaduertissent medicorum filij, iampridem nobis, si non omnem (qui enim licuisset in hoc genere vitæ?) at certe maiorem animi contentionem sedulò fugiendam esse commonebãt. Nam dum animus, quem remissum & solutum in sequiori habitudine oportuit, grauiori commentatione intenditur, illico calorem vndique in se trahens & euocans, spiritus exhaurit, qua ex re totius corporis perturbationem, subindéque Caij Cilnij equitis ægritudinem sequi necesse est. Quamobrem velut anus saga Flacco adhuc puero, si vitalis esse vellet, cauendum ab importuna garruli loquacitate canebat, sic de nobis tales editas esse sortes existimate.

Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,
Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra.

Conficiet hunc quandóque memoriæ actio. Quod si non aliunde quàm ex memoria viueremus, si similes essemus iis animantibus quas philosophorum princeps, in primo primæ sapientiæ libro, memoriæ adminiculo viuere ait: τινὰ μὲν ζῶα φαντασίαις ζῇ καὶ ταῖς μνήμαις,

Digitized by Google

vtique nobis de viatico desperandum esset. Atque hoc quidem modo affecti obtrectationi & inuidiæ opportuni fuimus, nec eorum linguas effugimus, quorum potius æquitate ac candore nos subleuari oportebat. Nam cùm partim causa sontica, partim tædio pomeridianæ horæ, vnde non parua nobis incommodorum facta est accessio, aliquot menses æstiuos hinc abessemus, cessatio ista quibusdam sermonum materiam præbuit. Sed suggillari me aut etiam reprehendi quo iure, qua iniuria à viris grauibus, à collegis nostris nunquam iniquo animo feram: at nescio, risu magis an indignatione dignum sit, quod ignotissimus quidam Arpinas, qui ab homine potente productus atque commendatus, in aliquam quæ iam multos annos vacua est, cathedram adspirat, dum peregrè in aulam regiam tendit ad obtinendum diploma, in itinere verba quædam censoria & suspercilio sa de nobis grauis author effutiuit. Quis non in homine illo prudentiam desideret, qui quem in ordinem cooptari & recipi ambitiosè cupiat, ex eo ordine non dubitet aliquem, nullo vnquam facto aut dicto lacessitus offendere? qui iuuenis in ætate prouectiorem, professionis candidatus, adhuc repulsæ obnoxius, temerè in professorem deblateret? Atqui summa modestia prensare debuit, vt in petitione sua eorum saltem

quos sibi collegas sperat, quamuis res nostri suffragij non sit, secunda voluntate vteretur. Vbi verò quod concupiscit indeptus fuerit, tum ego illi suadeo, diligens sit & muneri suo assiduus, vt docendo discat, repentinus ex auditore doctor, qui nupera magistri dictata afferens, in suggestum inuolarit. Nam idem illi, quod nonnullis albæ gallinæ filiis contigit, qui cùm consummatam artis suæ notitiam ad professionem afferre debuissent, eius rudimentum sumptibus regis posuerunt. Nobis qui viginti amplius annos eas quas profitemur litteras, per omne authorum genus, nullo nostrorum laborum authoramento excoluimus, eadem sedulitate non est opus ad colligendam peritiam, quippe qui potius nunc de prytaneo ali, quàm in ordinem cogi mereamur. Non tamen committemus, vt ea quam officij ratio & relligio exigit, diligentia in nobis iure desiderari possit, modò vires Deus sufficiat, quæ suadsint, sexcentis prælectionibus stantes pede in vno sufficiemus. Porro sicubi memoriæ fides defecerit, vnicum & vetus remedium est, ex scripto agere, quod iam inde à priscis temporibus summis viris vsurpatum fuisse, vbi aliquot exemplis demonstrauero, finem faciam. Eorum familiam ducet parens eloquentiæ M. Tullius, qui quamuis extemporali facultate non destitueretur, tamen nunquam ita para-

Digitized by Google

tus erat ad dicendum, quin diem differri cuperet. Argumento sit data libertas seruo, ob nuntiatam causæ circa quam sollicitus æstuabat, comperendinationem. Quem etiam scriptas in senatu legisse orationes si narrantibus historicis, & inimicis conuitiantibus non credimus, attamen ex ipsius ore licet cognoscere. Nam pro Plancio agens, & honorificum suum ab exilio reditum more suo deprædicans, orationem qua gratias egit Senatui, propter eius magnitudinem de scripto se recitasse profitetur. Quæ tamen si cum alius eiusdem plerisque actionibus conferatur, vix modica, nedum prolixa censeri possit. Ipsi patres cùm rogarentur, plerumque de scripto dicebant vel Catone teste, qui suam de litteris M. Bruti sententiam, scriptam & meditatam domo attulerat. Vix credibile videatur Augustum Cæsarem non modò publicè ad milites & populum concionatum esse hoc modo, sed & amicos in urbe, & Liuiam vxorem, ferè non aliter quàm ex libro allocutum esse, nisi fideiussorem haberemus Suetonium, cuius hæc verba sunt: *Neque in senatu, neque ad populum, neque apud milites locutus est vnquam nisi meditata & composita oratione, ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia, sermones quoque cum singulis, atque etiam cum Liuia sua graiores, non nisi in scriptis ac è libello habebat, ne plus*

Digitized by Google

minúsve loqueretur quàm par esset. Pluribus ego supersedeo ne maius memoriæ negotium facessam, neve hoc defectu & vitio tanquam ornamento gloriari videar. Cæterum ex hoc incommodo, commodum ad studiosos, si qui erunt, perueniet, quod interuentu scriptorum, cuncta certiora à iudicio, quàm à promptuario memoriæ sæpe fallentis excipient.

Digitized by Google

V. C. STEPHANO PASCHASIO S.

ORATIVNCVLAM *à me habitam ſuperiore anno, tibi offero (vir clariſsime) ſanè pleriſque, non minus quàm olim Tiberio ſeram Ilienſium conſolationem, ipſa editionis tarditate deridendam. Nec dubito quin tute mireris, quid in mentem mihi venerit, vt eam tanto interuallo publicatam vellem. Nam cùm viliſsimo ſit argumento, nec aliunde commendari poſsit, quàm quod te audiente recitata eſt, iamque etiam omnem tempeſtiuitatis gratiam amiſerit, quid ſupereſt, niſi vt ſi quam audiendo de me conceperas opinionem, eam legendo deperdas? Id quidem fateor nullo conſilio à me factum, ſed aliorum exemplo, & libertate quadam animi communem inſanire inſaniam volentis. Video enim iam omnes herbam parietinam fieri (quod de Traiano retulit Ammianus) inſcriptis per omnia vrbis loca, per templorum veſtibula, perque ædificiorum iacentium rudera nominibus: hunc orationem, illum poëma, alium panegyricam actionem polliceri, video & huc peregrinas merces importari, egregiâ inſtitorum ſi-*

Digitized by Google

duciâ, quasi magnam nobis admirationem sint allaturæ. Ego verò qui sciam nihil eiusmodi Lutetiæ esse admirabile, nec quenquam pedem moturum, etiàsi ad suas nugas vocet nauis Hispanæ magister: laudem in tantillo opere non quæsiui, nec illud vt vnquam ederem composui, sed quia composuerã edidi: certè æterno silentio & tenebris cõpostum relinquendũ, nisi perituræ non parcere chartæ hoc impetu decreuissem. Quinetiam ita securus fui iudiciorum, ac præceps, vt inter exscribendũ, ne apicem quidem retractarim, immutarim, addiderim, solùm, tertiam fermè partem detraxerim, gnarus magnam orationem magnum malum fore. Sed impulit me præcipuè (doctissime Paschasi) assidua tuorum in me beneficiorum recordatio, quæ cùm reponere nusquam detur, nisi saltem grato memorique dum viuam affectu prosequar, omnium mortalium audiam ingratissimus. Et ne quid dissimulem, quæsita mihi est hæc occasio te adeundi, vt meæ erga te voluntatis ac obseruantiæ aliquod duntaxat indicium expromerem, quod aliàs, si Deus annuerit, illustriore documento facturus sum. Interim quicquid id operis est, limatissimo tuo iudicio permittetur, qui præter fori seria, in quibus te Gallicæ eloquentiæ prærogatiua regnantem vidit hæc ætas, studia etiam humanitatis fœliciter exoluueris, & non solùm popularibus, sed & extraneis omnibus Latini epigrammatis palmam, vel ipsa fatente inuidia, præripueris. Vale.

Digitized by Google

DE MINIMA CAPITIS MINVTIONE.

QVA olim voce, Romanus quidam imperator acres pœnitentis animi morsus, ac desperationem suam prodidit, Audd. cùm partim cæco ambitu, partim insidioso fortunæ calculo, extra priuati sortem positus, & mundi gũbernaculis admotus esset: eadem nunc voce, sortis conditionisque meæ mutatione orta, mihi apud vos vtendum esse censeo. Ille enim cùm suscepti recens imperij molem, quod aduersis prælijs & cladibus malè auspicatus erat, iamque adeò impendentes sibi malorum fluctus & tempestates segnis nimium gubernator perhorresceret, in hunc modum exclamasse fertur: Quid me oportebat longis tibiis canere? Mihi hodierno die, ex tertiis huius celeberrimæ domus adytis, quò me ante triennium sponte & quietis causa, ex classe demiseram, ad hæc paulò altiora redeunti, & rursus inter classicos classicum canere iusso, cùm fortè animum subit hæc cogitatio, quantum in præsentia oneris tollam, quantam ingenij, eruditionis, dili-

Digitized by Google

diligentiæ, fidei aliarúmque virtutum expectationem sustineam, certè velut iam imminentium curarum pondere depressus, moderari mihimet non possum, quin in eandem Othonis vocem prorumpam, & anxietatem animi mei Græcis, sicut ille, verbis, profitear atque patefaciam, τὶ γάρ μοι καὶ μακροῖς ἀυλοῖς; Enimvero quoniam à viris sapientibus accepimus, ea leuius ferenda, quæ culpa nostra vitióve contracta non sint, vnum hoc mihi labantem animum non parum erigit & recreat, quod non per antecessoris mei cædem & parricidium, nefario ignaui Othonis exemplo, neque malis artibus, in cuiusquam fraudem ac perniciem vsus vnquam, sed completis legitimè stipendiis, sine ambitu, sine corruptela, postulantibus etiam fortasse Academiæ temporibus, in debitam magis mediocritati meæ quàm optandam vel vtilem stationem velut postliminij iure receptus sum. Quippe & mihi voluptati est honorificum sapientissimi Amidæ de me iudicium, qui nec opinantem, neque vt moris est, prensantem, aliqua fortassis litteraturæ, aut morum ingenuitatis commendatione olim cognitum, postea verò tota trieteride, liberalibus obsequiis, & nauata fideliter opera, penitus sibi perspectum atque exploratum, ad hoc munus, pene inuitum dixerim, euocauit. Nam hercule, etsi nulla mea est eiusmodi

Digitized by Google

virtus aut eruditio, vt vllum honorem, nedum honoris optionem sperare debeam, tamen in hoc paupere regno, nusquam potestatem eligendi inuidente mihi fortuna, statueram potius tacita frui conscientia, & quamuis inglorios, attamen minus sollicitos annos in secundariis ordinibus transigere, quàm in primis macri honoris ac tituli gratia, laboriosas nimium molestias suscipere. Laudare verò apprimè solitus eram Mæcenatis consilium, qui omnium mortalium apud Augustum Cæsarem gratiosissimus, & amicorum interioris admissionis multò primus, cùm rerum humanarum nihil dicere aut excogitare posses, quod ei vel optare improbum, vel consequi arduum fuisset: tamen angusto pene clauo contentus, neque senatoriam dignitatem vnquam concupiuisset, & intra solam principis beneuolentiam suæ fœlicitatis terminos statuens, vitam otiosam, & ab omni discrimine inuidiáque tutam traduxisset. Huc accedebat quod vt ingeniosus poëta de seipso canit,

--- nec mens erat apta labori,

& medicorum filij si non omnem (quî enim pauperi liceat esse delicato?) at certe maiorem animi contentionem nobis fugiendam esse commonebant. Vt enim quibus me casibus & erroribus, iam inde ab ineunte pueritia fortuna inclementer exercuit, vt indigna

istius nouercæ ludibria & contumelias silentio inuoluam: si cruciatus nemini mortalium ferendos, si ademptum vitæ vsum, & irrogata mihi, naturæ infœlicis acerbitate, supplicia, si denique factam per diras inualetudines & ætatis & ingenij ruinam dicendo complecterer, quanta se tandem vobis malorum vix cuiquam credibilium series aperiret? Hæ sunt igitur causæ, Audd. causæ, inquam, sonticæ, quæ me vt latere, & in propria pelle quiescere vellem, admonebant: nunc quibus vt magis auderem, adductus sim, nisi molestum est, paucis expediam. Et quidem optimi moderatoris continuata triennio, ac plurimis consignata beneficiis erga me beneuolentia & humanitas, ita me sibi totum addixerat, vt quamuis vitantem inuitaret me ad hoc munus, & cupiens honorare propemodum oneraret, tamen meæ potius facultatis, seu (vt verius loquar) imbecillitatis periculum faciendum, quàm vllam officij occasionem prætermittendam esse ducerem. Videbar mihi tanquam Triarius triennio toto in tertiis castris subsedisse, vt si apud primos ordines laboraretur, subuenirem. Rem autem ad me rediisse intelligebam & dolebam simul, cùm abhinc sex menses dux & collega noster strenuè pugnans cecidisset, virorúmq; aliquot fortium interuentu, ægrè tandem acies reparata & sustentata fuisset, quorum

Digitized by Google

cum ipsis voluntarius, huic verò domui penè precarius constaret labor, sibi fessis atque volonibus quasi nouam manum succedere postulabant. Igitur coniecta in me omnium ora & oculi, tacitis omnium suffragiis & cogitationibus ad hanc prouinciam designabar, ex academicis quoq; nonnulli segnitiem meam, qui oblatam promouendi, vt videbatur, occasionem elabi sinerem, increpabant. Ego verò primum molestis meæ quietis interpellatoribus irascebar, per quos non liceret esse negligentem: postquam autem animaduerti alios me prætermissum, alios reiectum, secus atque res erat interpretari, ab aliis etiam hanc cunctationem diffidentiæ assignari, illico rem aggressus sum, ne quis vel de humanissimi Amidæ animo erga me dubitaret, vel modestiam meam (vt Marius ait apud Crispum) in conscientiam duceret. Interim verò reputabam apud me incertos rerum fluxus ac euentus, atque vt temerarij affectare magna, sic vltrò delata recusare, & consensum iudiciúmque bonorum præfractè respuere, ingrati supiníque hominis esse ducebam. Quinetiam plerumque hominibus nimia pertinacia atque arrogantia accidere solet, vti eò recurrant, & id cupidissimè petant, quod paullò ante contempserint. Prorsus iracundum est fortunæ numen, & vbi semel illam benignè sese offerentem spreueris, frustrà post-

modum discedentem reuoces atque implores. Veniebat porrò in mentem mihi Sergij Galbæ, cui olim cùm delatum, mortuo Nerone, principatum accipere cunctaretur, fortuna per quietem, limen domus insistens, visa esset interminari, nisi confestim admitteretur, se ad alium esse transituram. Memineram & me legere aliquando apud probatum scriptorem, simile quiddam de Iuliano Parabata, cui quondam in hac ipsa Parisiorum ciuitate agenti, cùm à Constantio Galliarum ei præfectura demandata titulo Cæsaris foret, genius suus obuersatus esset, minantíque similis, in accipienda Augusti appellatione summáque potestate, ad quam militum & plebis studiis vocaretur, hactenus cunctatorem esse iussisset. Itaque re diligenter in vtramque partem expensa & considerata, parua scilicet magnis componens, Rubiconem istum transij, sed ita tamen vt neque ruborem posuerim, neque meos mihi conatus erubescendos, aut aliis fore pœnitendos existimari velim. Eatur nunc quò præpotentis Dei voluntas, & præsens rei Academicæ status, institutíque ratio vocat, & quando regredi non datur, saltem quà progredi cùm mihi, tùm studiosæ iuuentuti vtilius sit, in primis prospiciatur. Est verò consentaneum huic oneri parem fore, cuius hactenus labor non omnino ingratus aut infructuosus exti-

terit, atque (vt quod aiebat impudens illa Quartilla in re honestiore vsurpetur) taurum gestare posse, qui vitulum sustulerit. Quamquam non me præterit quid ex aduerso dicturi sint maligniores, quorum vanos strepitus aure surda præterire, non minus animum semper induxi meum, quàm muneri quodcunque sumpsissem, pro virili satisfacere. Torquebunt in me Apuleianum illud, qui celocem regere nequit onerariam quærit, & quia triennij superioris mentionem feci, id agent potissimùm vti præteriti temporis ratio, omnem futuri spem atque expectationem præiudicio iniquo labefactet. Dionysium Siciliæ tyrannum ferunt, postquam regno excidisset, Corinthi ludum aperire, & pueros docere coactum, ex Diogene qui eum tum fortè inuisebat, siscitatum esse, ecquid ipsi præsentis fortunæ officio rectè fungi videretur, atque eiusmodi salsum vt à Cynico par erat tulisse responsum: malus rex eras, nunc peior es ludimagister. Audire mihi videor istud in me conuersuros, iste ineptus erat tertiæ, nunc ineptior primæ cohortis est ductor, & quem aulœdum manere oportuit, agere citharœdum non dubitat; sed hæc non nisi à Cynicis, aut potius canibus oblatrantibus audienda erunt: tametsi longè dispar est ratio, ac verisimile sit magis me incommodius hanc prouinciam administraturum,

Digitized by Google

quàm ille suum ludimagistri munus obierit, quod ad maiora ascendenti, quàm à maioribus ad minora aggredienti semper acriore conatu & industria opus est. Nisi fortè quis dicat cum Stratonico ad compensandam hanc quæ incumbit mihi difficultatem, aliud esse sceptrum, aliud plectrum, & subinde Trebellianum illud adiiciat, aliud in imperatore quæri, aliud in oratore vel poëta flagitari, vt facta veriusque mutationis comparatione, mihi esse classico, quàm illi ludimagistro propter insolentiam rei facilius deprehendatur. Nec verò deerunt alij, qui verè de me dici posse, id quod Hadrianus quondam de suo Ælio Vero dixerit, asseuerabunt, quem à se in futuri spem imperij adoptatum, cùm videret minus validum & paulatim liquescentem sæpe hanc vocem iactasse dicitur, in parietem caducum inclinauimus. Alij rursus meam se dicent admirari temeritatem, quod in tanto bonorum ingeniorum prouentu, id ego de triuio sim ausus aggredi, quod plerisque infœliciter cesserit, cùm quotidie videam excellentis ingenij ac doctrinæ viros, tantùm quia nouitij sunt in primis ordinibus frigere, & solos in angulo garrire, cùm etiam hoc ipsum suggestum quod ascendi, summorum hactenus virorum vocibus personuerit, quibus dari successorem graue est, vt iuxta ab incœpto me deterrere debue-

Digitized by Google

:it illorum solitudo, atque horum celebritas. Hæc & talia si magis in me conuenire, quàm in commune dici consueuisse cirem, profectò consulerem mihi, neque os importunum cœlo attollerem, gnarus, frustrà niti, & sese fatigando, nil nisi ludibrium debere quantæ sit dementiæ. Sed inueterauit quædam opinio toti Academiæ perniciosa, quæ non tam apud doctos & iudicandi peritos, quàm apud volaticam erronum turbam increbuit, à nouitio classico nihil solidum aut ipsorum auscultatione dignum posse proficisci. Quod iudicium tametsi à sapientibus contemnitur, tamen nonnihil bonorum animis dolet, eos potissimum in tam stulto errore versari, quos in hac re sapere & intelligere magis interesset. Itaque iam eò res nostræ reciderunt, vt qui non vicena meruerint stipendia, quique non minimùm tanto temporis spatio, quanto à Græcis obsessum Ilium fuisse accepimus, professi sint, ij quasi minore summa quàm centum viginti millium æris censi sint, infra classem more prisco deputentur. At verò alia est & magis vegeta boni scriptoris sententia, cùm dicit neque longitudinem ætatis, nec annorum numerum artem bellicam tradere, sed continuam exercitationis meditationem, adeò vt post quanta volueris stipendia inexercitatus miles semper sit tiro. Et miratur quisquam, in tanto fastidio,

Digitized by Google

si rarò se proferant ingenia, cùm quemadmodum olim Attilius facetissimè dicebat, satius sit otiosum esse quàm nihil agere. Patimini me hîc obsecro, Audd. non meam sed communem inuidiam deprecari, & nouum hominem, nouitiorum causam agere, vt ostendam, quanto rei litterariæ damno, tali contemptu retusa & retardata eorum cesset alacritas. Quod cùm ago, nemo me veteranis bellum indicere, aut sexagenarios de ponte deiicere velle suspicetur, quam suspicionem iam palam disertéque deprecor adeóq; abominor, vt quiduis perpeti, immo si quod malum impendet Academiæ fatum, piacularis iterum victima luere malim. Sed quoniam summa vtrorumque coniunctio est & affinitas, de alteris cum alterorum mentione necessariò dicendum erit, ea honoris præfatione, qua monitorum officij, & viæ præmonstratorum ac ducum ad priscam obseruantiæ legem deceat meminisse. Vt enim Tiresias infames naufragiis scopulos & loca periculosa Vlyssem, vt Helenus Æneam, vel omissis fabulis, Fabius ille maximus Paulum Consulem iturum, & periturum ad Cannas Punicas artes & bellicos astus Annibalis ipse expertus edocebat, sic illi tot laboribus defuncti, tot annorum dispendio, tot ærumnarum tolerantia, & fame quoque famam mercati, iuniores de ratione fungendi muneris

Digitized by Google

exemplo condocefaciunt. Assignatus est olim modus agri militibus qui emeritis generosè stipendiis honestam ingrauescenti ætati flagitabant missionem, quid istis fiet qui in excolenda iuuentute in debellanda barbarie præmaturum sibi senium arcessiuerunt?

Quæ sedes erit emeritis? quæ rura dabuntur,
Quæ noster veteranus ãret?

Et fuisse quidem legimus in Romanorum castris nonnullos, qui cùm missionem impetrare vellent, specie salutandi imperatoris, eius manum contingentes ac deosculantes penitius intra os apprehenderent, vt ipse amissa & eradicata dentium septa veluti digito pertentans, ac proinde virium & ætatis occasum colligens, eos citius cum agris pertica demensis atque viatico dimitteret. Ecce veteranos nostros iam effœtos, iam edentulos, iam contracto spiritu, tertiata verba vix balbutientes, nihil prætet inane nomen retinere. Quod cum ita sit, non oportet illos insuper aut debita fraudari obseruantia, aut à recentioribus extrudi, vt is videlicet ad reliquas miserias veluti cumulus accedat. Ad me quod attinet, ita Deum immortalem propitium habeam, vti quotquot sunt huius notæ, omnes parentum loco colo ac veneror, illúmque qui me in reuerentiæ proposito retineat versum sæpè voluto,

Vtque ego maiores, sic me coluere minores.

Digitized by Google

Quare cum nouitiis me velificatum esse audient, transactos annos cogitatione ipsa reuocabunt, & quod sibi tunc factum esse vellent, iis qui sunt in eodem rerum articulo quæri non ægrè ferent. At verò recentiores nobis fautores adesse peræquum est, neque quàm bene & fœliciter, sed qua in totum ordinem animi propensione, quámque officioso conatu agam intueri. Erit illis suus cùm volent agendi locus, etsi vtcunque orantem interim tulerint, rei pondus & authoritatem afferent, neque de sua quicquam virtute, aut existimatione, quasi summa rei penes me infimum fuerit, singuli diminutum ibunt. Omnes in litteris laudandos esse rectè Plinius censet: nam qui inuidet minor est: denique siue plus, siue minus, siue idem præstas, lauda vel superiorem, vel inferiorem, vel parem: superiorem, quia nisi laudandus ille, non potes ipse laudari; inferiorem aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam, quammaximum videri, quem præcedis vel exæquas. Ego vt est apud Theocritum Megarensium vltimus neque loco, neque numero vllo habendus, tamen cęteris ad benè sperandum, velut signum de arce tollo, vt si qua immerentem fortunæ secundioris aura afflauerit, cęteri quantò eruditione & ingenio præstant, tantò se maiorem & vtilitatem & gloriam in pari negotio tractando sperent assecuturos. Quippe cùm

Digitized by Google

mihi denupsisse extra ordinem, primam huius familiæ classem plebeio patritiam audient, iure pastorium illud in spem opimam vsurpabunt:

Mopso Nisa datur, quid non speremus amantes?

Insita mortalibus natura recentem aliorum fœlicitatem ægris oculis introspicere, modúmq; fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo videre. Quare subiiciet aliquis, istud quidem indeptus es, sed effare quo merito? Quid me oneras sciscitator? rationem fœlicitatis nemo reddit, præpotens ille Deus tacito munera dispertit arbitrio, & beneficiorum suorum indignatus per homines stare iudicium, mauult de immeritis interdum dedisse miraculum. Omnibus bonis in rebus conatus semper est in laude, effectus in casu, nec certè tot annos discendo docendóque maius operæpretium facturos sperauimus, quàm vt aliquando succedere in hanc prouinciam haud inutiles, atque ad necessitatem magis quàm ad pompam possemus, virginum Vestalium more, quæ annis inter officia diuisis, discunt facere sacra, & cùm didicerunt, docent. Quæ autem (malum) inuidia est, inexploratam nostram industriam præterire, & præiudicantis opinionis errore, solitudine ac contemptu damnare nouitios? An sicut in antiquis familiis recentissimum quemque seruorum & conseruis ludibrio fuisse ac-

Digitized by Google

cepimus, sic in hoc publico docendi velut famulatu nouitius quisque in derisum traducitur? Delirabat Sylla, illi omnes rerum domini & gentis togatæ proceres nihil videbant, nihil sapiebant, cùm plures orientem solem adorare, quàm occidentem pronunciarunt. Nam profectò, vt hoc in regnis, vbi semper populis venturus amatur, canente Papinio, verum esse non diffitear, & crescenti potius iuuenum profuturæque, quàm marcessenti senum gloriæ, moxque abfuturæ virtuti publicitus faueatur, tamen hoc à cæteris rempublicam nostram distare constat, quod in ea omnem meritorum cuiusque æstimationem videmus ad legem Annariam reuocari. Quo fit vt magna sæpè virtutis indoles priusquam reipublicæ prodesse possit extinguatur, dum in vnoquoque ætatis quàm virtutis cursus iudicatur esse celerior. Etenim si vel in demortui locum sufficiendus, vel alicui successor sit mittendus, continuò vnumquemque stipendiis, & militiæ diuturnitate censemus, ac perinde vt in antiquis religionibus & Circensibus ludis, omnia secunda fore, si saltet senex, arbitramur. Ingens ad eiusmodi fit concursus, illis omnium in omnibus facilis assensus, illis minoris quàm aliis emitur sal, nec denique quicquam obest, quo minus ex Gallinæ albæ incubatu primi numerentur. Cæteris omnis virtus non in se, sed in aliena

Digitized by Google

opinione ſita eſt, & tanquam patellariis diis maiores victimæ non cadunt, cùm tamen alteros, quæſita temporis ſpatio famâ & virtutis opinio nimia ſui ſecuritate in mollem paulatim inertiam inducat, alteris quærendi nominis cupido & conſcientia ſuæ nouitatis animos induſtriámque acuat. Nec verò tam infrunitus ſum, vt neſciam multò tutius rem veteranis quàm tironibus committi, ſed vbi diſcrimen abeſt, horum manu, illorum potius conſilio vel ad colligendam exercitui roboris opinionem vtendum eſt: illis quies, his labor eſt demandandus, illi de prytaneo alendi ſunt, his omnis cenſus in ipſis & in antelucana opera eſt relinquendus. Quis enim non præpoſterum hoc ducat, ſi veterani periculis vt viliſſima capita obiiciantur, excubias agant, primi rorariorum ac ferentariorum inſtar hoſtem prouocent, leuioris autem armaturæ milites in otio, atque extra telorum iactum habeantur?

--- exclamet Melicerta periſſe
Frontem de rebus ---

Habet Academia præcellentes adhuc optimis diſciplinis viros, & quidem numero plures, quàm

Thebarum portas, vel diuitis oſtia Nili:

viros aio tam ætatis affectæ, quàm eruditionis conſummatæ, qui me tacente ſatis quidem intelliguntur, profeſſionis vetuſtate &

Digitized by Google

eminentia doctrinæ ſpectabiles, ex quibus tres litterarum hodie principes, ante nos hanc prouinciam nacti: vnus quidem ſurgentis huius ſcholæ famam, poſtem claſſicum primus ante viginti annos tenens, dicauit conſecrauitque: duo verò alij partim mediis, partim nouiſſimis temporibus, eandem penè collapſam & intermortuam incredibili virtute inſtaurarunt, auxerunt, propagarunt. Ab his & aliquot ſimilibus cùm diſceſſeris, Academiam in ipſa Academia requiras, & accenſa meridie lucerna hominem cum maiorum laude paria facientem inueſtigans: vrbis præterea celebritati, in qua quicquid vſquam gentium ſit, ad auditionem memorabile, ad admirationem ſpectabile, ad cognitionem vtile, abundè ſuppetere, exteris nationibus perſuaſum eſt, quodammodo reſpondentem vix inuenias. Nos nouus ſenatus ſumus, & bonum factum ſi quis errantibus viam in Curiam comiter monſtret. Quapropter quàm intereſt reipublicæ litterariæ, nobiliſſima illa quæ dixi capita, quibus Academia viuit, quibus loquitur, & triumphat, diu ſalua eſſe, tam etiam prouideri oportet ne viridioris ætatis in ſpem Academiæ ſuccreſcentis, noua fœtura, noua ſoboles, quoddámque quaſi ſeminium deficiat. Nam ſi quid veteranis humanitus accideret, eccui dubium eſſe poteſt, quin Academia grauiſſimo

Digitized by Google

vulnere orbitatis perculsa concideret? Igitur in eorum locum aliquot de minoribus substituere ac subsortiri oportet, qui per idem virtutis ac gloriæ iter incedentes, vestigiisque maiorum insistentes, florentem iam tot sæculis huius Academiæ famam, quantum in ipsis erit, vindicent, neque per socordiam intercidere patiantur. Quod vt commodè præstare possint, maturè in solem & puluerem, vt aiunt, sunt educendi, ne quis quod est apud Aristophanem in Ranis, illos propter nullam antegressam exercitationem lampadis gestandæ rudes atque insolentes ipsis Comici verbis conqueratur:

Λαμπάδα δ' οὐδεὶς ὅστις τε φέρειν,
Υπ' ἀγυμνασίας ἔπιγνοι.

Et verò cùm alia permulta dicta Q. Catuli senatus quondam principis, singularis sapientiæ & iudicij plena referuntur, tum mea quidem opinione nullum præstantius est, quàm illud quo in frequenti populi concione, de piratico bello & imperatore deligendo consilium suum maiore sensu quàm multitudinis assensu aperuit. Cùm enim omnes in vnum Pompeium intuerentur, tot triumphos deportatos, tot ab eo confecta, dubium maiorine virtute an fœlicitate bella memorantes, negauit Catulus omnia in vno homine esse reponenda. Quippe multos in vrbe esse primæ nobilitatis adolescentes,

Digitized by Google

quos iam militiæ assuescere, vt essent qui amisso aliquando Pompeïo sufficerentur, quos reipublicę gubernacula capessere oporteret: Pompeium iam plus satis gloriæ rebus gestis indeptum, aut in ciuili otio sinendum, aut dubiis extremísque reipublicæ temporibus esse reseruandum. Vtinam profectò Spartæ morem Academia retineret, vbi si Xenophonti & Diodoro credimus, nemini bis data fuit classis præfectura. Videlicet classi præesse tam arduum & difficile fuit, vt ex suis ducibus, quod singuli magnum & singulare in se haberent, in eius administratione semel expromere ac declarare, nec vltra, eam præfecturam attingere debere arbitrarentur. Quippe citra destinatos humani profectus fines manere præstat, quàm lassatam assiduitate iuuandi fortunam fœdo exitu deperdere. Propterea vitio datum est Domitio Afro, quod deficere, quàm desinere causidicinam mallet: nec alia causa fuit, cur magnus ille & postremus Dictator vltimantibus vitæ temporibus ad dimicandum cunctantior factus sit, quo sæpius vicisset, hoc minus experiendos casus opinans. Adde quod in ore nostrorum hominum tritum est, præsidem armorum Martem, iuuentuti æquiorem esse solere, à senectute alieniorem, vt interdum illorum temerè incœpta prosperè succedere, benè

Digitized by Google

consulta illorum aspera fœdáque euenire videamus. Sapienter etiam quisquis ille fuit, qui censuit ad certam exploratámque victoriam exercitu amantium opus esse, quod ij cùm se virtute aliqua puellis commendatos ambitiosius cuperent, necesse esset vt præclara ederent facinora, præsertim quia non tantùm cum hostibus, sed sibi quoque secum certamen esse recordarentur. Amantes sunt quicunque hoc stadium ingressi, & virtutem procatum eunt, quos tamen pro amantibus honestæ laudis, amatores vilissimæ æruginis vulgus & prophana inuidia putat:

--- non hæc sine numine Diuum
Proueniunt. ---

Etenim si non alius quàm exigui lucelli amor mentem eorum pupugisset, quantula est merces, obsecro, si cum hac seruitute, cumque tantis laboribus conferatur? Decem horas, immo solidum diem agro sterili colendo impendere, noctem cum vigiliis diuidere, tinnitum æris campani, vt classica & sonantes in procinctu tubas singulis momentis exhorrere atque expallescere quis hoc tam pecuniæ auidus, tam vitæ prodigus sola mercedula inductus faciat? Nam si esuriendum est, licet minoris esurire, si pereundum est, licet minore negotio interire, nec verò qui doctissimus idem continuò & ditissimus est, nec qui maximè laborat, statim ampliorem cæte-

Digitized by Google

ris messem colligit. Liuius Drusus Tribunus plebis, cùm post renouatas Gracchorum leges, è foro reuertens, immensa prouincialium quibus ciuitatem dederat cinctus multitudine, in atrio domus suæ cultello percussus esset, execratus inquietam à primordiis vitam dixisse fertur, vni sibi nec puero quidem vnquam ferias contigisse. Quàm verè idipsum queri possent ij quibus ne quidem silente foro, nec clausis opificum cerdonúmq; tabernis, nec omnibus in vrbe & rure feriantibus à grauissimis laboribus licet respirare. Conferat huc aliquis ergastula, metalla, bestias, tum si libet splendidas nostras & inuidiosas miserias, vel Damoclis exemplo experiatur. Itaque necesse est subesse quiddam maius ac nobilius quod tam acri thyrso percusserit Academicorum animos, vt tam exigua spe, in tantos labores tantásque ærumnas confertim sese deuoueant. Nolunt scilicet vitam silentio transigere vt pecora, sed honesto aliquo munere reipub. prodesse, vt eos natos esse, homines sciant: nec illos præterea fugit, iis qui rempublicam adiuuerint, auxerint, quique inuentas vitam per artes excoluerint, certum esse in cœlo ac definitum locum, vbi beati æuo sempiterno fruantur. Hæc illos tanquam ciuica manet corona pro tot ciuibus seruatis, tot hominibus errori, barbariæ & ignorantiæ subductis, quibus nulli

hostes generi humano infestiores & capitaliores existere possunt. Quid si dixero, non solùm non auaros qui docent, sed omnium mortalium munificentissimos esse ac liberalissimos? Non est vobis ignotum, Audd. nomen Zeuxis præstantissimi pictoris, is picturas & tabulas suas gratis donare instituit, quod eas nullo satis digno pretio permutari posse diceret. Consimiliter illi operam suam deinceps gratis donabunt, quoniam si rei magnitudinem spectes, nullo satis digno hostimento redhostiri compensaríque possit. Me verò dupondium, & semitarium, & reiiculum hominem, adeo nulla lucri spes isthuc impulit, vt contrà grauissimam zamiam mihi ipsi onerasse, & aurea arma aheneis, fœliciáque Capuæ rura, sabuletis Africæ atque solitudinibus commutasse videar. Cur enim hoc æuo quisquam se meliore in docendo conditione futurum speret, quàm diuum Augustinum, qui hoc munere defunctus, posteris istud testatum reliquit, nusquam gentium fœliciter doceri. Scholastici Carthagine boni quidem solutores erant, sed petulantes, garruli, & qui non parum negotij magistris facesserent. At Romæ ipsa specie modesti, & pudentes, sed fraudulenti ac emansores, simulatque mercedum tempus appeteret. Reuiuiscat nunc pater ille sanctus, equidem hic vtroque vitio laborari, &

Digitized by Google

mores Romæ atque Carthaginis tanto interuallo Lutetiam inuectos esse conqueretur. Non tamen ista res nobis diuidiæ atque ægritudini erit,

Omnia præcepi: atque animo mecum ante peregi,

nec dici potest, si nullius magis quàm nostra intererat hoc nos agere, quam non solùm libenter, verumetiam salutariter fuerimus quieturi. Si qui porrò erunt quibus Phiditia nostra & tenues apparatus ad stomachum non faciant, eos ego valere iubebo, & exemplo M. Catonis vtar, qui Macedonas liberos pronuntiauit, quia teneri non poterant. Hoc autem studiosis omnibus, quibus è re suâ videbitur, nobis operam dare, repromitto, facturum me præclara & prolixâ de eorum profectu, deque re litteraria bene merendi voluntate, sicubi aliquorum expectationi minus satisfactum erit, vt is defectus in perditam tantùm depositámque valetudinem sit reiiciendus: quando etiam Roscium populi Romani delitias interdum sua cruditas quòd seipso visus esset minor, in vulgus excusarit. Nam si compertissima est veteris illius dicti veritas, ei homini dimidium mentis deperire, qui amissa libertate alieni iuris factus, seruitutem seruire cogatur, quantum ei quæso virium, animorúmque & alacritatis decedit, cui alterna quiete cunctis animantibus con-

Digitized by Google

cessa fermè vni priuato, miseréque in cruciatu animam trahenti, liberam omnem corporis & ingenij actionem natura inuiderit? Abundè quidem officio ille functus videatur, si suam tantùm vobis propensionem, egregiúmque affectum pollicitus, illico conticescat, ne diutius non tam orantem quàm velut è vinculis, infortunatæ vitæ causam dicentem, non citra tædium audiatis.

Digitized by Google

NICOLAI BORBONII Poëmatia exposita.

APPENDIX.

PARISIIS,
Apud ROBERTVM SARA, viâ Citharea, sub signo Brachij Herculei.

M. DC. XXXIII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO
D. GABRIELI IVLIOTO
Abbati Burgensi

ROBERTVS SARA Typogr. S.

POST excusum tuo maximè impulsu superiorem libellum, V.C. alia quædam ab authore, ad principes viros, hoc biennio scripta, cùm in manus meas fortuitò incidissent, nolui committere vt curiosus lector hîc desiderare posset. Etsi tu quidem non ignoras vt ille mihi tibiq. subiratus, sibi verò ipsi pertinaciter infensus sit ob illam editionem, de qua etiam versus ad te missos visum est huc adjicere, vt vel in maxima erga te amoris significatione, interim stomachi ali-

Digitized by Google

quid ſubeſſe intelligas. Hæc autem nouiſſima ejuſmodi ſunt, vt apparet, quæ illi tum ingenua grati animi erga proceres teſtificandi voluntas; officiiq. neceſſitas & ratio, tum aliquod rei amittendæ, in publico metu, diſcrimen expreſſerit. Vnde non erit, opinor, quòd illa tantoperè auerſetur, aut pari nauſeâ cernat atque ſuperius à me collecta, quæ, magnam partem, rancida, neque certo fine, neque vllo animi decreto, ad improbas multorum efflagitationes, quâ inuitum, quâ incurium ſe projeciſſe clamitat. Vnum iſtorum poëmatum aliter atque aliter detortum reformatumque, & mutato titulo atque accommodato tempori obſequio exierat: ſed cùm viderem non pauca veri & germani exemplaria per manus volitare, communicata, vt audiebam, ab iis ipſis, qui edi pro tempore vetuiſſent, adeoque nihil propius eſſe, quàm vt ab alio excuderetur, nolui mihi præripi has partes, vſus etiam

Digitized by Google

consilio virorum dignitate præstantium, certiorque ab iis factus, nihil in eo præter admodùm innocentem ac naturalem libertatem contineri, tantáque insuper incomparabilis illius herôis, cui nuncupatum est, pręconia, vt qui hactenus suppressum voluerint, ei suas laudes inuidisse videantur. Hanc ígitur libelli superioris Appendicem nomini tuo inscripsi, vt cujus operis tam sedulus hortator fuisti, porrò eius patrocinium & defensionem suscipias, ore illo tuo, illa vi dicendi & facundia, quâ vel debilem causam posse sustineri author ipse nunquam dubitauit. Vale. Lutetiæ Idibus Decembris 1632.

Digitized by Google

IN POEMATA
N. BORBONII V.C.

NOn Latium in Latio; non Hellada in Hellade cernet,
Hellados aut Latij qui spolia vlla petit:
Borbonius Romam doctásque subegit Athenas;
Borbonij est spolium Suadæ vtriusque decus.

D. TILENVS.

AD D. N. BORBONIVM V. C. de eius Expositis.

SVnt Musis sua regna, quibus pro stemmate flores
Inscripti Regum nomina, Phœbe, tui:
Borbonidæ Francis regnant, his nomine compar
Borbonius Musis imperat, atque modis,
Lilia Borbonidis regni sint stemmata, Vati
Borbonio, regni stemma Hyacinthus erit.

Digitized by Google

AD EVNDEM.

OLim per Latium, perque Hellada, nomina Regum
Floribus inſcriptis gratia magna fuit.
Gratia ſit patriæ Regali nomine Vatem
Quæ dedit, & ſcriptis proxima, Phœbe, tuis.

De iiſdem Expoſitis breuiori forma excuſis.

BOrbonij Latios partus, Graioſque, requiris
Cur iuſta breuius parte volumen habet?
Nempe vt eos leuius duplex Iouis inferat ales
Quò ſonat os Graium, quò ſonat Auſonium.
Ac verſent manibus, gaudent quicumq; Camœnæ,
Commodius tanti grandia ſcripta viri.
Quæ ſi cudantur merito formáque decenti,
Aureus, & grandis debuit eſſe liber.

I. B. D. M. S. P.

Digitized by Google

A MONSIEVR BOVRBON SVR SES OEVVRES EXPOSEES,

SONNET.

INcomparable auteur de ces riches meslanges,
Quand tout homme sçauant les admire icy bas,
Et quand tout l'Vniuers publie vos loüanges,
Serez vous tousiours seul qui ne les croirez pas?
Chassez, docte Bourbon, ces sentimens estranges:
Ces discours qui iamais ne verront le trespas;
Et ces Vers inspirez de la bouche des Anges,
Seront dignes du Ciel si vous en faites cas.
Ils sont desia recous au Temple de Memoire,
Si vous les aprouuez, rien ne manque à leur gloire,
Desia le Monde entier les adore à genoux:
Vous vous faites grand tort leur pensant faire outrage,
Car quand vous les blasmez cõme indignes de vous,
On condamne l'ouurier admirant son ouurage.

POIRIER.

Digitized by Google

SONNET
Pour Monsieur de Bourbon.

SVperbe Antiquité, Mere de tant d'Espris,
Dont on voit l'excellence & l'éclat en l'Histoire,
Et pour lesquels tu fais alors qu'on te veut croire,
Tous ces tiltres d'honneur dont tu nous as surpris.
En fin d'autres obiets leur disputent ce pris:
Mon Roy par sa Valeur efface leur memoire;
Et ce diuin Bourbon en ses rares Escris
Fait voir que son Esprit vaut bien mieux que leur Gloire.
Cessez donc desormais de celebrer leurs Noms:
Ces honneurs sont mieux deuz à ces deux Grands Bourbons,
Qu'à ces faux Demi-dieux tant d'attraits & de charmes.
Et pour n'en douter point, demande à l'Vniuers
Les Triomfes que l'vn s'est acquis par ses Armes,
Et la Gloire que l'autre emporte par ses Vers.

Sceuole de Sainct-Marthe.

Digitized by Google

Extraict du Priuilege.

PAr grace & priuilege du Roy il est permis à ROBERT SARA, Imprimeur & Libraire à Paris, d'imprimer ou faire imprimer les OEuures de M. NICOLAS BOVRBON, tant en Poësies que Proses & Versions Latines: Et defenses sont faites à tous Imprimeurs & Libraires d'imprimer, vendre, ny distribuer d'autres que celles dudit SARA, sur peine de confiscation desdits liures, & de cinq cens liures d'amende, à compter du iour & datte de l'impression d'icelle, iusques au temps & terme de six ans finis & accomplis, comme plus amplement est declaré és lettres dudit Priuilege. Donné à Lyon le 9. iour de May, l'an de grace mil six cens trente, & de nostre regne le vingtiesme.

Par le Roy en son Conseil,

DE GVVES.

Digitized by Google



Ad Illustriss. & Eminentissimum CARDINALEM DVCEM RICHELIVM.

TRIETERICA,

SIVE

RES EIVS CONSILIIS, REGIS auspiciis, triennio gestæ.

VPPLICIBVS *procerum frigere*
ad limina chartis
Infœlix Musas pecus, & trepidare
repulsam:
Esse Iouem iratum, miserisque inimica poëtis
Numina, Mœonias & mendicasse Camœnas,
Omnibus auditum est. Qua tanta audacia vatem
Impulit, innatum generi nescire pudorem?
Appellare deos, & grandia nomina regum,
Et formidatas irrumpere gentibus aulas?
Quisquis is est, frustrà iam non noua vẽditat arma,
Et sua iamdudum commissis classica signis,
Seráque cantatis obtrudit carmina rebus.

Digitized by Google

RICHELIVS *sacri decus immortale Senatûs,*
Par animus sceptris, Musæ nunc orsa rogantis
Audiet, & iustas his principis imbuet aures.
Vt nec iniqua sinant ditescere fata Camœnas,
At melior fatis, profugo Rex portus & ara
Esse velit Latio, & sortem leuet ipse malignam.
Si non æternus nequicquam huic sudat Apollo,
Deuictúsque orbis, tantarum & gloria rerum
Insignem toto vatem conducere mundo
Tempus, ait, domitas Regi qui personet Alpes,
Qui canat Oceani constrictus obice fauces,
Neptunúmque suo vetitum succedere portu,
Auxilia obsessis frustráque alimenta parantem:
Exclusi inclusos cùm mœsti è classe Britanni
Adspicerent, vrbémque capi, nihil vsque suorum
Mortibus effectum, queis nuper & insula penè
Capta, per ingentes extorta est stragis acerues.
Vt non hîc steterit Mauors, metásve laborum
Fixerit. infestâ nam vix respirat ab Arcto
Gallia, cùm nostras infœlix Mantua dextras
Implorat. longo, grauis hæc prouincia, bello
Iam sessis, insessi aditus, ingentia claustra
Italiæ, medióque fides haud principe tuta est.
Qui struet insidias vafer & pro tempore finget.
Vix tamen adspexit victricia territus arma,
Inuitus dat iter, primâ & decedit ab Alpe.
Hinc sparsus terror vallatum liberat hoste
Casalium, fugit omnis Iber, dèdique propinquam
Inuicto miles frumenta importat in vrbem

Digitized by Google

Præsidio. hîc Regem lætis super æthera vectum
Vocibus Ausoniæ, nomen titulósque ferentem
Vindicis Hesperiâ in tota, ciuilia rursus
Bella domiu reuocant. Rhodanitrans flumina namq.
Montium inacceßis retrò stabulata cauernis
Attollit caput, & concisa renascitur Hydra
Cautibus abruptis, genio & confisa locorum,
Pestifero veniens etiam quam flauus ab Austro
Nimbus alit. dumq. hæ generosa incœpta morantur
Relliquiæ, Hispanis iterum præcingitur armis
Cásalium; tum cui proauito admurmurat amne
Mincius, hostili se clausum indagine sentit
Sideris infausti princeps, cui Cæsaris ira
Quod punire velit sola est in origine crimen.
Terrarum domini tres, certam haud fœdere iusto
Vnius in miseri conspirauere ruinam,
Concordes odio nostri, quos vnus & omnem
Sustinet Europam Gallus. nec prouida magni
RICHELII *quamuis hærens fortuna fefellit*
Consilia. vnius tanto est solertia rerum
Par oneri. Rex auspicia huc Diuosque secundos
Attulit, hic curas atque ãltæ robora mentis.
Germanas aquilas infirmo hærere volatu
Eridani ad ripas, Hispana senescere ductu
Famosi Liguris tandem quoque vidimus arma.
Ille suæ mœrens nihil ostentasse superbum
Italiæ, fœlix bella in longinqua, domique
Extremo vitæ velut actu inglorius, vltrò
Despondítque animum, rerúmq. reliquit habenas.

Digitized by Google

At senior dux Allobrogum, fax vnica belli
Consiliúmque suum serò, & tot iacta malorum
Semina, maturaque etiam irrequieta senecta
Tempora damnauit reputans: exutus auitâ
Penè iterum ditione miser, mox corpore in ægro
Allobrogis Liguriſq., ægrâ quoque mente, duorum
Cum gemitu fugit vita indignata sub vmbras.
Ergo sub Autumnum longa obsidione moratus
Cessit Iber, postquàm propiora admouimus vrbi
Castra laboranti, quadrataeque impete certo
Processere acies, nec detrectare potestas
Prelia. non, maior numero, non, aggere tutus
Terrifici speciem tulit agminis: ocyus vrbem
Linquere penè suam mauult, quàm cernere ferro.
Siue metum toties nostrorum cognita virtus
Incussit, quos nec montes nèc flumina tardant,
Siue per ancipitem segnis prudentia martem
Ire vegat, quod par non est discrimen vtrisque,
Non æqua est ratio, dubióque hæc alea secum
Insubres trahit euentu, suspectáque magni
RICHELII *cunctis veniunt nunc gentibus ausa,*
Qua non impatiens vinci iamque ipsa timere
Vel fortuna queat, tanta est vis pectoris alti!
Quòd si pretereà duo tales nostra tulisset
Terra viros, veteris domini sub iura rediret
Cantaber, & versis lugeret Iberia fatis.
Pollice libantem parco fastigia rerum
Quas nostra est mirata, sequens mirabitur ætas,
Plurima prætereunt. grandi meruere cothurno

Digitized by Google

Ista cani, vimque & Patauinæ lumina poscit
Historiæ, tanti series operosa laboris.
Sed cùm funesti placidos vicinia belli
Excierit pariter Venetos, guttásque cruentus
Iam Padus Adriacis rubras adsperserit vndis:
Facundi quondam tractus vtrimque silebunt
Ingenia in casu patriæ, non Liuius alter
Surget ab Euganeis, nec desolata Maronem
Mantua sufficiet. quem vel fortuna vel ætas
Exæquat magno, regem sua Gallia vatum
Scriptorúmque ferax etiam virtute priorem
Dicet Alexandro, externi nihil indiga cœli.
Hoc quoque Pellæus minor est, quòd cætera fœlix
Aonidum penitus sterili regnauerit æuo.
Quamuis antiqui manes veneratus Homeri,
Pergamáque insistens tanto præcone beatum
Dixerit Aeacidem, claris immensa daturus
Præmia, vel totas vrbes vel regna poëtis
(Munifico si dignum animo quid secla tulissent)
Non tamen inuenit vatem qui Bactra vel Indos
Conciperétve altum sublimi pectore Gangem,
Vnus erat, gratum quem tunc penuria fecit
Chœrilus. at genere hoc iam non est vilius vllum
In terris, nimio precium quia copia tollit
Prouentu, indoctique placet sibi sæpius author
Carminis, & toti malesanum sinciput addit
Contemptum generi, vacuóq. haud parua laborat
Pars cerebro: infœlix ars tandem nomine solo
Ridiculos homines fecit, iam præmia nullus

Digitized by Google

Expectet, sat erit nec damna manere poëtam.
RICHELIVM *magnis belli pacisque verendum*
Artibus, & validis infractum Atlanta ferentem
Res Europæ humeris, hac tempestate Camœnas
Respicere, & Sophiæ faciles aduertere vultus
Spes fuerat, scissi nisi res componere mundi
Iam labor, & cæcos instet pacare tumultus:
Hæc ideo certatim alacres spe carmina dicunt.
Viue diu fœlix, herôum maxime, tecum
Communes regni noster partitur habenas
AVGVSTVS, *tantóque à Rege secunda potestas*
Incedis: tibi perpetuos sapientia fasceis
Vna dedit, lictorque vno tibi longius anno
Coget adorantes virga decedere turbas.
Te tellus fretáque agnoscunt, atque æquore toto
Neptunus proprij cessit tibi iura tridentis.
In latus Arctôum sua subditus ostia pandit
Sequana, & Armoricis iamdudum in portub. ingẽs
Instruitur classis, socio quæ fœnore posthàc
Gallica per totum commercia proferat orbem.
Inuentum res illa tuum: namque arua beata
Sortiti patriæ, & fœlices vbere glebas
Hactenus externis compendia quærere terris
Spreuimus in cõmune, nec vt, Cererémq. malignam
Hispanus, sterilésque soli pertæsus arenas
Ieiunàm incertis vitam commisimus vndis:
Nec maria emensos per mille pericula, fluuis
Montibus, infossóque fames nos appulit auro.
Si quando libuit maioribus ire per altum,

Digitized by Google

Auroræ populos visendi sola voluptas,
Atque peragrati quæsita est gloria mundi;
Hac etiam nostræ nec parte industria gentis
Cessabit, numero naues æquamus Iberas:
Implentur ratibus portus in vtrumque paratis.
Si pax Europam tranquillâ afflauerit aurâ,
Remigio dites alacri lustrabimus Indos.
Sin super ambiguo moueat certamina Mauors
Imperio, armatum sternemus classibus æquor.
Iacopolis tua iussa facit, tot littoris vrbes
Santonici, atque erepta feri de faucibus Angli
Insula Pictonici domitrix maris: illa iacentes
In terram defixa oculos Rupella, solóque
Consiliis æquata tuis, tibi maximus vnde
Famæ viuet honos in postera secla, nec alter
Maius ab euersa tulerit Carthagine nomen
Scipiades, captâ nec plus sibi Græcia Troiâ
Plauserit, æternos quàm nunc tibi mater honores
Gallia & excisæ præconia concinit Hydræ,
Relligióque asserta suum te iactat Achillem.

O! quantis terras & amicum obstrinxeris olim
Muneribus cœlum! namque & de sedibus illa
Ætherei illapsa tuæ sapientia menti
Non aris per te propriis, non æde carebit.
Sorbonæ, huic, mediis habitanda palatia tectis
Exstruis, vt princeps illâ se iactet in aulâ
Laxior, haud luxuve fluens aut freta caducis
Rebus, & insani captans spectacula vulgi.
Sed turbis procul vt nostris imperuia regna

Digitized by Google

Sensibus, & solos animarum cogitet orbes,
Monstret iter cœlo, vitæ & speranda futuræ
Præmia, & arcani reseret penetralia mundi.
Gratia promeritis tibi si responderit impar,
Obrutus ære tuo si conturbauerit orbis,
At memores fasti, & tua terris didita fama
Te longùm, cœlóque manet certissima merces,
Quò redeas Pylios vtinam tu serius annis.
Pro te multa deos, grex te sed Apollinis vnum
Poscimus, intentæ releues vt pondera mentis
Interdum ad dulces furtim secedere Musas
Quò vegetus regi viuas, regnóque paratus
Semper, & accisis hominum succurrere rebus.

Digitized by Google

ILLVSTRISS. CARDINALI ALPHONSO LVD. DV PLESSIS DE RICHELIEV, Archiepiscopo Lugdunensi, Galliarum Primati, &c.

EPIGRAMMA.

EVROPÆ lumen, rerum columénq; suarum
Dum tenet ARMANVM *Gallia, Roma cupit:*
Spes & vtrimque metus, casúsque timentur in vno
Incerti, volvit quos sua cuique dies.
Ergo pius, dubij geminat solatia fati
ROMVLVS, *& stabilit spes, rainuitq; metus:*
Protinus & sacri tibi purpura mittitur index
Sanguinis, & passo concolor illa Deo.
Iam secura videt geminos Ecclesia Soles,
Alter in alterius nomine vivit honos,
Romáque plus duplici, plus Gallia lumine claret,
Plúsque fugat tenebras bis radiata domus.
At Livor clamat: Quid nunc lex Iulia dormit,
Quæ tanto fratres arcet honore duos?
Clamanti referam; Par fratrum tale, nec illa
Tempora viderunt, fortè nec ista vident.
Iulia quodque vetat, non Iulius ipse vetaret,
Nam populi, lex est vna suprema, salus.

Thuanus lib. Historiarum 82. anni 1585.

Decretum insuper Iulij 3. renouatum, ne duo Cardinales fratres germani vel consanguinei creentur, &c.

Digitized by Google

D. Matthæi anni 1612.

Οὐκ εὐαγγήλια.

CRedimus? an quicunque timent sibi somnia fingunt?
Quis nouus emerget tantis terroribus author?
Anne repentino miseros confundere ciues
Iussa metu, diris incincta Megæra colubris
Protinus attonitam ceu fulmine perculit vrbem?
Arrectis horrore comis iuuenésque senésque
Excepêre nefas, nec fletibus ora rigarunt.
Maior erat lacrymis dolor, & consumpserat illas
Vera patris clades: cunctos prope nuntius egit
In scopulos, in saxa: licet dubitanda referret
Rumor, & ancipiti mentes impelleret æstu:
Spem dubiis exempla negant, augéntque timorem.
Dedecus ô secli! nunc experientia quiduis
Credere mendaci famæ iubet, omnibus horum
Prona fides scelerum: forsan quoque transiit Alpes
Fama tenax falsi, vicináque regna petiuit
Facta infecta ferens, virésque acquiret eundo.
O nimium faciles, improuida pectora, Galli
Hæc animis mãdate, parum est (mihi credite) tãtum
Non facinus fieri, nimis est & posse timeri.

Digitized by Google

AD ILLVSTRISS. VIRVM MATTHÆVM MOLE', SACRI CONSISTORII Comitem, Regis Christianissimi Procuratorem catholicum:

De morte dilectissimi fratris R. P. Athanasij ictu sanguinis repentè extincti Consolatio.

IN subito fratris qui te soletur adempti
Funere, qui crudum tegtet lenire dolorem,
Multus erit. tua Socratico mihi cernere cœtu
Atria, & innumeris videor densata caterais;
Atque tui studio, totam iam talibus vrbem
Defunctam officiis, procereſque, & amica senatus
Agmina. cuncta tuos etiam scit Gallia casus,
Tristis & hic nostras fando peruenit ad aures
Nuntius, indoluitque tuo plaga dissita luctu.
Sed non firma labat, quamuis mens icta recenti
Vulnere, priuatis neque res te publica damnis,
Aut mœrore sinit longo tabescere, cui se
Credidit, altarumque incumbunt pondera rerum.
Quinetiam affectus teneros vetat illa propinquis
Diuidere, inque suos solidum te vindicat vsus.

Digitized by Google

Quæ poterat fraterna tui suspiria cordis
Elicuit pietas, & primis sensibus vltro
Indulsit natura; dolori cætera parce.
Hoc inuicta tui constantia pectoris, ipse
Exigit hoc frater cœli nunc aroe receptus,
Sequæ negat flendum, cui pulcrâm à morte coronam
Strenua calcaci dederit victoria mundi.

Vnicus ille tibi, fateor, germanus, & ambo
Insignes virtute, viam munîstis ad astra
Tramite non vno. regni quæ firma feruntur
Iustitia & pietas, eadem vestræque fuerunt
Fundamenta domus; tu custos iuris, at illi
Sorte datâ est pietas, quæ nunc post funera fratris
Tota tibi accrescit, diuisáque rursus in vno
Munera te coëunt. sedenim violentior ille
Certus vi cœlum rapere, & succensus amore
Numinis, Herculeiq; iter affectauit Olympo
Ærumnis. quamquam illecebris, æstúque inuenta
Iret in aduersum, varióque accenderet ignes
Fomite; nunc titulos, & opes, & inania rerum
Obiciens animo, nunc libertatis amorem.
Sponte sua secli tamen aspernatus honores
Patritius inuenis, blandi & retinacula mundi
Eluctatus abit. iam mollia corporis ille
Introrsum hirsutis permutat tegmina pannis;
Incedit pedibus nudis, & paupere cultu;
Gaudia tùm quæ sola Dei, ignotásque profanis
Delitias animæ gustat, ieiunia crebra,
Et vigiles noctes, duræque cubilia terræ,
Assiduásque preces, castigataque flagella

Digitized by Google

Carnis; & obsequij ne frœna iugúmqur facultas
Restet detrectare, sui quoque libera iura
Abdicat, & sancto eiurat mortalia voto.
O! quoties magni reuocarat cura parentis
Ardentem, solis indignantémque teneri
Illius imperiis; veniam quem sæpe volutus
Orabat genibus supplex; cui clara vocantis
Iussa Dei, sanctósque animi patefecerat æstus;
Hæc sineret se castra sequi, atque audire iubentem
Tanta Deum; Deus, & pater est, diuina potestas
Est patriâ maior, ius illi hanc cedere. quæ dum
Germanus rogat vsque tuus, grauitate verendus
Nec pietate parens minus, alto plurima versat
Pectore; nec (quamuis spes altera nominis angit
Decidua, & seræ requies hæc altera vitæ)
Ire Deum contra statuit. timor vltimus hæret
Ille animo, ne multa sui fiducia natum
Fallat inexpertum, maioráque viribus ausus
Deficiat, tantóque impar succumbat amori.
Verùm vbi diuinos iuueni increbescere motus
Sensit, & hæc decreta poli; tum frœna remittens,
I; fili, neque te teneo; neque dicta refello;
Te pietas, ait, & genitore potentior omni
Accersit Deus ille Deus; parere necesse est.
Sæpe recessurum chari retinere propinqui
Affectu cupiere, nouæque incommoda vitæ
Enumerant partim, & partim præsentia dona
Fortunæ ostendunt, & spes, & vota parentis,
Multáque vel fortes animos motura; sed ille
Tollit humo mentem, & surdâ præteruehit aure

Digitized by Google

Sirenum cantus, ac figit lumina cœlo.
His propè terdenos cursu fœliciter annos
Vidimus emensum castris, duresque labores
Ferre alacrem, nimbósque, æstusque, & frigora, proque
Numine, per medios ridentem incedere vepres.
Atque pati satis haud visum; spectatus agendo est,
Nec latuit viuens, orbi nec inutilis esse
Sustinuit, spretæ sim l exul & incola terræ.
Sæpe illum magnis populosa Lutetia templis
Audiit orantem, vitaque & voce docentem;
Dum pravos hominum mores & crimina celsus
Increpat, offensique adeo dum numinis iram
Intonat, arrectæ per muta silentia turbæ.
Nec vacuum quisquam, stadio nec vidit in illo
Cessantem, immunémque operum; si quæritur absens,
Aut vrbes alias, atque inuitantia replet
Pulpita municipum; aut diuina iacentibus ægris
Verba, animæ medicus, passim solantia portat;
Sanctáque virgineis interdum oracula septis
Prædicat, & purum inculcat virtutis amorem
Auia per nemorum & syluas, & vbique professis
Virginibúsq; virisque. sed & media impiger arma
Pace tulit, trepido non formidanda colono
Bella gerens; quoties consertâ ad prælia dextrâ,
Fœda refutauit praua mendacia secta,
Et refugos tandem maiorum ad sacra reuerti
Compulit, arguti præstrictos lumine veri,
Prostratósque adeo tanta sub mole; nec vllus
Romulidûm

Digitized by Google

Romulidûm plures seruato ciue coronas,
Sæpius aut meruit repetita tempora quercu
Præcingi, quàm qui æterno tot funere ciues
Eripuit frater tuus, & diro abstulit hosti,
Et mille errantes animas detraxit Auerno.
Sic meritum, longâ superûm clementia soluit
Militiâ; atque ipso qui nominis omine dudum
Immortalis erat, iam celsa vocatus in astra
Re fruitur fœlix, nec acuti incendia morbi,
Nec passus grauiora. suis ad sidera leni
Occasu transire Deus concedit, & æquum est
Difficilem vitam facili concludere morte.

Digitized by Google

LEONORA.

E Loquar an ſileam? ſed quæ tam diſsita terris
Barbaries, Franca ludibria neſciit aulæ?
Ille orbis quondam terror vagus, ille trophaeis
Gallus ad occaſum pariter ſpectatus & ortum,
Gens dominas exoſa colos, gens neſcia fœni
Fœmineas nuper vix eluctata catenas
Reſpirat. non ipſa ſuo ſe Marte ſuperba
Nobilitas poterat, muriſve incluſa tueri;
Deprenſos errore ſuo, cunctiſque carentes
Auxiliis, arctâ iamque obſidione pauentes
Mancipium fœdis Hethruſcum oppreſſerat armis:
Prætexens ſceleri Regem, dùm ſeminir altas
Spes coquit, & generis penitus faſtidia noſtri
Imbibit. ingenuos proceres non credit, auaris
Degeneres curis, quos iam patientia longi
Dedecoris, multo faciles corruperit auro.
Succeßúque tumens, populos ceu vilia calcat
Seruitia, inuertit mores & inania legum
Nomina, ſupremos queis viſum eſt mandat honores,
Eripit huic, ſanctas illi dat iuris habenas,
Moxque aliò transferre parat: ſeruire parati
Indecores genus omne ruunt: ſuſpecta receſsit
Integritas, & cana fides: nil gloria famæ
Longáve noſtrarum iuuat experientia rerum.
Quæritur obſequiis pronum caput, atque nouandis

Digitized by Google

In famulos translata nouos sunt munia rebus.
Hunc penes armorum vis est, & regia gazza,
Et iam claustra freti quâ Gallica littora lambit
Oceanus, validis muniminis occupat arces,
Hinc atq. hinc gemit iniecta sibi compede Neuster,
Inde iugum dubij metuunt ceruicibus Andes,
Gallicáque externis transcribi sceptra tyrannis
Fama canit. quamquam iam libertate repressa
Clauserat ora metus, cunctis per compita mortem
Terrificae ostentare cruces, nec vincula carcer
Sufficere, & strictae minitari in colla secures.
Hæc, ancilla potest? ô dij! ancillæve maritus?
Vernula quae teneris Reginae accreuit ab annis
Sordida natales, & cui patris ascia fabri
Membra prope exsucco formauerat ossea ligno,
Deformis macie & tetrici fuscedine vultus
Qualis de Phario saga huc inuecta Canopo:
At vafra ingenio curuos & subdola mores,
Regnantem regere affectat, regnóque potiri.
Illa animum facilem versans, & mite parentis
Reginae ingenium, tectis penetrabile pectus
Insidijs, agit incautam, sóláque nocentem
Credulitate facit: nec sat profecerat vllis
Fraudibus, in dominam magicas accingitur artes,
Vt penitus sub iura trahat: non murmura desunt
Arcano infernos cogentia carmine manes,
Totáque nocturnis vlulata suburbia sacris,
Implumis iussam dum ter circumuolat aram
Gallus, & excitae veniunt ad sacra sorores
De Styge, sanguineos implexae crinibus hydros.

Digitized by Google

Ex illo fluere & retro sublapsa referri
Gallorum virtus, sauâ excantante Megara,
Paulatim nostras ignauia soluere mentes,
Nosque indigna pati, dum qui generosior antè
Gallus erat, gallina fuit, quid cætera dicam?
Restabat sagam vt fiducia falleret artis,
Quæ puerum Regem, Dijs prospicientibus olim
Intactum magicis non senserat esse susurris.
Quamuis insidijs toties, totiésque petitum
Carminibus, vetitúmque graues assumere curas
Eripuit virtus animi pernicior annis,
Sanguis & herôas spirans ab origine sensus,
Et maior nullis prudentia prodita signis.
Ille repente mouens teneros ad iusta lacertos
Fulmina, terribili capitá obruit impia letho
Confessus Regem, cui se iam Gallia debet,
Aureáque inuictas lauro pax nexà coronas.

IN ORATIONEM DVVALLII auspicantis Cathedram Philosophicam.

DVM Rex laudatur tibi, dum Perronius aulæ
Gloria Romanæ, Francigenûmque decus;
Voce repercussis doctâ suggestibus, audit
Regalis Cathedræ fautor hic, ille dator.
Quòd facunda tibi, quòd regia cuncta, fit istud
Principis è Genio, præsulis ingenio.

Digitized by Google

Ad virum doctissimum GABRIELEM IVLIOTVM BVRGI ABBATEM,

HENDECASYLLABI.

IVLIOTE tibi magis Latinum
Detur Iulius Atticumve nomen
Aut Ἰούλιος aut ἴουλος, vt sis
Prima gratia flosque litterarum:
Quàm quod nunc patrij minus canorum
Accentu tibi terminatur oris.
Namque est ingenium simul Latino
Conditum tibi & Attico lepôre:
Nosti delitias & has & illas,
Gustastique sales & hos & illos,
Et mirum loqueris, sapisque mirum,
Plenus Socratici gregis, nec vllis
Dij tàm flexanimæ fluenta vocis,
Dij tam diues opum dedère pectus.
His me quò libuit velut catenis
Nolentem trahis & trahis volentem,
Et quamuis animus meus reclamet
Tuæ stare iubes opinioni:
Amor dum tibi militat, sequaci
Qui nos mutuus attinet capistro,
Quo tu & falleris, inuicemque fallor
Nil ausu tibi pernegare: namque

Digitized by Google

Affectus tibi cæcus est, measque
Nugas esse aliquid soles putare:
Et si quid mihi Phœbus audiendum
Limaque & studio dedit politum,
Olim quod procerum fauore, Franci
Aut plausu fuerit semel theatri
Exceptum. populo usa si secundo
Vna & altera prodiit Camœna,
Quæ lauros modo visa sit mereri,
Vel me iudice cusa non iniquo.
Credis forsitan vnius tenoris
Esse cætera, quæ meo reperta
Probro nominis hinc & hinc iacebant:
Quoquo tempore nata sint locove,
Quæcunque extuderit mihi coacto
Hæc, occasio. sunt molestiarum,
Ægritudinis & necessitatis
Hæc nimirum opera, ingeniique abortus
In fastidia nauseamque mersi,
Quos, per vim, vitiosus & negandi
Extrusit pudor impotens, stilusque
Perfunctorius, os & obsoletum
Protritum temerè sonante buccâ
Rogatoribus exspuit molestis:
Quæ nusquam, scio, legeras, sed vno
Quæ scripsi pede cuncta metienti
Offudit tenebras amicus error.
Ergo talia centies petenti
Heroi mihi plurimum verendo,
Cuius imperium preces habebant,

Digitized by Google

Aure quiuero restitisse surdâ!
Cordatus satis, at parum subactus
(Mouit hoc Nemesim) audiensve dicto
Cui me par erat & subesse totum,
Vel me si medio foro salire
Ipsum nil mihi credulum iuberet.
Necnon chalcographos idem rogantes
Annis lusero quinque sexve, stulti
Semper frigidus institor negôti,
Et laudum vacui fugax pericli,
Vt procos modo tot nihil moratus
Tibi succubuisse dicar vni!
Dum me hortatibus hinc & inde crebris
Versas, sollicitasque negligentem,
Coram plurima, litterisque sæpe
Inculcans, peregrè ac in vrbe, curam
Vltrò pollicitus tuam labori,
Vt quæras vaga multa colligasque,
Emendes, operisque gnauus instes:
Vnde relligio mihi negarè,
Contrà occasio nulla sit timere
Præli sollicitudines euntis,
Cogendique onus atque corrigendi,
Et quæ tædia deuorantur illic.
Dum verbis residem diu lacessis,
Totque affectibus & modis fatigas,
Annui fateor semel, maligni
Quamuis insidias dolosque fati
Sentirem, atque animum intus hoc vetantem.
Ergo materiam libri futuri

Digitized by Google

Si non fas erat, at fuit necesse
Compilantibus hinc & inde, faces,
Et conuerrere stercora, atque sordes,
Et sputa & vomitus latinitatis,
Excrementa animique crudioris.
Adde fragmina, putridosque pannos,
Centones quoque mille frustulorum
Mihi ex tempore perperamque sartos,
Mendicabula queis nec ostiatim
Vti errantia velle deierares:
Æquum qua puerilibus fuisset
Emissa vsibus illicò perire.
Stultus intercà mihi sedenti
Enatus liber est & otioso,
Plura prodigia atque monstra portans
Quàm fert Africa fortè, continetve
Vno Iulius Obsequens libello:
Qui tamen dominum ac patrem cière,
Necnon me vade se volet tueri,
Insanum licet improbante factum.
Frustrà cur aliena sit voluntas
Iam crimen mihi proprium requiro:
Lusum de corio tuo est, vetare
(Aiunt) hoc sine fine debuisti.
Sed quando tibi sum obsecutus vni,
Seu nostri fuit illa vis amoris,
Seu facundia qua vales, agisque,
Virtusque imperiosa me coëgit
Hoc concedere: proque Iulioto
Dictator mihi Iulius fuisti.

Digitized by Google

Si cui Iulius Obſequens videbor
Librum prodigiis habens refertum:
Nomen hoc, age, partiamur ambo
Et culpam quoque diuidamus iſtam,
Sorte nominis in duas dirempti
Partes, ſcilicet æqua iudicante.
Certè ſi dabit hæc vtrîque noſtrum
Id quod conuenit, idque quod meremur
Eris Iulius: Obſequens vocabor.

DE PIETATIS ET ANTIquitatis operibus à M. I. le Vaſſeur Doct. Theol. Decano Nouiomenſi editis & edendis.

INclyta Palladiis quæ nos Academia caſtris
Vaſſori, Latiæ tenuit ſimul arma ſecutos
Militiæ, tibi me iubet hoc extundere carmen:
Quamuis officij ſegnem, multisque negantem
Feſſo animo tales & fracto corpore curas:
Vſqueadeo viuis calcaribus vrget amorem
Vita operum conſors, eademque ad ſigna mereri.
Sed te dum patriæ diuino concitus œſtro
Exercet labor hiſtoriæ, ſacrumque volumen:
Cedere præteritos ſine me paulisper in annos,
Et noſtrùm ſudata vtrique reuoluere bella,
Annalesque tuæ breuiter decurrere vitæ.
Tu me veniſti prior has in luminis oras,

Digitized by Google

Ni fallor, dubioque oculis es grandior æuo:
Sed vegetum pectus, firmæque in corpore vires
Longa tibi laxis promittunt tempora metis,
Dum patriam exornas sacra dux ipse cohortis,
Dum te nulla dies cessare in vota precesque,
Nullaque nox doctis te sentit abesse lucernis,
Postera victuras meditantem in sæcula chartas.
Prima tui dotes experta Aurelia quondam
Ingenij, largoque exundans flumine pectus
Miratus Liger, & timuit doluitque relinqui.
Nam tibi maiores adeunda Lutetia lauros
Cordato, meritisque tuis Sorbona parabat
Præmia, post acres in docto pulvere luctas
Doctrinam cultumque animi tibi plurima debet
Nobilitas, numeratque tuos Academia fasces.
Ergo Iouis pagiles veluti cum laude redibant
Ad sua victores disiectis oppida muris,
Vrbs dum quæque sui se robore iactat alumni:
Sic patria excepit reducem, gratique dederunt
Vt summo legerêre loco, suffragia ciues.
Iamq; suum caput, & validum munimen honorat
Ordo sacer, te supremis dignatus habenis.
Quod si, quam longa reuocas ab origine nobis
Te Nouioduni primæua Ecclesia nosset,
Ipse tuis iam nunc pars magna Annalibus esses;
Cumque alios dicas, aliis dicendus & olim
Augebis patrios ingenti nomine fastos.
Nondum sexta mihi est & quinquagesima messis
Transacta, immanesque dolores inter & æstus,
(Sic visum Superis) Parcarum immitia dudum

Pensa moror, quamq; huic vitæ præferre iuuaret,
Inque sinu gesto, non sit mihi copia mortis.
Viue diu fœlix nostri non immemor, & quas
Complexus puer es, non obliuiscere Musas;
Quamuis qua polles diuina scientia, cœlum
Atque Deum rimata, infra se deserat artes
Exiles, tamen inde tibi facundia creuit
Diues, & illa sophis scribendi sæpe negata
Vis rudibus, quâ nunc serum transmittis in æuum
Annales, nomenque tuum super æthera tollis.
Sic tibi quos patriæ debes, debebit & ipsa
Natales, & cùm sit idem parere atque perire
Matribus, infœlix quas partus sæpe trucîdat,
Illa tui solo dicet se viuere partu.

Digitized by Google

LIBELLVS SVPPLEX, siue POETA CREDITOR.

SVpplicibus procerum frigêre ad limina chartis
Infœlix Musas pecus, & trepidare repulsam:
Esse Iouem iratum, miserisque inimica poëtis
Numina, Mœonias & mendicasse Camœnas,
Omnibus auditum est. Qua tanta audacia vatem
Impulit, innatum generi nescire timorem?
Appellare deos, & grandia nomina regum,
Et formidatas irrumpere gentibus aulas?
Quisquis is est, iræ propior, propiorque dolori,
Atque metus expers, quia non indebita poscit,
It fidens, etiamque procax vt creditor intrat.
RICHELIVS *sacri decus immortale senatus,*
Par animus sceptris, Musæ nunc orsa rogantis
Audiet, & iustas his principis imbuet aures.
Vt non sæua velint ditescere fata poëtas,
At melior fatis saltem Rex nolit in ære
Esse poëtarum, & sortem leuet ipse malignam.
Si non æternus nequicquam huic sudat Apollo,
Deuictusque orbis, tantarum & gloria rerum,
Insignem toto vatem conducere mundo
Tempus, ait: domitas Regi qui personet Alpes,
Qui canat Oceani constrictas obice fauces,

Digitized by Google

Neptunumque suo vetitum succedere portu
Auxilia obsessis frustraque alimenta parantem:
Exclusi inclusos cùm mœsti è classe Britanni
Adspicerent, vrbemque capi: nihil vsque suorum
Moriibus effectum, queis nuper & insula penè
Capta, per ingentes extorta est stragis aceruos.
Vt non hic steterit Mauors, metasve laborum
Fixerit. infestâ nam vix respirat ab Arcto
Gallia, cùm nostras infœlix Mantua dextras
Implorat. longo, grauis hæc prouincia, bello
Iam fessis, insessi aditus, ingentia claustra
Italiæ, medioque fides haud principe tuta est,
Qui struet insidias vafer, & pro tempore finget.
Vix tamen adspexit victricia territus arma,
Inuitus dat iter, prima & decedit ab Alpe.
Hinc sparsus terror vallatum liberat hoste
Casalium, fugit omnis Iber, dédique propinquam
Inuicto miles frumenta importat in vrbem
Præsidio. hic Regem lætis super æthera vectum
Vocibus Ausoniæ, nomen titulosque ferentem
Vindicis Hesperia in tota, ciuilia rursus
Bella domũ reuocant. Rhodani trans flumina namq;
Montium inaccessis retrò stabulata cauernis,
Attollit caput, & concisa renascitur Hydra,
Cautibus abruptis, genio & confisa locorum:
Pestifero veniens etiam quam flauus ab Austro
Nimbus alit. dumq; hæ generosa incœpta moratur
Relliquiæ, Hispanis iterum præcingitur armis
Casalium. tum cui proauito admurmurat amne
Mincius, hostili se clausum indagine sentit,

Digitized by Google

Sideris infausti princeps, cui Cæsaris ira
Quod punire velit solâ est in origine crimen.
Terrarum domini tres, certam haud fœdere iusto
Vnius in miseri conspirauêre ruinam:
Concordes odio nostri, quos vnus & omnem
Sustinet Europam Gallus. nec prouida magni
Richelij quamuis hærens fortuna fefellit
Consilia. vnius tanto est solertia rerum
Par oneri. Rex auspicia huc Dinosque secundos
Attulit, hic curas atque altæ robora mentis.
Germanas aquilas infirmo hærere volatu
Eridani ad ripas, Hispana senescere ductu
Famosi Liguris tandem quoque vidimus arma.
Ille suæ mœrens nihil ostentasse superbum
Italiæ, fœlix bella in longinquâ, domique
Extremo vitæ velut actu inglorius, vltrò
Despondítque animum, rerúmque reliquit habenas.
At senior dux Allobrogum, fax vnica belli,
Consiliúmque suum serò & tot iacta malorum
Semina, maturaque etiam irrequieta senectæ
Tempora, damnauit reputans: exutus auitâ
Penè iterum ditione miser: mox corpore in ægro
Allobrogis Ligurísque, ægrâ quoque mente, duorum
Cum gemitu fugit vita indignata sub vmbras.
Ergo sub Autumnum, longa obsidione moratus
Cessit Iber, postquàm propiora admouimus vrbi
Castra laboranti, quadrataque impete certo
Processere acies, nec detrectare potestas
Prælia; non, maior, numero, non, aggere tutus
Terrifici speciem tulit agminis, ocyus vrbem

Digitized by Google

Linquere penè suam maulit quàm cernere ferro.
Siue metum toties nostrorum cognita virtus
Incussit, quos nec montes nec flumina tardant:
Siue per ancipitem segnis prudentia martem
Ire negat, quod par non est discrimen vtrisque,
Non æqua est ratio, dubioque hæc alea secum
Insubres trahit euentu, suspectáque magni
RICHELII *cunctis veniunt nunc gentibus ausa.*
Quæ non impatiens vinci iamque ipsa timere
Vel fortuna queat, tanta est vis pectoris alti!
Quòd si præterea duo tales nostra tulisset
Terra viros, veteris domini sub iura rediret
Cantaber, & versis lugèret Iberia fatis.
Pollice libantem parco fastigia rerum
Quas nostra est mirata, sequens mirabitur ætas,
Plurima prætereunt. grandi meruere cothurno
Ista cani: vimque & Patauinæ lumina poscit
Historiæ, tanti series operosa laboris.
Sed cum funesti placidos vicinia belli
Excierit pariter Venetos, guttásque cruentus
Iam Padus Adriacis rubras adsperserit vndis;
Facundi quondam tractus vtrimque silebunt
Ingenia in casu patriæ; non Liuius alter
Surget ab Euganeis, nec desolata Maronem
Mantua sufficiet. quem vel fortuna vel ætas
Exæquat magno, Regem sua Gallia vatum
Scriptorúmque ferax, etiam virtute priorem
Dicet Alexandro, externi nihil indiga cœli.
Hoc quoque Pellæus minor est, quòd cætera fœlix,
Aonidum penitus sterili regnauerit ano.

Digitized by Google

Quamuis antiqui manes veneratus Homeri,
Pergamáque insistens tanto præcone beatum
Dixerit Æacidem, claris immensa daturus
Præmia, vel totas vrbes vel regna poëtis,
(Munifico si dignum animo quid secla tulissent)
Non tamen inuenit vatem qui Bactra vel Indos,
Conciperétve altum sublimi pectore Gangem.
Vnus erat, gratum quem tum penuria fecit
Cœrilus. at genere hoc iam non est vilius vllum
In terris, nimio pretium quia copia tollit
Prouentu, indoctique placet sibi sæpius author
Carminis, & toti malesanum sinciput addit
Contemptum generi, vacuóque haud parua laborat
Pars cerebro: infœlix ars tandem nomine solo
Ridiculos homines fecit. iam præmia nullus
Expectet, sat erit nec damna manere poëtam.
RICHELIVM *magnis belli pacísque verendum*
Artibus, & validis infractum Atlanta ferentem
Res Europæ humeris, vltrò si debitor ausit
Compellare suus, O præstantissime, dicet,
Herôum, vani quondam dixere poëtam
Istum pastores: sed nusquam credulus illis,
Creditor est æris. postquàm hunc in luminis oras
Sors non eduxit bona, percussitque maligno
Nascentem adspectu Saturni inamabile sidus,
Et sæuos animo passurum & corpore manes.
Non potuit miles in regia tendere castra
Te duce, nec duros pro relligione labores,
Atque hiemem solemque pati, inuiditque nouerca
Et causas agere, & succis depellere morbos

Digitized by Google

Pæoniis natura, inque ipso ignobilis vmbræ
Puluere, perpetui partes implere magistri.
Quæ super vna fuit castrensis summa peculi
Exigua, & miseræ spatia in properata senectæ
Seposita, accenso non sat bene credita bello.
Cùm tonitru Albani quateret Rex mœnia montis
Horrifico, deessentque sua hîc legionibus æra:
Publica regalis fidei instrumenta secutus,
Communem cunctis acceßit ciuibus aram,
Legitimis fidens tabulis, & nomina fecit:
Oppositúmque salis, Neptuno prædę, recepit
Vectigal. sedenim ventosæ inscripta procellæ
Pignora nunc, & penè fide nutantia fluxâ
Suspensos terrent animos, nec tendere contra est.
Curia nulla, forum nullum est, vbi sistere reges
Detur, & vsuram sortémque impune negarit
Debitor ac iudex idem: Themis aßidet illi
Quæ rata cuncta iubet, tulerit quæcunq. voluntas.
Ius tamen æternum est. habet ingens fama tribunal,
Quò rapitur vestrum nomen, seclisque futuris
Pactorum immemores, & causam dicitis orbi.
RICHELIO *sed non fient hæc Consule, tecum*
Communes regni noster partitur habenas
Augustus, tantoque à Rege secunda potestas
Incedis, tibi perpetuos sapientia fasces
Vna dedit, lictorque vno tibi longius anno
Coget adorantes virgâ decedere turbas.
RICHELIO *incolumi mare vectigalia reddet,*
Cui iam regna salis parent, atque æquore toto
Neptunus proprij conceßit iura tridentis.

Digitized by Google

In latus Arctôum sua subditus ostia pandit
Sequana, & Armoricis iadudum in portubus ingens
Instruitur classis, socio quæ fœnore posthac
Gallica per totum commercia proferat orbem.
Inuentum res illa tuum, namque arua beata
Sortiti patriæ & fœlices vbere glebas,
Hactenus externis compendia quærere terris
Spreuimus in commune, necvt, Cereremq. malignam
Hispanus, sterilésque soli pertæsus arenas,
Ieiunam incertis vitam commisimus vndis:
Nec maria emensos per mille pericula fluuiq
Montibus, infossóque fames nos appulit auro.
Si quando libuit maioribus ire per altum,
Auroræ populos visendi sola voluptas,
Atque peragrati quæsita est gloria mundi.
Hac etiam nostræ nec parte industria gentis
Cessabit, numero naues æqüamus Iberas,
Implentur ratibus portus in vtrumque paratis.
Si pax Europam tranquilla afflauerit aurâ,
Remigio dites alacri lustrabimus Indos:
Sin super ambiguo moueat certamina Mauors
Imperio, armatum sternemus classibus æquor.
Quoque animum multa spe lactet creditor, ipsa
Iacopolis tua iussa facit, quæ sola vel omne
Præstet inexhausto salis æs & nomina fundo.
Santonicíque vrbes tot littoris, illa iacentes
In terram defixa oculos Rupella, solóque
Consiliis æquata tuis: tibi maximus vnde
Famæ viuet honos in postera secla, nec alter
Maius ab euersâ tulerit Carthagine nomen

Digitized by Google

Scipiades, captâ nec plus sibi Græcia Troiâ
Plauserit, æternos quam nunc tibi mater honores
Gallia, & excisæ præconia concinit Hydræ,
Relligióque asserta suum te iactat Achillem.
O! quantis terras & amicum obstrinxeris olim
Muneribus cœlum, namque & de sedibus illa
Æthereis illapsa tuæ sapientia menti
Non aris per te propriis, non æde carebit.
Sorbonæ, huic, mediis habitanda palatia tectis
Exstruis, vt princeps, illâ se iactet in aulâ
Laxior, haud luxuve fluens, aut freta caducis
Rebus, & insani captans spectacula vulgi.
Sed pompa procul, vt nostris imperuia regna
Sensibus, & solos animarum cogitet orbes
Monstret iter cœlo, vitæ & speranda futuræ
Præmia, & arcani reseret penetralia mundi.
Gratia promeritis tibi si responderit impar,
Obrutus ære tuo si conturbauerit orbis:
At memores fasti, & tua terris didita fama
Te longum, cœlóque manet certissima merces,
Quo redeas Pyliis vtinam tu serius annis.
Pro te multa dæos, hoc te sed creditor vnum
Anxius orabit, sibi nomina facta valere
Des salis, insulsumque vetes putrescere vatem.

Digitized by Google

V. C. ÆGIDII FORTINI In Senatu dum vixit patroni EPITAPHIVM.

Consultus patrij iuris, patronus vtroque
Egisti Fortine foro sub iudice causas.
Nunc vitæ post lustra decem sine labe peractæ,
Æthereos fœlix terris procul incolis orbes
Solaque fama tui superest, hominiumque per ora
Viuis, inextinctos post funera nactus honores
Integritate tua, qua nunc decus inseris astris:
Ingenij seros etiam monumenta nepotes
Vrbano iuri ius municipale iuuabit
Collatum, in multam vigilata volumina noctem.
At desiderium nobis, lachrymasque relinquis,
Sollicitatque tui miseros iactura clientes:
Ipsa homines exosa Themis cœlóque recepta,
Te tenet, & magni stas iudicis ante tribunal
Impauidus, fruerisque tua pietate deoque
Impia corrupti fugiens contagia secli.

Ponebat bene merenti socero ANDRÆAS LE GRAND Quæstor.

Digitized by Google

PIIS MANIBVS V.C. IACOBI LE GRAND Proprætoris Sandionysij.

MAgne iaces Dionysiacis lugende colonis,
Et natis lugende tuis: vtrique parentem
Præcipiti raptum Parcarum sorte queruntur.
Nam seu naturâ dederas, seu legibus æquis
Seruaras, vitam tibi se debere fatentur:
Et paribus mœsti contingunt astra querelis,
Orbam patre domum nati, tutore carentem
Suspirant ciues patriam, quæ iudice tali
Pene quaterdenos fœlix exegerat annos:
Dum dignum maiore foro te sæpe Senatus
Comprobat, & patribus sententia nulla seueris
Irrita quam tuleras, aut victi sponte quiescunt.
Vsque adeo iustâ populis discrimina librâ
Æquasti: charus plebi, non laude carebas
Principibus placuisse viris, verusque per omnes
Fortunas tibi creuit amor, dum candida virtus
Et pietas summis hominum te iungit & imis,
Vix tria cum denis non pigra lustra senectæ
Emensus raperis. grauis est iniuria fati,
Quem superesse velint homines, hunc reddere cœlo.

Obiit an. sal. 1612. die Apr. 22. cui vxor & liberi ingentis desiderij ac mœroris testimonia hæc posuere.

Digitized by Google

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM
MATTHÆVM MOLE
ſacri Conſiſtorij Comitem, & Regis
Chriſtianiſſ. Procur. Catholicum.

Falſa moneta & malum nomen,
ſiue
Poëta debitor.

ASTRÆÆ procerum lumen, qui iura tueris
Regia, cuius auos patremq. exempla Catonum
Æmula, mirantes oculi vidêre Senatus.
Ecce ſubit memori toties tua nota poëtæ
Gratia, tam faciles aditus, vultuque voluntas
Obuia munifico, non dedignata mereri
Immeritum, & duræ lenire incommoda ſortis.
Vnde mihi tantum cumulato fœnore nomen
Expediam? debere ſciunt non ſoluere vates.
Non me præteritæ multa experientia vitæ,
Non mores hominum fallunt, non denique leges
Naturæ, & cunctis pene icta hæc fœdera rebus,
Vt conſtare vices inter ſe muneris optent:
Mutuaque humani generis conſortia iungat
Vtilitas, tacitoque velint benefacta rependi
Contractu, quis enim longum infœlicia vertet
Iugera? cui ſteritis fundi cultura placebit?
Sed tua penſari vicibus fortuna recuſat,

Digitized by Google

Fortunáque animus maior: mihi nulla facultas
Officiis tecum paribus certare merendo,
Obsequiis contentus eris. tua sæpe fatebor
Munera defensus, sed reddere posse negabo.
Qui mihi se munem statuit præstare, necesse est
Faxit idem, cassis ac si quis lumine, fundat
Sponte, reuersuri nunquam, libamina, doni.
Muneribus sedenim meritis & talibus, heros,
Exiguum dicis pretium, si carmina tantùm
Exigor, & non me nexu, non compede durus
Creditor abducis vinctum: nec dignus habebor
Libertate data quæ toto est carior auro
Excidere, ingratiúsque in prisca ergastula mitti.
Iampridem resides calamos artémque Camœnæ
Detrecto, non mens eadem est, & serior ætas,
Auctior & nono mihi quinquagesimus anno
Annus, ad extremæ festinat tempora metæ.
Si tamen exili tibi nos hac arte iubebis
Ire satisfactum: quamuis & scribere versus
Et saltare senem pudor est, accingor ad ista
Imperia, atque tuo placet hæc insania nutu.
Non ita conuentis grauis intercedere censor
Plurimus, & iustæ deerit dens rodere certus
Inuidiæ. quem diuinæ traducere vitam
Immersum studiis sophiæ, cœlúmque decebat
Sectari, Graios Latiósque euoluere patres,
Affari populum, Scripturæ interprete fungi,
Aut ad propositos oracula fundere casus:
Quorsum nunc vanis postponere seria nugis?
Seu liuore mihi hæc, seu recta monentis amici

Digitized by Google

Consilio, quánam ratione obiecta refellam?
Omnis in obsequio superest fiducia, si non
Quod tibi debemus, sed quod modo possumus vnum
Exigis, & gratæ mentis sat voce redemptus
Nil tuus vlterius quærit fauor. attamen oris
Non est ipsa metus expers industria nostri,
Soluendo nec erit. tu qui suffragia Regis
Vnus habes tota Themidis ditione, leuásque
Vel premis ingenti cunctas examine noxas:
Quem penes addentem celso sua pondera iuri
Stringere sanctarum laxare & vincula legum:
Implorare tuum sine me in discrimine tanto
Præsidium: quia nunc falsæ capitale monetæ
Carmina crimen habent, vsque iacentia nullo
Prodesse humanæ nihil ad commercia vitæ
Accusata timent, magnæ ceu conscia culpæ,
Damna rei latura, reum factura poëtam.
Non tamen vt versus cudenti protinus adsit
Carnificis vultus, crux, ferreus vncus, & ensis:
Qualia corrupti deprensos crimine nummi
Supplicia exercent fabros, qui corpora cæsa
Et sontes animas Sampaulli ad compita linquunt.
Sed vates, quoniam cerebro peccare videntur,
Damnatos capitis miseram producere vitam
Est licitum: satis ipsa suo punita furore
Ingenia, illorum nec digna est morte voluntas.
Ast opera, vt falsis impressa numismata signis
Sunt explosa foro, vitáque vetantur in omni
Haud licet in commune nocentia: læditur vnus
Author, & accepti debet ludibria damni.

Nec

Digitized by Google

Nec refert primóne gradu numeretur, an imo,
Namque genus totum traducitur: esse poëtam
Est satis, atque omnes vno ordine habentur Achiui:
Et cuicunque datum est excellere, nomen id illi
Clarius, atque bonæ quædam est infamia famæ.
Iurganti quoties balatroni, cætera postquam
Fuderat exhaustis inimico opprobria plaustris,
Huius si generis foret, appellare poëtam
Succurrit! tum qua non est iniuria maior
Contentus, satis & stomacho fecisse tumenti,
Irarum atque odij plenè satiatus abîbat!
Quæ mala sũt hominũ cõmunia, queisq; vel omnis
Ætas & sexus pro conditione laborat
Humana vitiis, siue hæc nascentibus astra,
Seu natis fortuna dedit, seu denique mores,
Propria iam vatum fiunt, si forsan in illis
Occurrant; amor, ebrietas, dementia, morbus,
Paupertas, & quæ nostra, infortunia, vita
Mille trahit secum. qui cœperit edere versus
Esse miser caneat. cur hic eget? esse poëtam
Ignoras. cur insanit? præcordia vatum
Sic vecors agitat furor. vnde libidine victus
Rem patris oblimat? nescit modus esse poëtis
In Venerem pronis. cur ebrius? omnibus istud
Vatibus est vitium: poti vinóquo calentis
Expectes carmen, nisi tali percitus œstro
Non dabit. vnde sibi variis est moribus iste
Tam discors? sensus communis deserit omnes
Id genus, estque leuis constantia rara poëta.
Mortales reliquos, hæc aut si talia peccent

Digitized by Google

Naturæ fragilis lapsu, excusamus; at vni
Cuncta poëtarum peccata adscribimus arti:
Et miseros, nullis miserantibus, esse iubemus,
Delectu infaustæ malesanos artis & vsu,
Quos infesta petit fortuna forisque domique,
Et solos hominum vix ad communia iura
Admissos, vno consensu respuit orbis,
Et coniurati premit inclementia cœli.
Nec faciles homines, exorti sydere Lævo
Nec faciles habuêre deos. vix parta tueri
Concessum: quæ si retinent repetúntve coacti
Litibus, inque foro iure experiuntur vtroque,
Cognitor his cessat piger, aut bona caussa malignâ
Sæpe morâ, & tricis & curuo proditur astu.
Multa aduersa domi, seruus solertior æquo
Aut capit aut carpit nummos, atque imminet arcæ.
Vix patria agnoscit ciues. peregréque profectis
Publica cùm fessis ad diuersoria ventum est
Hospes inhumanè respondet, & hospita multum
Argentum emungit, plurisque his omnia constant
Quàm reliquis. quocunq; loco, quocunq; sub axe
Versetur, res est prædæ opportuna, poëta,
Et sentina malis. auidi fratérque sororque
Circumstant, paruámq; moram non sustinet hæres.
Tum quoniam plures simulatæ gaudia laudis
Deiciunt mente, & ridendos sæpe propinant:
Multus adulator fatuo quoque fascinat aurem
Intentus rutilas pauoni vellere plumas.

Fortè Menippæus super Icarus astra volabat:
Iam Lunæ conuexa tenens, sublime leuatur

Digitized by Google

Mobilibus gyris, aquilarum & præpete penna
Transcendit medios cœli septemplicis orbes,
Saturnúmque stetit supra, quem fata vetusti
Excidere imperio mundi voluêre, iacetque
Tempore iam ex illo, supremæ obnoxius aulæ
Legibus, impulsæque agitur vertigine molis,
Paret & inuitus, nec primi oblitus honoris
Progreditur lentè & contrà vestigia torquet.
Dúmque hîc humanis audax nimis omnia lustrat
Icarus haud cernenda oculis, penetrátque futura,
Quæ fortuna manet populos, vel regna, vel vrbes:
Inter totiúsque negotia publica mundi,
Et quæ priuatæ veniebant ordine sortes,
Fatorum in tabulis incisa adàmante perenni
Lex fuit hæc. Cuicunq; dabit sors esse poëtæ,
Indigus, exhæres, atque intestabilis esto.
Icarus obstupuit visu, & bis térque relègit
Vix oculis credens. extemplo cogitat axes
Linquere, & incautos legis moniturus amicos
Fatalis, simul & tanti temerarius ausi
Formidans pœnam; rursus se librat ab alto
In terras, celerique allapsus nota volatu
Culmina Parnethis, doctásque reuisit Athenas.
Audiit hæc toto Cynicum vulgasse Lycæo
Et sophiam spretis amplexa est Græcia Musis.
Verior hac stulti superest noua fabula vulgi,
Quique diu tota rumor iactatus in vrbe est,
Sparsus ad extremas & regni euanuit oras.
Angusta ad Luparæ latus est via, præbuit ales
Excubitor nomen: mystis orantibus illic

Digitized by Google

Iam noua delubri cœlo se culmina tollunt,
Atque Deo sancta famulantur in æde ministri
Addicti sacris pariter iuuenésque senésque,
Quos pectus pietatis amans, ac sola voluntas
Misit adoratum, voti omnis libera, numen.
Has etiam (quis non stupeat?) peruenit ad aras
Ridiculum plebis commenta licentia crimen.
Esse patres falsæ queis millia cusa monetæ
Multa latent intus: Hispanis dolia nummis
In templo, subtérque caui fundamina muri
Plena tegi, quos sese homines impune putarunt
Vt non suspecto tutos fabricare recessu:
Iam captos septémque inclusos arce sodales
Seruari pœnis. stolidi hæc pars maxima vulgi
Cerdonum proceres, & nauta & baiulus omnis
Credidit, & digito monstratus in vrbe sacerdos
De grege, perpessúsque imæ conuicia fæcis.
Diuinare libet quid causam præbuit isti
Rumori, numquid mentes deceperit error
Ambiguæ vocis, multisque imponere forsan
Contigerit, tota quod nemo nesciit vrbe.
Isthic esse aliquem nimirum, pondere nullo
Percussúmque rudi carmen triuiale monetâ
Qui daret, & nodos alieni hoc solueret æris.
Si verum est, nostros narrauit fabula mores,
Et mala pro falsis accepit carmina nummis.
Ite leues fumi coctores, ite poëtæ
Vestráque principibus solitos iactantia ventos
Venditet, audentérque operas obtrudat inanes:
Æternum herôas non & sine carmine vestro

Digitized by Google

Dicite victuros. ipsi pars mortua mundi
(Quid magis absurdum est?) aliis promittitis æuum.
Non mihi si magni quatiat cor thyrsus Homeri,
Nectat odoratam capiti vel Mantua laurum,
Talia pollicear. debent heroïbus omne
Ingenium vates, non famam vatibus illi.
Ingenio si res alto deest digna cothurno,
Hæret ad obscuras perituram ignobile sordes,
Sicut aquæ medio quam destituere profundo
Subsidit ratis & cumulis illidit arenæ.
Grande togæ Themidisq; decus, quo sospite visunt
Numina corruptas nondum linquentia terras,
Et mihi, diuino si quidquam spiritus olim
Audeat impulsu, tua præstantissima virtus
Argumenta dabit, magnos in carmina vati
Sufficies animos, altæque assurget honori
Materiæ stylus, & rebus vis insita crescet.
Tu censor, legum vindex, idémque tremendus
Flagitiis scopulus, ius implorantibus ara.
Tu doctas artes primæ sudata iuuentæ
Munia amas fautor, curaque amplecteris omni.
Agnouit fidum Rex pectus, & arma togatæ
Militiæ tanto tractantem robore mentis
Non expectato decoratum munere donat,
Et sperare sui documentum maius amoris
Te iubet. hoc longum fruere, incolumique vigore
Et virtute tua, & fœlicibus vtere fatis,
Atque faue, qui se non liberat, ista precanti.
Congeries alios alieni terreat æris,
Plus tibi debebo, plus me ditescere credam.

Digitized by Google

Ad illustrissimum virum
I. IACOBVM MEMMIVM
Regi à Secretioribus Consiliis, &c.

In Græcolatinam Sexti Empirici editionem præfatio.

NON erit, I. IACOBE MEMMI, quod ad conspectum philosophi huius inclames:

Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?

Idem enim ipse est Sextus, qui ab hinc ferè sexaginta annis ad Patrem tuum clarissimæ memoriæ virum, cultu non suo, & vix de facie agnoscendus venit, à quo tamen tam humaniter exceptus est, quàm & eius notæ philosophum decuit & illius dignitatis virum, qui ea tempestate non ipse solùm omnis politioris litteraturæ princeps, sed ingeniorũ etiam fautor eximius & erat & habebatur. Iam verò tanto interuallo, quasi euoluto magno Platonis anno, (quo exacto ferunt omnia priora ab initio redire, atque pristinum ordinem habere) omnia quoque ferè eadem isthic recurrere videmus, Sextum philosophum longa temporum intercapedine velut postli-

Digitized by Google

minio redeuntem, ad te ſcilicet Errici illius Memmij parentis tui non magis nominis quàm virtutum hæredem, vt qui cum tota gente, toto nomine veſtro hoſpitalitatis iura contraxerit. Et quidem vt cætera familiæ veſtræ decora prætermittam, toties nauatam dubiis Reipublicæ temporibus operam, obitas legationes, compoſitas Principum diſcordias, confectas paces, tuas nuper itiones & reditiones vt orientis pluſquam ciuilis flammæ incendium reſtingueretur: neque enim potuit ——*hæc Memmi clara propago*
Talibus in rebus communi deeſſe ſaluti.
vt Lucretianum illud obiter emolliam. Citra hæc, inquam, peculiaris veſtræ domus laus eſt arctius complecti literas, veterémque cum eis neceſſitudinem profiteri, neque ideo inter poſtremos nobilitatis veſtræ titulos fumoſaſq. imagines ponendum duxerim, quod iam omnes libri, omnia doctorum virorum monumenta, omneſque adeo Bibliothecæ Memmiano nomine ac laudibus circumſonent; Etſi enim vitio ſæculi litteræ nunc demùm paſſim euiluerint, nulli tamen eas aſpernantur niſi qui nõ capiunt; tuus quippe filius maximi Senatus maximus præſes luculentum hominibus noſtris teſtimonium præbet, quanto magnæ fortunæ ornamento ac ſubſidio illæ ſint, cùm earum præſidio fretus, toties de grauiſſimis rebus pro tribunali, in

Digitized by Google

Curia, in foro, in sacro Regis consistorio, ad principes externos, ad attonitos & mirantes proceres disseruerit; ac ne quid tibi ad summam felicitatem desit, duos alios filios Senatores per tua & auorum vestigia strenuè incedentes conspicis, quibus gentilitiæ dotes, & illa insita generi vestro ingeniorum vis ac facultas abundè suppetit. Ad te igitur Sextus depositâ iam personâ & natiuâ facie conspiciendus, proprióque sermone audiendus denuò accedit, vt vnde initium famæ accepit, ibidem quoque in vestri nominis clientela conquiescat. Tuum erit paternam hæreditatem cernere, & hunc authorem in domestico velut instrumento ac suppellectile computare, eo quidem meliori sorte, quod cùm cætera tempore deterantur, vsuque obsoleta fiant, huic contrà post vndesexaginta annos facta sit pretij & nitoris accessio, quique aliquam capitis minutionem passus fuerat, nunc in integrum, suisque (vt ita loquar) natalibus sit restitutus. Commoda illi tantùm, aut potius commodatam iam olim tui dominij authoritatem ratam habe, vt in quascunque manus venerit, non suis modo meritis, quæ sunt eximia, sed tua etiam commendatione fiat acceptior. Lutetiæ Parisiorum, Kalend. Maij, Anno M. DC. XXI.

Digitized by Google

V. C.

IOANNI LVDOVICO BALZACIO,

NICOLAVS BORBONIVS

S. D.

IAMDVDVM cogitantem ad te dare litteras (Vir clarissime) & eas quidem sermone patrio ac populari, sola me tuarum, adeóque omnium scriptorum quæ vernaculâ linguâ in lucem emisisti, contemplatio deterruit. Et si enim studebam duntaxat pro nostra vetere amicitia, tibi testari animum meum, significare voluntatem, & gloriam nominis tui crescentem gratulari: verebar tamen ne deterrima nostrarum litterarum apud nonnullos comparatione, intenta mihi amoris & officij gratia periret, nec quicquam prodesset quod minimè tecum paria facere vellem, quodque ad incuriæ meæ patrocinium persuasum semper habuissem, epistolis negligentiam esse pro cultu. Ecce verò cunctatio

Digitized by Google

ista maius mihi periculum eo quod euitatum cupiebam, attulit, cùm tu me inani metu hærentem latinâ epistolâ omnis elegantiæ plena occupasti, quasi non vno laudis genere contentus, iis etiam armis quæ magis propria mihi videri possent, me oppugnatũ venires. Itaque licèt amico & innocenti animo in grauem me dimicationem vocas, cui iampridem à libris & litteris malè feriato omnis latini sermonis vena exaruit. Iniectâ siquidem respondendi necessitate, situ & veterno squallentem calami operam mihi extorques, vt ad extremum ridendus peccem, & non solùm te, qui verè stili nasum condidisti, sed me ipsoquoque, hoc est homine omnium infimo videar inferior. Quia tamen mihi nullũ tecum est nisi affectus ac beneuolentiæ certamen, malo me aliquis omnis litteraturæ rescribendo, quàm ciuilitatis oblitum silendo arguat. Et alioqui carere laude pro minimo mihi ducendum est, homini scilicet malis humana fide atque patientia maioribus excruciato enectóque. Sine hoc tecum commune habeam (Balzaci clarissime) si cæteris animi & corporis dotibus longè relinquor, meas libenter miserias comminisci, & diram conqueri valetudinem, quo luctu tantisper defunctus pergam ad ea de quib. me consulis. Nec me præterit sapientum esse præceptum, abscondendas introrsus vestium maculas, eam esse ho-

minum malignitatem, vt eiusmodi querelis pro miseratione risum & contemptum, pro auxilio insidias in te concites, datâ inde nocendi opportunitate, vnúmque hoc sit compendium reliquis tuis miseriis stultitiam addere. Sed quoniam non vt cæteræ res, sic etiam valetudo famâ constat, si quis intus ægrotet, non adeò stultam hominum sapientiam amplector, aut malitiam reformido, quin frænos interdum dolori laxem, & vulnera mea detegam, confisus Dei ope, qui à nefariis hominibus incautos ac ingenuos aliquando premi, non planè opprimi sinit. Dico igitur mihi à teneris, quà infœlici nascendi conditione, quà iniustissimo corporis temperamento omnia primùm naturæ adminicula, deinde fortunæ præsidia defuisse; eas quæ cęteris animãtibus conceduntur somni & quietis vices negatas esse, nullam mihi diem nec horam à cruciatu vacuam fuisse, ac si per aliqua temporum interualla intemperiæ nonnihil remiserint, somnúsque obtigerit, territo radice fatalis mali, diráq. habitudine animo, etiam me tum pœnam pœnæ formidine luisse. Has clementis (si diis placet) naturæ prærogatiuas cùm ad studia litterarum attulerim, & laceris deiectísque animæ potentiis de vita ipsa omníque vitæ instituto semper desperauerim, mirum sit ea mihi semiuiuo excidere potuisse, quæ procerum primæ notæ

Digitized by Google

aliquando attentionem, hominum de triuio ac indoctorum tenebrionum inuidiam conciuerint. Accessit qui velut vnguis in vlcere esset, acerbus illudentis fortunæ ioeus, vt inuoluntariis meis vigiliis merces vltrò daretur regius suggestus, honorifica quidem & ampla, si ex dantis maiestate aut eorum qui decurrerunt in isto stadio famâ & eruditione æstimaretur; cæterùm quæ obtentu honoris & certi in omnem vitam commodi, tanquam crux præalta mihi ad speciosum & conspicabile supplicium esset comparata. Ego qui me meo sensu miserum esse, non alieno intelligerem, cùm in hoc vt in cæteris totius vitæ meæ muneribus diutiùs æquo perdurassem, carnifice demùm coactus morbo illustrem infortunij appendicem excussi, ausus in re alioqui tenuissima contemnere opes & titulos, quod nemo nisi aut palam stultissimus, aut in arcano miserrimus faceret. Exinde in quos hominum sermones incurrerim, quàm iniqua iudicia expertus, quantas mulctas & fortunæ contumelias perpessus sim, superuacaneum sit referre, aliis ad conuellendam meam existimationem pronis, aliis me desertorem stationis criminantibus, qui mihi egregiè conscius sum, tali animi & corporis habitu statúque deplorabili præter piam in Deum voluntatem, & diuini humanique iuris reuerentiam, nulla me præterea muneris lege,

Digitized by Google

nulla operis functione, nullo quantumuis laudabili hominum more teneri.

His veluti exceptionib. postquam iniquos in vitam meam actores, si qui tandem insurgerent, summouisse videor, postulat ratio vt ad tuas litteras redeam, quæ mihi redditæ fuerunt dimidio ferè mense posterius quàm librum Phyllarchi aduersus te vulgatũ legeram. Is missus in hanc vrbem à curiosis quibusdam municipibus quos priuatæ lites in foro Parisiensi detinent, in manus meas peruenit, maximè ob eam quam inter nos esse non pauci hîc sciunt, studiorum voluntatúmque consensionem. Vt alia deessent, fama tua, & oppugnatio tam clari atque vniuersam Galliam peruagati nominis pretium libro poneret, & legendi videndíque studium omnibus acueret. Non id tibi præter expectationem accidere potuit, qui vltima librorum tuorum epistola cùm ad profectionem te accingeres, multas in vrbe aulâque tempestates & procellas imminere tibi auguratus es, quique non vno in loco præ te fers, nemini datum impunè excellere. Neque verò cùm te tam secundis ventis prouehi viderem futurum vnquam putaui vt propositum velificationi tuæ portum prorsus inoffenso cursu tenere posses. Iamdudum liuor in te consilia belli coquebat, vt de merito nostratis eloquentiæ principatu deiiceret, fortasse ceu

Digitized by Google

certâ iam ac exploratâ victoriâ nimium fidentem quasíque vitulabundum, nec satis memorem humanæ sortis cum magnis etiam heroibus, ac cœlo genitis nouissima omnium perduellium triumphos moretur inuidia. Memineris superiori æstate cùm nobilissimus Antistes Perronius & Petrus Optatus disertissimus in summa curia patronus, ad te honoris causa primùm viserent; adhibito me quasi parario propter veterem notitiam, iniectum esse sermonem de Apologia, stupentibus illis tantæ artis & industriæ opus incognito omnibus scopo & aduersario prodiisse. Magno emptum vellem illud ab amico tuo in hunc vsque diem dilatum esse, non quod sacri ordinis sodalium odia vehementius in te accenderit (tametsi & id accidisse doleo) sed quod cùm alia pleraque luculenta, tum maximè insignem vnius loci tractationem contineat, qui tibi nunc poterat magno esse vsui nisi nouitatis gratiam amisisset. Vbi enim ille disserit licere magnis viris ex præclarâ miniméque temerariâ sui fiducia honori proprio palam velificari, æmulatus Plutarchum & alios qui aliquid simile olim attigerunt, admirationi sanè te propiorem facit quàm reprehensioni, vt nemo paulò æquior cùm ab ea lectione discesserit, non confestim iudicet omnem litterarum tuarum gloriationem nouâ gloriâ esse cumulandam. Nunc his locus

Digitized by Google

erat, cùm præcipuo quodam te crimine onerant, assiduæ scilicet tuarum laudum prædicationis, quo te, & si per ora vulgi traducunt nonnullâ in præsens insolentiæ inuidiâ flagrantem, tamen absolutum iri spondeo cùm ad delectos iudices fuerit prouocatum. Nihilominus eius rei modum esse velim, ne nullo exemplo id fieri clament, cùm vel Marco Tullio modica iactantia exilij ac tantùm non exitij causam attulerit. Quippe liuidi mortales ferè maiora suo captu oderunt, & vt apud eos maximè locus sit æquitati, alienæ virtutis pretium & indicationem penes se esse volunt, vi & vitio partum decus existimantes, quod ipsorum seu iudicio seu libidini præuerterit. Atque hinc colligas licet quàm iniquis auribus oris proprij laudes excipiantur, cùm quas sublimi arte & magniloquentia in principes viros contulisti, portentosas, immanes & comicas dictitent, nescio an non ipsis quoque principibus per latus tuum petitione ista violatis. Cæterùm cùm Lutetiæ essem, etsi multa multorum iudicia de te audirem, de moribus non fuit qui secus existimaret, præsertim quod ad religionem & pietatem attinet, cuius in te maximè sincerum, & à pestiferis opinionum erroribus purgatissimum sensum aliquot viri graues apprimè commendabant. Lasciuientis porrò calami licentiam & iocos religioso

Digitized by Google

ſupercilio ſeuerius notatos, ætati tuæ ac fortunæ præſenti facile condonabant. Vnde non eſt quòd ab ea parte admodum periculoſam in te impreſſionem factum iri verearis, non magis quàm matronarum propter quædam liberiuſculè dicta offenſionem, vel ſacrilegij dicam, quaſi vetita maribus Bonæ deæ ſacra irruperis. Vide potius ne externæ copiæ aduerſus te ſollicitentur, accitis in ſocietatem belli aliquot Italiæ ac Germaniæ principibus, in quos viſus es fortaſſe dicacior: ſi tamen minus licere nobis dicendum eſt quàm eârum gentium ſcriptoribus, qui atrocibus ac virulentis libellis, nec Regi nec Gallico nomini pepercerunt. Supereſt vt famam iiſdem artibus quibus conſecutus es, tuearis, ſcribendo & reſpondendo aduerſario, nec ſperes placare inuidiam relicta virtute. Nam & ſi Phyllarchi liber, & ſtilus & eruditio minimè contemnenda ſit, non tamen continuò tuis ſcriptis authoritatem & gratiam demit, niſi ſimulanter apud æmulos aut infenſos, qui effusè lætantur natam eſſe occaſionem & repertum hominem qui tibi ſtatus controuerſiam faceret, nec fœlicitatem illam, quâ te frui ægrè ferebant, illibatam ſineret. Nemo mihi crede leget tua ſcripta & deſpuet, & quandiu tui non diſſimilis nouum aliquid promes, nequibunt expleri corda legendo. Niſi hactenus præſtigiis magicis tot Cardi-

Digitized by Google

nalibus, Episcopis & proceribus, tot omnium ordinum viris eximiis mirè imposuisti, qui ob os tuum, vt vetus ille ait, ora obuerterunt sua, qui labores tuos non fastidiosè & oscitanter, vt vulgarium ingeniorum, sed auidi & admirabundi exceperunt. Vidi nonnullos qui lectis Phyllarchi litteris te inauditum prope damnarent, de te actum esse crederent: vbi ad tuas ventum erat, tum demum quasi somnio decepti euigilassent, vbinam esset reus, vbi iudices, vbi tota huius accusationis materia & scena requirerent. Si te negabunt eloquentem, succurret illud non minùs verè quàm de Lucano dicendum,

—*qui te vendit Bibliopola putat*,

putant omnes prouinciæ, omnis politior Gallia, cui libri tui delitiæ toties repetitæ fuerunt, ac porrò repetendæ. Quisquis tuorum scriptorum veneres capiet, & ipse capietur, proindéque non capientibus, vt nec captis indidem mutuaberis quod respondeas, *Non cuicumque datum est habere nasum.* Si doctrinam detrahent, perinde facient ac si quis neget solem meridie lucere, cùm oculatus lector in operibus tuis præter ingenij acumen & iudicij maturitatem, etiam reconditam optimorum omne genus authorum lectionem, & depromptos è mediâ philosophiâ innumerabiles locos facile deprehendat. Nec puto Phyllarchum ipsum id sentire

Digitized by Google

quod dicit, sed dum sodalem suum ab auctore Apologiæ tuâ causâ impetitum vlciscitur, per æqua & iniqua ordini suo & causæ inseruire: quem hoc nomine personatum, & si necdum tu, nec alius quisquam, quis foret, scire cupienti aperuit, in aditu tamen & progressu libri visus sum mihi coniectura non futili agnoscere. Scio viris doctis hunc ordinem abundare, sed cui tam prompta sit ac expedita Gallici sermonis concinnitas, & Græcos patres ad nos transferendi auita paternáque facultas, vnus apud eos fando mihi auditus est, qui si ipsus est qui sub Phyllarchi personâ ambulet, vt coniicio, non possum non abominari causam quæ vos commiserit. Sed quando eò deuentum est vnde non possis nec debeas referre pedem sine certamine, author sum tibi vt in cœptum iam respondendi laborem acriter incumbas, magnam vtique tibi facturus audientiam, & concursum hominum, quos vbique tantæ rei expectatio arrectos atque suspensos tenet. Si qui erunt, vt minimè dubium est, qui interruptam tibi pacificæ gloriæ possessionem in sinu aut in cœtu gaudeant, efficies vt sciant non omnium dierum solem occidisse, teque eam, quâ tacito antea omnium consensu sine riuali potiebaris, vi & armis etiam nunc existimationem retinere. Postmodum quicumq. alij hostes vel apertè, vel clam & cuniculis te la-

Digitized by Google

cessere audebunt, censeo eos contemptu ac silentio prætereundos, ne obscuris nebulonibus via hæc inuenta sit ad famam, tibi negotium facessere. Quod ad Phyllarchum attinet, placet mihi quod scribis, te maiorem tui tuendi quàm illius inuadendi rationem habiturum: non enim video quam vterq. vestrûm nisi infelicem possit sperare victoriam, cùm te ordinis & hominis sacrati reuerentia districtiorem esse, illum pietatis & mansuetudinis professio apertiore vindictæ sensu alienam famam lacerare vetet. Si vultu læditur pietas, quanta tibi erit religio totas vires & lacertos exerere ad singulare certamen cum sacerdote, quod ante sanctissimum Regis edictum etiam gladiatorum omnium perditissimus detrectasset? Deus in mentem vobis immittat post primas velitationes maturè receptui canere, ac demum conciliari vel spontaneis induciis, vel interuentu amicorum, quos plurimos communes habetis, vt pro carmine quod à me non obscurè postulas, limini operis tui præfigendo, ceu fortasse incentiuo certaminis, vtrique vestrûm potius moderationis epinicia debeam. Vale. Andomatuni Lingonum 12. Calend. Febru. 1628.

Digitized by Google

VIRO CLARISSIMO FRANCISCO ANDRADÆ Burdegalensi S.

CREDO te vicem meam dolere, quem bello minimè necessario implicitum videas, inter impacatos medium, & nescio quo fato vel errore, certè nulla mea culpa vtrorumque iræ ac odiis infestissimis expositum. Amicus noster mihi fraudi esse quòd eum laudauerim nihil pensi habet, qui non solùm laudes vndecumque profectas cupidè arripit, sed & ab amicis vt vectigal aliquod, longè vberrimas sibi deberi putat. Et quidem meas litteras parum sollicitus aliquóne meo damno promulgarit, non iam accepisse vt munera, sed extorsisse vt spolia, & traducere velut in triumphum gaudet, cùm me gloriæ suæ seruire, ne dicam ambitioni victimam cadere haud iniquum censeat. Si conqueror tantam mei vilitatem, tam inutilem, tamque intempestiuam proiectionem, statim defectionem interpretatur: cui non relligio fuit

Digitized by Google

in meis litteris mutare ac inducere verba, immo integras periodos, si quæ mordaci vero paululùm superbas aures raderent, non sinit me idipsum causari, cúmque id ab amicis quibusdam se inscio factum esse credi velit, & ego persuaderi mihi patiar, ne hanc quidem quæ ad se minimè pertineat culpam, à me pro defensione in typographum saltem trajici volet, puto, mihi diem quoque dicturus vt Scæuolæ Fimbria, quod non toto iugulo ferrum receperim. Ego verò etsi sum leni admodum ingenio ac tractabili, nullius tamen gratiam tanti facio, vt pro amico tyrannum ceruicibus meis impositum velim. Odisse hominem ne iniuria quidem affectus possum, quem alioqui raris ingenij dotibus præditum scio, ac initio ei, cum primùm epistola in lucem prodiit, ignoscebam, tùm quòd factum iam infectum fieri nequiret, tùm quòd aliquid eius impotenti gloriæ cupiditati dandum existimarem. Proinde sic mecum loquebar, ferendũ quicquid istuc est, excusãda hominis auiditas famæ inexplebilis, noluit videlicet etiamsi iam tempus abierat, hanc laudis occasiunculam sibi perire, quid sua tantùm non quid mea interesset cogitauit. At mihi hoc damnum importat, & periculũ creat. esto: non ideò minus amicus est, nec vndecumque fluxit causa ibi est culpa: amico nonnihil abuti ad suum vel typographi com-

Digitized by Google

modum licere sibi putauit: inuideri etiam laudes datas ac non obscurè reposci arbitratus est, si perpetuo essent premendæ silentio, nec eas publicandi potestas fieret. His rationibus paulisper meipsum sustinebam cunctabundus & opperiens quorsum res euaderet, nec mihi animus erat edere alias quas scribebam litteras, nisi aduersa factio in me impetum verteret, contentum eminus vires & fiduciam minantibus ostentasse. Sed aliis super alia experimentis quotidie verissimum esse istud Taciti comperio: *Humani est ingenij odisse quem læseris.* Nam postquam totam Macaritæ familiam gratis in me concitauit, minus me iam amat vt creditorem, quippe qui meum hac de re silentium excellentiæ suæ ac dominationi arrogare, quàm mansuetudini meæ & patienti negligentiæ debere mallet. Alia ex parte cum vel cæcis pateat illa mearum litterarum publicatione, nemini præterquàm mihi factam fuisse iniuriam, hincque amicum nostrum ex professo nescio ad ipsius satietatem, certè ad multorum nauseam laudatum, illinc aduersarium eius, verioribus quo parciore manu dari, & minus addicto animo proficisci videbantur, laudibus dissimulanter ornatum; cùm etiam liceat vnicuique suas iniurias non persequi, miror Macaritæ sectam offendi nostris induciis velut tacita collusione, & meas super hac

Digitized by Google

re litteras minaciter vrgere, perinde ac si non æqua querimoniæ materia mihi vtrimque suppeteret. Onerant ergo me crimine non maledici & obtrectatoris, nimiùm hac ætate frequenti, sed immodici laudatoris nouo herclè & ante hunc diem prope inaudito. Didiceram à parentibus & magistris, linguam oblatrantem apud omnes mortales inuisam execrabilémque esse, proinde laudare vnumquemque, aut saltem maledictis abstinere, cùm optimum semper tum etiam tutissimum fore, quod longè aliter mihi nunc vsuuenire video. Quæro ex illis an in nugis & re penè ludicra, pugnare sine missione decreuerint, quos Macaritæ successu abundè contentos esse oportuit? Is in arenam descenderat non adeò sua professione dignam, nisi lacessitus hoc faceret, quod vni sodalium penè ad contemptum totius ordinis ab authore Apologiæ petulantius erat insultatum: eo euentu, amicus vt noster amissam in vulgus excellentiæ suæ opinionem aut valdè controuersam illicò senserit: & duos aduersarij libellos quasi duas petitiones geminatósque ictus sola declinatione corporis effugerit. Venerat scilicet vir magnæ authoritatis ad paratam inuidiæ flammam, qua, tumescentibus iampridem odio insolentis iactantiæ omnium animis necesse erat hominem aliquando deflagrare. Itaq; apertam iam animorum

Digitized by Google

ab illo alienationem, ſuam occaſionem fecit, tanto plauſu exceptus vt vulgus ad omnem auram mobile, labefactatam penitus amici noſtri exiſtimationem, prudentiores verò tantùm repreſſam ſuperbientis ingenij ferociam caſtigatámque eſſe iudicarent. Benè habet, fortunam vertentem expertus & toto triennio partæ antea celebritatis an deliquium an interregnum paſſus, haud dubiè nunc ad meliorem moderati animi frugem ematuruit, quod Macaritæ, puto, in votis fuerat aut eſſe debuerat, daturus publico etiam propediem aliquid, quo præteriti temporis fortè taciturnitas compenſetur. Quis igitur ſi vlterius odiis pertendant, non indignabitur tanto tempore æſtum animorum & quidem cœleſtium non tepuiſſe, cúmque Macarites extremos in eum impetus effuderit, animámque penè in vulnere poſuerit, extincto duce, adhuc partium fermentum ſupereſſe? Hæccine pietas velle hominem adempta reſurgendi facultate penitus oppreſſum iacere, omni ſolatio carere, omni amicorum ope & præſidio deſtitutum eſſe, qui non ſolùm hucuſque illæſus, ſed velint nolint, ad ampliſſimos quoque honores vel ingenij commendatione vel procerum fauore à fatis ſibi videtur reſeruatus? Deus meliora piis! quos ſatis conſtat eierata omni vtriuſque appetitus libertate ſummóque rerum creatori

Digitized by Google

creatori mancipata, in seipsos tantùm seueritatem, in alios verò non modò placabilitatem, sed & maiorem humana clementiam, propiorémque geniis custodibus animi propensionem induisse. Itaque hæc rixa incentorum tota est, operam suam inuitis aut nihil tale cogitantibus venditantium, quos ego valere iubeo. sed tam variis fucatisque hominum ingeniis, tanta beneuolentiæ simulatione toties deceptus, serum iam résipiscendi & me fraudibus factionibúsq; subducendi tempus esse doleo, subinde meipsum incusans, quòd tuam in ratione vitæ prudentiam magis semper admiratus fuerim, quàm imitatus, illudque veteris poëtæ laudare contentus, neutiquam obseruarim,

Nulli te facias nimis sodalem,
Gaudebis minus & minus dolebis.

Hæc mea imbecillitas est, nihil negare amicis, eorum precibus vel in perniciem meam subscribere, prudentem & scientem in exitium ruere voluntarium, deniq; Asiæ similem esse, quam ideò seruire tyrannis quidam philosophus non illepidè aiebat, quod monosyllabum in animo ad negandum forti constantíque non posset enuntiare. Quo animaduerso plerique cùm specie fauentium malisq; meis indolentium, qua parte expugnabilis forem, diu multúmque explorassent, consiliis & cohortationibus importunis me obnoxium fa-

Digitized by Google

tigatúmque adorti, ſanas alioqui meas cogitationes diſſimilibus effectis tandem corruperunt. Tibi verò omnium amicorum libertimo eidémque maximè ſincero, eo nomine plurimùm debere profiteor, quòd Socratis dæmonio ſimillimus in omni ferè negotio potius dehortantis quàm impellentis partes ſuſceperis. Nam expedit mihi vel nullis vel pauciſſimis rebus implicari; & tamen vt nihil apud te diſſimulem, vnum me malè ſemper habuit, plus aliis in vtramque partem quàm mihi credidiſſe, reclamante interim genio, cui certiſſima eſt mali euentus coniectura, in aliorum gratiam ab animi ſententia & naturæ iudicio recedere. Vale Lutetiæ 4. Idus Decembris anno 1630.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO D. D.

IOAN. ARMANDO PLESSIO,

S. R. E.

CARDINALI EMINENTISSIMO,

DVCI RICHELEIO, &c.

Panegyricus.

EXTREMVM fortuna mihi concede fauorem.
Ingrati impingant ne festinantia crimen
Fata mihi. diuumque seni desueta vocari
Numina, Pierides, tetricos ne ducite vultus.
Dum Latia magnum serus nimis ordior arte
RICHELIVM: quondã & temeraria carmina laudẽ
Inueniunt pietate, & major culpa silentis.
Est vetus & toto notissima fabula regno,
Seu quid habet veri; seu nostris patribus illa
Imposuit, placuitque nouis accommoda rebus.
Tempus erat Franciæ (vt perhibent) corruptius aulæ,
Non eadem quã nunc pietas moresque vigebant.
Vastæ spes hominum, mentes & scire futura
Prater fas auidæ: vetitas fortuna per artes
Et regum soboles venturi inquiritur aui.
Plurimus arcanis conuenit Thuscus aruspex
Cœtibus, & nigræ sacris exercita saga
Thessaliæ: haud deerant & sollicitantia manes,
Et motura deos horrendi carmina ritus.

Digitized by Google

Thusca genus, dudum pro quattuor anxia natis
Mater erat, dubio quam successore fatigant
Auguria, éque alia regnator stirpe timendus.
Postquàm intra spatium dimensum, nocte silenti,
Constiterant, magicis ibi ter procedere jussi
Cantibus, ad regnum quos sors & fata vocabant
Proxima: tum mugire solum & conclaua moueri.
Extemplò cani simulacrum apparuit oris
Inuadensque locum, bis cursus atque recursus
Expleuit denos, nube & se condidit alta.
Tum nouus emicuit juuenis, quem præsulis ingens
Armati species iustissima bella minantem
Visa sequi. subitum, nox antè obscura, serenum
Explicuit, solitoque humentia purius astra
Effulsere polo. centenos amplius orbes
Et spatia emensus, magna se victor agebat
Majestate potens: illi pietatis adultæ
Iustitiæque ergò nullum fortuna negabat
Obsequium: visa hîc tandem subsidere tellus
Illius ante oculos, siluitque exterritus orbis.
Accepit seu fama fidem, seu fabula finem,
Essenêre datæ sortes, nec inania matri
Optanda hæc cunctis, vni potuere timeri.
Iamque poli secreta patent, manifesta deorum
Consilia euentis, quæ qui prænoscere tentet,
Haud impune ferat: vult hoc mortalibus vnum
Non licuisse Deus: frustra mutare sciendo
Quæ ventura latent alta caligine mersa
Quæsierint. sedenim de tot nunc millibus, ecquis
Ille sit armatus præsul, qui regia terga

Digitized by Google

Clauderet, vlterius quæri ambiguumque videri
Desit. hunc vnum iampridem oracula monstrant
RICHELIVM, hic ille est per quem sua gloria Frãcis,
Quique situ longo, tristi & squallore iacebat,
Instauratus honos: rerum, sub principe, clauum
Hoc moderante, foris nusquam fœlicius arma,
Consiliumque domi tessit. qui forte putatis
Mira cani, non vera cani, conferte priora
Quæ nostri videre diu ludibria patres.
Nam simul atque noua creuerunt impia secta
Semina, mentitâque animi excussere rebelles
Relligione iugum: rebus quoque visa nouandis
Opportuna nimis pueris sub regibus ætas:
Continuò metus & regum, & reuerentia legum
Cesserat, & scissæ studia in contraria partes
Ibant auersis in mutua funera Diuis.
Gallia tum infœlix regnum deforme trahebat,
Visceribus laniata suis, vbi sæpe cruentæ
Conflixere acies, morisque vmus & oris
Tingere cognatas gens effera sanguine dextras
Sustinuit. spectans casuri Hispania regni
Exequias, gauisa sinu est, orbisque potiri
Imperio, tantâ potuit sperare ruinâ.
Nec sine res acta auxiliis; nec sæuit intra
Gallorum solos animis furor iste latentes:
Externas accire manus, visumque Britannis
Ostia venturis, queis Sequana clauditur obses
Pandere, vt impositus nostris ceruicibus hostis
Verius in gleba titulum iactaret inanem.
Hæc etiam toto sese effundentia Rheno.

Digitized by Google

Agmina, & ad prædas auidis Germania venit,
Curribus. insani sero post damna furoris.
Pertæsum tandem est, pacesque redemimus auro
Turpiter, & læti phaleris & torquibus hostes
Quisque domum rediere: velut rex ipse vocasset
Sæpè suos dixit socios, & facta probauit,
Hæc etiam edictis compulsus sumpta fateri
Arma sibi, & duris dare blanda vocabularebus;
Præmia tunc crimen, meruitque iniuria grates.
Excidat illa dies æuo, qua cædibus vrbem
Attonitam impleuit, iam mane rubentibus astris:
Cùm nupta innuptas respersit sanguine tedas
Insidiosus Hymen, strage & permiscuit una
Sontibus insontes. quid tanta licentia ferro
Concessa est? capita in peccantia regibus ensis,
Sed non sica datur: iusto potuere perire
Supplicio, pœnam meriti: at non iure cadendo
Vltores habuere deos, & iura querelæ:
Maiestasque infirma, reos, quæ duxerit hostes:
Erubuitque sequestra fides: sed venit ad istos
Pronuba Tisiphone thalamos, columque vetabat
Inde dari regem, vel ab isto viuere nasci.
Sic debellatum laniis ne crede, malorum
Nondum finis erit, nec, quamuis strage recenti
Territa, Santonicis vrbs expugnabitur vris.
Quinquaginta annos vltra superesse rebellem
Fata Deusque sinent, animosque à vulnere tanto
Sumere: relliquias cladis teget illa, nouique
In regno regni longùm simulacra fouebit;
Arx belli, rexque caput: non partibus vrbes

Digitized by Google

Non deerit sua nobilitas: se mœnibus altis,
Et, quale haud Babylonis erat, munimine cinget.
Sed mentis tandem non eluctabilis ordo
Diuinæ, iustumque manens ea gloria regem
Euertet, totis nudatam in littore muris.
Interea iustos tot detrectantia fræxos
Oppida quis ferret? cur qneis obtenditur vna
Religio, titubare fide, & cum rege pacisci
Ex æquo, velutique omni tam lege soluti
Pergent legitimis impune illudere sceptris?
Conuentus & habere suos, & in æquore classes?
Exuere ingeniis subiectos, vre fateri?
Nam pars sana magis regni quæ restat, auiti
Et retinens cultus, hoc in contraria pessum
Iuerat exemplo, labem & contage trahebat.
Prætextu cœpere nouo cùm fœdera passim
Audiri, sibi quisque sua ditione videri,
Qui medij regni est vel limitis vnbe potitus:
Commissamque sibi vel regi vendidit arcem,
Vel tenuit dominus, qui custos ante tenebat:
Denique confusis rebus, tot regna quot arces.
Vna rebellantam fiducia, si qua, labante
Fortuna, ingruerent duri discrimina casus,
Transire ad partes: simul est sublata potestas
Legibus, vt quem res fœdæ aut grauiora premebant
Crimina, & ingluuies alieni merserat æris:
Exulibus quocunque modo, Rupella paratum
Perfugium est semper: galeatum sontibus illic
Præsidium, tutoque datum est consistere portu.
Videratha c ingens animis, simul atque minister

Digitized by Google

Curarum domini, cupidæ successerat aulæ
RICHELIVS, *secumque diu malesana priorum*
Consilia expendens, quibus, hæc indigna ferendo,
Tàm secura quies, vel regni, commoda venit
Post priuata, salus: altum crudelia passæ
Indoluit patriæ, magnisque efferbuit ausis.
Ergo intentatas aliis, sententia sedit,
Ire vias: curæque duo hæc tum prima fuere:
Quo pacto obsequiumque domi inuiolabile regi,
Amissosque foris genti repararet honores.
Nec sine Diis, certo currebant ordine rerum
Talia, maturis nostra in solatia fatis,
Concordesque ibant meliora in stamina Parcæ,
Nec precibus nostris non numina cœpta moueri.
Interuulsa diu, reddi sibi Gallia tandem
Poscebat, questa ærumnas & vulnera saua:
Audiit è cœlo Nemesis, malè-tuta profundo
Intremuit Rupella suo, & dira omina sensit.
Anglus vt excidium perituræ auerteret vrbi,
Quem sua non vxor, non connubiale mouebat
Fœdus, Aquitani renouans spe somnia regni
Forsitan, arma parat, classemque è littore mittit.
Præficitur dux, delitiæ natique patrisque,
Formosusque Paris cum semiuiro comitatu
Regna secat latè ridentibus humida nymphis.
Perfusum caput vnguentis, ferroque calente
Vibrati crines, speculumque & plurima luxus
Instrumenta sui secum per cærula portat,
Par animo, leuibus pulsant qui carbasa ventis.
Interea Gallisque neces & vincla minatus

Digitized by Google

Ceu breuis Herculeas illi daret insula metas,
Hæret ibi, sentiqua alium delapsus in orbem,
Et cæsus toties, amisso & milite, nostras
Euitare manus, amplum ratus esse trophæum:
Sub iuga venturæ tantùm consumpta relinquens
Horrea Rupellæ, celeri fugit ocyor Euro.
Æmulus hunc liuor nequicquã, & purpura magni
RICHELII *vrebat, cuius se opponere certus*
Consiliis, amens (nî mors vetet) omnia rursus
Creditur extremæ tracturus robora Thules.
Iamque omnis, terra pelagoque, occlusa Britannis
Ianua; peruentum est ad finem, vrbs dedita regi
Cui pro præsidio, proque auxiliaribus armis
Suppetias misere, famem, tristesque ruinas.
Is labor exhaustus: sed nec quæ proxima fessis
Instabat, dormitur hyems: transmittimus Alpes,
Nec semel infaustis repetitam accingimur armis
Italiam; quamuis hiberna sidere bruma
Curtus ad algentem sol agocerôta receßit,
Puluerulentus adhuc sudato nuper ab æstu
Signa rapit miles, nilque implorata moratur
Auxilia. ecquis erit Gallos qui quærere bellum
Insimulet? causa inuitos qua iustior vnquam
Nulla fuit, generis traxitque iniuria nostri.
Hæredem Ausonia Gallum consistere terra,
Quæ tandem inuidia est? cur hunc exturbet Iberus?
Arceat aut Cæsar vacua ne regnet in aula
Proximus, extrema morientis voce vocatus
Agnati? quæ gens istum tam barbara morem
Permittit? quis rebus aui spoliare nepotem

Digitized by Google

Ius habet? Insubrum sedenim, vicina, potenti
Mãtua vt accedat, quodque huic Phaëtontia lambũt
Flumina Casalium, princeps extorris & exul
Ibit, & æternum deserti Gallia probrum
Sentiet? haud ista èst iusto patientia regi,
Protinus illatis damnumque ac dedecus armis
Accelerat prohibere: æquæ pia numina causæ
Fauerunt, queis nunc iratis forsan Ibero
Cunctus ob Italiam ditionum fluctuat orbis.
Gallica vix alio meminerunt tempore castra
Successus habuisse pares: & regibus vltrò
Infaustam nostris maiorum exhorruit ætas
Italiam: sed nos melior fortuna manebat
Auspiciis aliis fretos, alioque ministro.
At plures, ægris, queis prospera nostra tueri
Ingenium est, oculis, & sola Hispania cordi:
Carpebant clàm RICHELIVM, *discrimine regem*
Ceu temerè induerit, pactis & nolit amicis
Conuentum, oblataque recuset pacis honestæ
Conditione frui, bellandi est tanta voluptas!
Immanes sumptus, tot millia peste fameque
Interfecta hominum, tot fortia corpora volui
Eridano, postquàm licuit componere bellum.
Hæc liuoris erant gliscentis murmura, sed quæ
Ante decus patriæ fortis non poneret heros,
Verba dari nusquam sibi, pacis imagine, passus.
Quos Hispana vades daret, aut quo tuta fuisset
Hæc, sponsore, fides, cui credula pectora Gallos
Ludere solenne est? belli cessare paratus
Præsentes vbi sensissent, Gallisque remissum

Digitized by Google

Ardorem, nostrasque domum remeasse cohortes,
Casalium, facilisque capi tunc Mantua: certæ
Tunc prædæ socius princeps: & compede vinctam
Italiam, oppressa mox libertate tenerent:
Elapsoque foret rerum lux vltima Gallis
Momento, nec bis, peccandi tanta, facultas.
Iamque net, Hispanis nisi perscrutantibus, ire
Nuntius aut Romam, aut potuisset epistola mitti.
Quis locus indecores Romæ cepisset? vbique
Conclamatus honos gentis. timuere minores
Italiæ domini, nostro ex errore, propinquum
Seruitium: sed RICHELII *prudentia falli*
Nescia, sollicitos ista formidine soluit.
Nam prius hunc, longo veterator callidus astu
Allobrogum dominus, dum circumducere tentat,
Artes elusit senis, artibus, atque negatum
Casalio perrupit iter, nec segnior vllis
Colloquiis vadens, totus sua fertur in orsa,
Propositumque premit. plorarunt funere sero
Bis capti Phryges: ast animi non turbidus hæres,
Incolumi nunquam sperandam patre quietem
Possedit, cui regali digna obtigit antè
Coniugio, pulchramque soror dat regia prolem.
Nec modo difficilisque capi, indocilisque teneri
Retibus infida est pacis, sed quantus in arma
Prætereà assurgit, visumque it cominus hostem
RICHELIVS? *quem nec victum desistere cœpto,*
Casalij dubiam nec desperare salutem
Compulerit, nomenque ingens & Cæsaris vmbra?
Tum vulgo quoque terribilis, sed iamque caduca,

Digitized by Google

Profectura nihil Liguris præsentia, famæ?
Vsqueadeò sunt prona viro, quem spiritus altæ
Nobilitatis agit, sponsoribus omnia diuis!
Tunc quoque, ni Francis distaret Mantua castris
Longius infœlix, à diro tutior hoste,
(Seu fatum est seu proditio) seruata, maneret,
RICHELII *cura. tamen ad solatia cladis,*
An grauius captæ vulnus, maiusne receptæ
Sit decus, ambiguum, ventura in secla relinquet.
Ite laboratæ nunc vrbes, ite superbi
Et vestris posthac ciues confidite muris.
Defensore opus est, capit has, tutatur & illas
RICHELIVS, *sed contra vnum defendere tantùm*
Non datur: hunc arcent munimina nulla, nec altis
Montibus impositi montes, fossæve profundæ,
Nulla, manus, vigilesque oculos exire, potestas.
Sat docuit Rupella, sed hoc quoque Nancia clamant.
Mœnia: quid tantis circundare profuit vrbem
Molibus, & pinnas & propugnacula cœlo
Tollere? momento est illic, tot, scilicet vno
Effusus labor annorum: patuere loquenti
Omnia: ceu structas vocali Amphione Thebas
Versa re memorant, blandæ & testudinis vltrò
Saxa secuta sonum: tantum ostentata timorem
Attulit obsidio! quamuis hyememque propinquam
Cerneret, Hispanas propiusque accedere turmas
Auxilio; supplex munitam reddidit vrbem
Austrasius iuuenis; semper sua nescius ille
Pondera metiri, tantumque lacessere regem
In nostris ausus, Rupella stante, periclis:

Digitized by Google

Ob neglecta reus dudum aut violata clientis
Officia, externis etiam nunc exulat oris.
At quibus ambitio totum spe deuorat orbem,
Ne propriis adsint præsto succurrere rebus,
Obstructos aditus, sibique intercepta viarum
Claustra gemunt: & qui populos calcare solebant,
Exiguosque Duces, deinceps transcurrere maior
His aliena labor, sistentque hoc obice gressus:
Nec Rhetos faciles, ac inuia cuncta videbunt,
Qua Belgas petiere via. nil Sequanus inter
Tot gentes medius, iuuet hos, aut ipse iuuetur.
Atque ea nostrorum (si vera est fabula) regum
Fata renarrabat, Thuscæ monstrata parenti,
Fama prior: sed quis, vel longa indagine quærens,
Is foret armatus præsul, sustensa manebat.
Donec totius voce hic interprete mundi
Editus est, qui consiliis, sub principe iusto
Et regni vires & regia temperat arma,
Fœlicem cupiens rebus, post nubila, pacem
Surgere, victricique oleam succedere lauro.
Nec tamen ille manu bellum sed pectore gessit
Hactenus. armata quamquam si tempora dextra
Rem gerere vrgerent, generoso sanguine cretus
In medias acies cunctis audentius iret.
Nec sacros proceres cerni quis credat, in armis
Procinctuque, nouum: magnis hoc fœta probaret
Historia exemplis: meminit septemfluus Ister,
Antiquum nec adhuc condunt obliuia morem
Pannoniæ regum, dum fœlix aula maneret:
Armatis sine præsulibus non ire solebant

Digitized by Google

Ad bellum: sacri proceres pars magna fuerunt
Militiæ: primi pugnas iniere: cruenta,
Qua, regi, & lapso clades fuit vltima regno,
Primi acie in Turcas, mortem oppetière decoram,
Primaque funestis iacuerunt corpora campis.
Voluenti annales, sacris quoque Bætica bella
Constabit ducibus, rubro & pugnata galero.
Tum sapiens Pallas certans cerebroque manuque
(Conueniunt animis adeò cœlestibus arma)
Gorgone terrigenas & stricto terruit ense.
Dij tantum seruate virum, tantique ministrum
Pectoris, & decimo plus, vnum, Nestore, regi
RICHELIVM: *Atridæ similes optauerit illi*
Aula decem, magna capienda ad Pergama Troiæ:
Huic maior virtus, plus hoc speramus ab vno,
Integra, pollenti vegetis cui viribus, ætas
Floret adhuc, pigræque procul sunt damna senectæ.
Hic Asiam & Solymos tractus ingentibus olim
Consiliis repetens, euertet barbara regna,
Et regem sanctæ palmis decorabit Idumes.
Ite sacerdotes castis & poscite Diuos
Hæc faciles precibus: pueri innuptæque puellæ
Ritè adeant aras, & templis thura vaporent:
Quando etiam, dextro, constat sibi, numine, sanguis
Regius, & concors pietas fraterna reduxit
Obsequia: affulget læto spes optima regno,
Nemo timet rursus ciuilia bella, nouarum
Iam rerum elusis detracto pignore Belgis.

Digitized by Google

CAROLI VLTIMI BVRGVNDIÆ DVCIS MANES, SIVE

Postulatio vindiciarum secundum libertatem Belgij.

Qualis erat, gemino belli cum vulnere maior,
Tertiaq. Heluetij repetens discrimina martis
Carolus, Elysias cæsus descendit ad vmbras
Nondum confessus victum; feralia quondam
Quæ fuerant, nuper vultum super exculit heros
Mœnia Nancæi, iustis quæ debita fatis
Iam consanguineo, tanto post tempore, regi
Parebant. aliàs sæpe indignatus acerba
Funeraque & manes inimica in gente sepultos,
Lætior exiluit, visus non amplius hospes
Ipse sibi, & patriæ ceu tandem redditus aulæ.
Iemque nouos iuris nostri, conspecta salutat
Lilia per populos, & talibus ora resoluit.
Non me Lethæi latices habuere meorum
Immemorem, mihi spirat adhuc sub pectore Franci
Viuus amor generis; quamuis in sanguine nostro
Errauit pietas, & nos discordia fecit
Cælibus æternis sontes; dedit omnia pessum
Dum rerum frenos affectat vterque, duorum
Ambitio: non frater inultâ regius vmbrâ
Occidit; in medio jacuit mihi ponte cruentus

Digitized by Google

Mox auus, & tanto mutarunt regna furore.
Naturæ ius nulla potest abolere simultas,
Sat furiis odiisque datum: spectata parentis
Illa mei pietas, sua cui vindicta dolebat,
Maluit irarum finem, regique propinquo
Condonatus aui cruor est. ego nominis inter
Terrarum dominos tanti, irrequieta secutus
Consilia, haud stirpem properata ducere morte,
Nec potui Francis hæredes linquere sceptris.
Nam genuisse mares nobis si fata dedissent,
Prima Valesiacæ nostros succedere genti
Sors erat, inque vnum magno coitura fuissent
Imperia accessu: limes qui stagnat ab Arcto
Oceanus Francis, mediasque secantia terras
Ipsa forent maria, & Boreas seruiret & Auster.
Diis aliter visum, & primæ præferre secundam
Collibuit sortem: nam dudum prouida regni
Nomen ab emota nostrum detraxerat vrna,
Futorum consulta Themis, vatesque canebant,
Post Phœbi anfractus, centum voluentibus annis,
Francigenûm IVSTVM *venturum ex ordine regem,*
Auroræ populos, Atlantaumque profundum
Qui traheret sub iura, caputque efferret Olympo,
Vltus auos, vltus patrem, cui Gallica sceptra
Inuidit toto nequicquam Hispania censu,
Duxit & in partes istam, qua contegor olim,
Austrasiam: nulli regum, post secla, ministrum
Concessisse parem superos, quo cardine rerum,
Roborane, an sibi Dij Gallus maiora dedissent
Consilia, attonito dubitatum linqueret orbi.

Digitized by Google

Iam viuit, vigeatque diu, qui fortibus ausis
Nomen in æternæ misit tabularia famæ
RICHELIVS. *quocumque adeò Rex verterit arma,*
Pone sequens ibit radiatæ purpura lucis
Ardua cuncta sinu mentis complexa profundæ.
Non segnes aget excubias, in publica centum
Luminibus fixus, atque indormire sereno
Nescius instabili, postquàm pietate fauorem
Numinis emeruit, ne quid consueta timeri
Alea fortunæ magnis struat inuida cœptis.
Aggredere ô trepidos (aderit iam tempus) Iberos
IVSTE, *tuisne atauis impunè erepta manebit*
Nec nisi te titulis tantùm Cantabria vanis
Audierit dominum? sed queis regnata Pyrenes
Sunt iuga, vos damnũ hoc stimulis maioribus angat.
Me vero miseri tangunt ante omnia Belgæ,
Gens simplex, longè positis damnata tyrannis
Seruire, & semper peregrinos cernere vultus:
Quam sæuæ leges, quam trux Albanus inermem
His nondum audita terris feritate, coëgit
Armari. si nos contentos ordine rerum
Esse iubes, quem tu statuis, sator optime mundi,
Nec mores tutum est, nec iura humana mouere,
Quid querar? attamen hanc ignosce erũpere vocem:
Nostra coloratis transcribi regia Mauris
Crimine quo meruit? seruiusque accedere Belga
Hispano? hæc priuatus Hymen si fœdera sancit
Sint per me intemerata: sed ô connubia læua!
O infaustus amor! cùm disita rege sub vno
Imperia admoneat vix tertius hospita mensis.

Digitized by Google

Mutuaque obstupeat populus non concolor ora!
Heu miserande nepos! dotalis Iberia regem
Te simulac vidit, primæuo in flore iuuentæ
Occidis, incertum socerine, an crimine cœli.
Si male diuinant, hoc saltem inscribe sepulcro,
VT VENI VT PERII. *ieiunæ ex sordibus aulæ*
Tempore iam ex illo, cœlo caput extulit altum,
Atque audax opibus nostris Hispania totam
Creuit in Europam, propior nunc illa ruinæ,
Mole sua, & fastu cunctis inuisa superbo.
Ergo mei pridem Bataui crudele perosi
Imperium, nec iam fortes à Gadibus vsque
Iura petunt: pulsum patria, laribusque focisque
Hispanum extremos etiam insectantur ad Indos.
Si quod Belgarum superest, sibi libera colla
Esse volet, præsto est vicinia, demere lora
Ciuibus, ipsa, suis, libertatemque tueri
Communem, eiectis semel extra limen Iberis.
Addit opes Gallus: quis tanto authore recuset
Seruitium exuere, aut venientia respuat arma
Auxilio? forsan quoque non inuita recedet
E Belgis, raro quia Bætica vomere versa
Squallet inops, exhausta viris, viduata colonis.
India consumpsit populos aurique cupido,
Infœlix Belgæ custodia deuorat aurum.
Nummorumque virûmque adeò penuria cum sit
Hispanis, vt vim possint defendere, nulla
Aut sat præsidiis erit arx, aut sumptibus arca.
Denique seruitij nomen, natura Deusque
Oderunt. proni pro libertate fauores.

Digitized by Google

AD ILLVSTRISS. VIRVM,

IOAN. IAC. MEMMIVM,

EQVITEM, SACRI CONSISTORII COMITEM PRIMVM, DOMINVM DE ROISSY, &c.

Hyperemerus, siue Tardum nomen.

DISTVLIMVS quoi iure tibi debemus honores
Longiùs, oderunt ingrata silentia Musæ,
Accusantque moras. ô magni nominis heros
Herôumque parens, dominæ qui primus in aulæ
Consiliis, proceresque inter caput exeris vrbis:
Hæsimus, ingenuum meriti dum cura recentis
Hinc stimulat pectus, nos ætas segnior illinc
Absterret, calamique adeò fiducia cessit
Omnis, & auersi torpet mens conscia Phœbi.
Sed miror, cùm prima senum prudentia sanis
Consiliis vigeat, populique & publica rerum
His commissa salus, Fabios sua sæcula iactent,
Et Catulos, necnon æui maturi Catonum
Nomina, & exemplis te nostri ingentibus æquent:
Cur adimat solis ætas prouecta poëtis
Ingenium viresque animi. si sanguinis æstus,
Præcipites motus, atque ipsa insania carmen
Expediunt: magicis senium mihi decoquat herbis
Et iuuenem reddat cantu Medea potenti,
Insanæque casæ, paruisque suburbia tectis

Me capiant, captis si mente adspirat Apollo:
Hic Helicon deinceps erit, & Parnassia rupes:
Nil opus est libris, nec quisquam vt proluat haustu
Socratici fontis labra & vocalibus vndis.
Experiar contrà: sed votis numina poscam
Supplicibus, desueta nouas in carmina vires
Sufficiant, hac fretus ope, vt mendacia vulgi,
Tempora quod calidæ concedit sola iuuentæ
Versibus, & senij probrum commune refellam.
Namque ego nec, vanos docuit quæ porticus olim
Stoïcidas, dicam superi date robur opesque,
Incolumem præstate, animi sat idoneus æqui
Ipse opifex mihi sum. procul auribus ista facessat
Impia, præsidensque sibi sapientia, nostris;
Dedignata suis cœleste adscribere numen
Dotibus, accepti dominumque agnoscere fundi.
Quippe homini generique suæ primordia cœlo
Cuique fluunt animæ, & nobis nascentibus author
Plusve minusve manu, totum qua temperat orbem,
Luminis ætherei & diuina impertiit auræ.
Hinc adeò nostræ dona immortalia mentis,
Si qua minùs sapiunt molem concreta caducam,
Materiæ haud immersa, nec indiga corporis huius
Perpetuum seruant senio incorruptæ tenorem:
Sic quicumque sagax vixit florentibus annis,
Non obtusa senex gestabit pectora, bardus
Introrsus fatuusve, omnis mutatus ab illo
Qui fuerat, nisi quâ morborum examina vitâ
Inclinante ruunt, & languida corpora tardant
Scintillis tamen obductum prodentibus ignem.

Digitized by Google

Semina diuinæ sedenim viuacia flammæ
Quos animent, paucos toto sol adspicit æuo,
Et rarum herôum genus est: herôas Athenæ
Mirandos, & Roma tulit. ne degener atus
Ista foret, ne vel verâ virtute, priora
Sæcula, vel grandi superent præsentia captu
Diis quoque cura fuit. superest gens Memia quãtis
Fœta viris! quàm perpetuâ se munera cœli
His addunt immota fide! seruare mouentes
Cura aliis res atque soli, & creuisse paterna
Præcipuum est. non hîc opibus sed moribus omnes
Ordine succedunt, virtusque domestica semper
Hæredem sequitur. Longùm te fata verendum
Illustris seruent generis caput: ardua rerum
Sorte pares, auus atque nepos tractastis, eodem
Nomine, distinguet dubios vos pagina solis
Temporibus dominisque: Liger tua concinet acta
Et Lemouix: ille amne vago te regia vidit
Iussa capessentem, prono quà lubrica lapsu
Semita pendebat: quem non hîc deuius error
In præceps traheret? sed iter te valle secuntem
Ancipiti, geminique inter confinia casus,
Expediit vis certa animi, & prudentia solers,
In regemque fides, regi iam nota parenti,
Cùm tibi mandatus labor est, ciuilia rursus
Ne qua, per occultos motus, Lemouicibus arma
Fundatam quaterent pacem. tu iussa potestas
Protinus arcano labefactas crimine mentes,
Et coniuratas intenta indagine legum
Deprendis latebras, cæcaque incendia flammæ

Digitized by Google

Opprimis. ecce tibi post hos vtrique labores
Sudatos domino, vel non indebitus annis
Restat honos, quo concilium dux ordinis imples
Sanctius, & magnis primus das pondera rebus,
Iustitiæ, rectique tenax, & suasor honesti:
Namque animus suus est, & nulli obnoxia constat
Libertas, semperque tibi plus summa mereri
Quàm tenuisse fuit. si sunt suffragia Romæ
Libera, si sani campum subiêre Quirites,
Nil opus est ambire tribus, satis ipsa sedendo
Prensabit virtus, & vox hæc vna sonabit:
Is meruit summos qui non affectat honores:
Adiuuat hos mores animosque haud spreta beatæ
Cura domus, & tuta sui mensura, placensque
Non luxus populator opum, sed diuite cultu
Sobrius & frugi splendor. non contigit vlli
Tam præsens sua posteritas, tam læta senectus:
Ordine namque latus stipant Henricus vterque
Et pater & natus: sed auos super æthera vectos,
Et propius vobis geminato nomine iunctos
Tu natusque tuus spatio præcurritis æquo,
Quò minus æqua venit magnis virtutibus ætas,
Et collata ferunt hanc vobis tempora palmam.
Macti animo heroës, quorum tot nomina fastis
Crebrescunt, & non vnus memoratur vbique
Memmius, hîc famaque tui, famaque tuorum
Ante alios fruere, & viridem renouare senectam.
Vtque tibi placeas fœlix pater: adspice quantus
Filius eximios meritis transcendat honores!
Vtque magistratu maior! limenque senatus

Digitized by Google

Omnibus & titulis & fascibus altior intret!
Non hoc diua Themis tantùm se præside iactat,
Quæque intrant altas palatia vertice nubes:
Sed docti Cirrhæ latices, iurisque palæstræ,
Et Suadæ fauus, atque omnis sapientia Graiûm
Ingenuæque quibus iamdudum præsidet artes
Concelebrant: tantum, quo fertur in omnia captu
Obstupuêre omnes! laudum quoque teste suarum
Vtitur inuidia, & sese probat omnibus vnus:
Ipsa etiam rarò meritis ingentibus æqua
Agnoscit fortuna, & rerum cesserit vltrò
Arbitriis, hunc si quantum miratur, amabit.
Alter ab axe recens diuerso, & sole tepentis
Italiæ, penetrat rigidas Aquilonis in oras
Impiger: & nostris intratam regibus olim
Sarmatiam, Cimbrosque, & martia pectora Gothos
Vlteriùs legatus adit, quò maxima regis
Iussa vocant, dumque hæc peragat, non pigra Boota
Sidèra, Parrhasiosque timet spectare triones
Cominus, adstrictique natantia marmora ponti.
Non tamen Arctoas incognitus aduena terras
Memnius accedet. tu Musis Sarmata, tuque
Cimber, Hyperboreis & quæ vicinior astris
Aula iaces, posita dudum feritate litasti,
Et Geticum placido moderaris Apolline Martem:
Namque Oriens, dirique iugum indignata tyranni
Græcia, ceu fato profugas his sedibus artes
Deposuit. iamque & per tot præconia vatum
Tetque libros, nostræ vobis sunt cognita gentis
Lumina, quâque patent Latiæ commercia linguæ

Digitized by Google

Memmius est ciuis, nomen non amplius istud
Hospitis est, & nunc coràm sua iura tuetur.
Hunc reducem patrio dum nobis littore sistant
Dij faciles, annusque sequens longinqua reportet
Gaudia: qui desiderium curasque paternas
Leniat Iruallus propior, quem tertia sortis
Gloria sublimem proauito exæquat honori:
Quem natura dedit non cuiquam est vltimus ordo,
Sola gradus virtus facit, & discrimina signat,
Tertius hac se tollit humo, famamque meretur
Memmius. inuicto regi quæ militet, illa
Est in procinctu semper toga, siue puellæ
Aëla vocet Mantus, seu iudex audiat arcis
Diuersos sontes, corrupti & crimina nummi:
Nanceumve iugi patiens, hoc præside, malit
(Vt fama est) sperare noui simulacra senatus.
Salue heros visende, tribus cui fulta columnis
Stat domus, est seniumque tripes & nobile robur,
Quale nec obscura Sphinx olim ambage canebat:
Memmiagens, Musas quæ nunc propè solaiacentes
Respicis, obstrictus multùm tibi debet Apollo:
Et lasso seu deficiet, seu desinet ore
Extremo vestrum pulsabit carmine nomen.
Certè ergo si Latij reus, indecoresque dedisse
Accuser versus, ad vestrum stare tribunal
Maluerim; tanti est istâ cecidisse sub vrnâ,
Damnarique adeò vestris, solatia ducam
Iudiciis: pluresque Latino in crimine fratres
Præside cum Henrico simul & cum patre sedere,
Nec leges prohibent, nec vos hæc causa recusat.

Digitized by Google

AD ILLVSTRISS. VIRVM D.D.

HENRICVM MEMMIVM, EQVITEM, SACRI CONSISTORII COMITEM, SVPREMI GALLIARVM Senatus Præsidem, &c.

SYLVA.

ME quoque iactandum magni libasse fauorem
Memmiadæ, cœlum quo curia præside tãgit,
(Si tamen abiecto est vnquam speranda poëtæ
Posteritas) aliquo testatum carmine liuquam.
Ingenium, fateor, non est, nec gratia venæ
Vlla senescentis, licet hæc quoque suauior esse
Debuit, & tanquam morituri cantus oloris
Sequanicas mulcere noua dulcedine ripas.
Incusare deos, nec sat virtutibus æquæ
Fata tuis, restat, quæ testes dotibus istis
Inuidere pares: æui non ora prioris,
Non eadem magnis indulgent tempora rebus.
Iamque tibi reddendus erat, qui nomine totum
Reddis auum, Phœbæa ingens Passertius arte:
Nam vestri pars ille fuit non vltima census;
Deest meritis tuba tanta nouis, hoc scilicet vno est
Quæ tutas in opes & in altos crescit honores,
Pauperior nunc vestra domus. sudare nepoti

Digitized by Google

Si ſinerent hunc ſicut auo non reflua curſu
Tempora præcipiti, & rerum immutabilis ordo,
Memnia victuris gens iret in aſtra Camœnis.
Non adeò vaſto committere vela profundo
Fert animus, ſummâ conſiſtere cautior orâ:
Et ſat erit, mea ſi tibi non ingrata voluntas
Obſequiique fides excuſet cætera fati
Damna mei, laceræque oſtendens vulnera vitæ
Sontica ceſſantem me purget crimine cauſa.
Sed tamen vt nobis non ſit facundia, non es
Tanta ſonaturum, cunctorum ſenſibus hærent
Iamdudum, & clarâ res ipſa voce loquuntur.
Sufficiet, laudum ſi quis volet ampla tuarum
Luminibus ſpatia & ſolo tranſmittere viſu.
Hîc tua ſe ingenti pandit mihi gloria circo,
Et magnis hominum ſumptas moderaris habenas
Plauſibus, inſiſtiſque volantes arduus axes.
Vix tua carceribus ſe primùm effuderat ætas,
Ilicet alterum metas attingis honorum,
Pérque gradus omnes ardens tibi purpura ſurgit.
Tu mihi maturus primæuo flore ſenator
Occurris, linquens idem ſubſellia patrum
Conſcendis cupida mox prætor in vrbe tribunal,
Publicáque, inuectus curru præfectus ouanti,
Tecta ſubis, frænos vrbiſque forique capeſſens,
Te tutore tribus, te gaudent iudice leges.
Ille magiſtratus, cuncta hæc moderamina, quantum
Oſtendere virum! nec frons perfricta negauit
Inuidiæ, nullúsque hominum conſenſus in ora
Maior iit, clari ſemper præuerterat annis

Digitized by Google

Majeſtas meriti, cùm te præſentibus, omnis
Vox populi, maiora quidem meruiſſe, manere
Spes etiam auguriúmque foret, nec præmia tantæ
Virtuti deerunt, niſi fallunt pectora vatem
Præſcia venturi. tibi non inuita laborant
Sidera, cunctorum nec ſol, mihi crede, dierum
Occidit. hoc quamuis animo tibi ſufficis vnus,
Nec rerum fumis, nec mens innixa caducis
Abdita rimari ſophiæ penetralia, noctes
Atque dies iubet, ac impendere libera libris
Tempora, nec major ſedit tibi corde voluptas:
Aduenietque tempus, cùm nullo hæc otia poßis
Carpere momento, manibúſque excuſſerit iſtas
Delitias, rerum incumbens tibi publica moles
Sæpè recuſanti, fruſtráque erepta volenti
Amplexu ſtudia, & dulces retinere Camœnas.
Tunc te ipſo cuperes minor eſſe, minorve videri
Vt quis de triuio, nolles quoque forſitan eſſe
Memmius: vſqueadeò non paruo gratia Diuûm
Conſtat, & obſcuræ ſua ſunt ſolatia vitæ.
Interea celſa tecum reſidère curuli
Aonidas, quæ te paßim comitantur euntem
Et premere inſtrato das aurea lilia panno.
Cui potius Phœbi chorus aſſurrexerit omnis
Quam tibi? docta cohors animo quem cuncta capaci
Complexum, ditique adeò ſtupet ore loquentem?
Si cui Cæſarei eſt vel ſola ſcientia iuris,
Cui vel Pœonias indulſit Delius artes,
Cuique voluta diu diuinis pagina libris
Numen adoratum, & cæli penetrale recluſit,

Digitized by Google

Iam voti reus est, & laude quiescit in vna.
Nulla tuæ menti tantarum imperuia rerum
Cognitio est: Graiæ Latiæque arcana Minerua
Cuncta tenes, non te sophiæ pars præterit vlla
Quæque tot antiquis per retrò sæcula fastis
Historiæ seruant monumenta volubilis æui:
Transit & ad nostros etiam tua cura poëtas,
Nec locus est, solers vbi non defigis acumen:
Verborum rerumque tenax custodia certâ
Reddit cuncta fide, memori si condere cellâ
Collibuit semel, atque penum cumulare sciendi.
Fœlix ante alias & fortunata senectus
Illa tui patris! qui tanta in gaudia viuit
Incolumis, sèque & rediuiuos cernit in vno
Te proauos, generisque adeò præsentia sentit
Incrementa sui, votis damnatus, honorum
Penè satur; quamquam consulta ad regia semper
Aßidet, & princeps ab eo sententia manat
Viuida, sub nostro est alterq. Agamemnone Nestor.
Quis pater est, cui sic blandi indulgentia cœli
Natorum dat iura trium? tu fratribus, ille
Prole sua fœlix: iam nulla potentia vestræ
Æquetur, toga vestra triceps non cesserit armis
Tergemini quoque Geryonis: quæ regna vel vrbes,
Vnanimes eadem firmat concordia fratres.
Atque equidem noui quanto tibi certet amore
Clandius Adriacis nuper legatus ab vndis,
Quem Venetus toties Marci mirante Senatu
Audiit orantem, dum tempestatibus actæ
Italiæ, & trepidis profert accommoda rebus

Digitized by Google

Consilia, aut motus animorum, ac æmula regum
Ingenia, & sumptis ibi causas explicat armis.
Quinque hyemes illic dubio videre morantem
Æquore, nec tenuit nisi rectum nauita clauum,
Bellorúmque minas inter rerúmque procellas
Infractus, motos & ab omni cardine ventos.
Tum quoque Tarpeias patrem qui temperat arces
Conueniens magnis de rebus, pectora mulsit.
Is frater teneris vt te miratus ab annis,
Sat memini, tua quámque frequens extolleret acta
Te cuperétque sequi, & coleret vestigia semper.
Tertius ad Ligerim charæ tibi, Mantua, natæ
Curator nuper, fraternis æmula curis
Pectora, per similem solers exercet arenam,
Consiliique sagax morosæ inclaruit aulæ.
Sed numero, postquàm quartus mihi Mĕmius instat
Obruor: haud vni potui, quî quattuor vnus
Sufficerem? quid si veniant quos educat ille
Filioli, vestræ spes optatissima gentis?
Laudetur Fabiis æquè numerosa propago.
Quòd nisi iam fratres in eisdem lege vetentur
Iudiciis, iussis ire ad diuersa propinquis,
Vna domus poterat, te præside, Curia dici.

Illustrissimorum procerum

MONLVCIORVM BALAGNIORVM ET AMBOSIORVM MAVSOLÆA.

QVÆ monumenta vides procerum, Monlucia genti
Ambosiæ gens mista dedit: matrona superstes
Flos vtriusque domus, & non illustrior ortu
Quàm pietate suâ, non immemor illa suorum:
Iuncta patris, fratris, natique hîc condidit ossa,
Nata, soror, mater, iustumque dicauit honorem.
Dux, pater, armorũ Frãcis, equitumq; Tribunus,
Et tenuit gemini dominus confinia regni,
Dum visum superis. vnum mœstissima natum
Luget adhuc genitrix, animæ quem prodiga virtus
Abstulit, haud alio quàm quõdam vulnere fratrem.
Quæ tot imaginibus splendet, connubia nacta est
Sorte pari, dignas & tanto sanguine tædas:
Nobilitas vna est, vtriusque haud vna mariti
Fama tamen, magnæ diuersa est semita laudis.
Accipiat duplicem à Marte & Pallade lauros,
Matre, viro, nato, toties quæ nomine nobis
Ambosio numeranda venit, nunc Memmia coniux.

Digitized by Google

IOANNA MONLVCIA
HENRICI MEMMII VXOR.

IN proauis, atque in gemina mihi fœdere tæda,
Vtraque nobilitas oris & ensis erat:
Vtra petenda magis (nisi quòd discrimine major
Memmius est omni) plebs dubitare solet:
Ille meo generi radios adjecit, & iham
Nobilior, tanti luce corusca viri.
Ducere fœlicem Deus hoc, me, coniunge vitam
Fecerat, & solido semper honore frui:
Sed dare non potui natos: hoc defuit vnum
Vt caperet fato me meliore rogus.

Digitized by Google

Illustrissimæ fœminæ

IOANNÆ MONLVCIÆ COR.

ALCESTIS illa Memmio Monlucia
Legat marito cor suum, & condi iubet
Vbi sepulcra gentis extant Memmiæ:
Vt quandocunque (quod deos serum rogat)
Fatale tempus addet hunc maioribus,
Meliore, charo, parte iungatur viro,
Suusque quo sit nempe thesaurus loco.
Etiam suum cor habitet. at vir nobili
Pacto vicissim par pari reddens, suum
Dabit inferendum corpori cor coniugis,
Vicum ad parenti quæ iacet cognominem,
Monluciorum quâque gentili tenent
Monumenta fano, filium, matrem, patrem,
Fratres sepultos. æqua permutatio,
Sanctique amoris sancta sit merces amor.
Sic decuit illos agere, sic pulcherrimo
Negotiari cordium commercio:
Est gloriosa nec vetatur legibus
Venalis illa coniugum concordia.

Digitized by Google

Ad Eminentiss. Cardinalem

D. IOAN. ARMANDVM PLESSIVM DVCEM RICHELIVM, &c.

Hostifugium, SIVE Gratulatio.

SI tibi fata darent stabili sulcare sereno
Æquora, nec sæuis interdum concita ventis,
Verrere inoffenso prohiberet cærula cursu,
Tempestas: non ars adeò manifesta sedentis
Ad clauum, non vis animi spectanda veniret
Tam præsens, tantæque foret data copia famæ.
Ecce leuem, obsequij fortuna oblita prioris
Penè ausa est mutare fidem. dum vela secundo
Das pelago, subiti violentior impetus Austri
Incubuit, placidumque diu insidiosa repentè
Carceris Æolij turbarunt agmina pontum.
Hic sua se constans & turbine territa nullo
Expediit virtus, & per vada cæca, per æstum,
Arte gubernator mira, super arduus instas
Fluctibus obnixus tumidis, rectámque carinam
Neptuno mirante tenes, ingentia donec

Digitized by Google

Murmura, & insanæ desæuiit ira procellæ.
Macte, heros, flantem qui reflantémque peritus
Alterno toties claui moderamine flectis
Fortunam: sed nec curarum desine, nec te
Instaurare nouos pigeat pro Rege labores.
Maturare fugam, nostra vt conspexerat arma,
Hispanum, & totis Somonæ decedere ripis
Vidimus. huic animum captos defendere muros
Nil veniens firmauit hyems, nec tempora veris
Expectare datum est, & longùm incumbere rapto,
Sed cita deprendit ponendæ infamia prædæ.
Degeneresne feræ sopitum impunè leonem
Tentassent? hominum conflata apparuit ingens
Colluuies, dispar animis & dissona linguis,
Queis Scaldis Sabísque diu squallentia victum
Arua negant: non spes aut pulcri gloria martis,
Sed rabies ieiuna trahit: versata iuuencis
Iugera, maturas & nostro in limite messes
Non aliter densis quàm nubes fœta locustis
Inuadunt: metus exoritur discrimine maior
In populos. sed vbi cecinerunt Gallica signa,
Proripuit nostris messor se exercitus aruis,
Nec totus: námque & rari rediêre manipli,
Haustáque per varios periit pars maxima casus:
Hos ferrum, hos populata lues, hos terror adegit
Nondum depastas etiamnum linquere Corbes.
Res salua est: vacuis nisi quòd tam læta colonis
Spem mentita seges: pecoris minor angit abacti,
Scilicet vnius tantùm iactura Capellæ
Pastores: sed & illa suo (mora parua tenebit)

Digitized by Google

Restituenda gregi, nec cura hoc certet inani
Pan ouium custos, quo non præsentius vllum
Numen, in attonitos horrorem immittere Belgas.
Nec recipi tanti est rigidæ sub frigora brumæ
Quod tenet extremos Castellum ignobile fines,
Et capto iactat stolidè se turgidus hostis.
Hoc iter armorum sed non opus esse suorum
Dignentur Galli, cùm feruida signa mouebunt
Continuò post ver natum Zephyrósque tepentes:
Paruus & inde suo Scaldis conterritus ortu,
Festinans, pauidis venientum nuntius ibit
Aduaticis. nunc hos æquum est differre labores.
Sat Marti famæque datum, quòd tertia Luna
Expulsum cunctis deiecit pontibus hostem,
Et gemini magnis arcetur fluminis vndis.
Parte alia irrupit dux Noricus, agmina secum
Mille trahens, totásque adeò Germania vires
Effudit: dat iter, Rhenúmque immittit apertum
Olim sponte odiis in nos immanibus ardens,
Et nunquam fidus quamuis in pace sequestrâ
Sequanus: ira recens etiámque tumentia corda
Sollicitat, veterésque mouet vindicta furores.
Atque vbi Lingonicum montem, & surgentia cœlo
Mœnia nequicquam vidit procul, omnia circùm
Per loca Germanus ferro bacchatus & igni
Æduæ regna petens, retrò vestigia torsit.
Hæc auiæ matrisque suæ, rex sanguine cretus
Austriaco, sed iuris inops, it semper inani
Hæres possessum titulo: quæ Noricus ausus
Despondere sibi, si quo fortuna potiri

Digitized by Google

Ponte Araris, paruámque extremi limitis vrbem
Expugnare daret: sic tutis posse morari
Victorem hibernis, securáque claudere terga
Sequanum, & antè duas, vnam se reddere, gentes:
Vt bellum facile & partes sit liber in omnes
Impetus, & subitura iugum vicinia nutet.
Talia conantem nostrorum exercitus armis
Occupat, & multa triplex indagine cingit.
Nec iam municipes quos verberat, vrbe recepto
Præsidio, cedunt, sed se in pulsantia muros
Tormenta, inque hostes, strata per aperta ruina
Obiciunt: pulcrâ patriam stat morte tueri.
Tum non lentus Arar socias quoque concitat vndas,
Et coniuratos accersit fontibus amnes
Subiectum in campum. sensit temeraria cœpta
Noricus, & magna tremefactus clade refugit.
Ipsa suis etiam conuulsa Hispania nuper
Sedibus, insuetum per iter descendit ab oris
Flauiobriga tuis, nostri se littora propter
Oceani ostentans, inopino & marte refusa
Vasconas in pagos: dubium, num certa per omne
Oppugnare latus nos venerit, an mage regna
Gentibus vt raris habitata, parìmque frequentes
Dissimulet populos. resides non sponte dederunt
Nomen in arma viri, delectu exhausta laborat
Bætica; Callaicus vix toto est vnus & alter
Agmine, vix Astur numeros aut Cantaber implet.
Res dura tantùm stimulant, cunctisque manere
Triste domi, quoniam sordent malè pinguia culta,
Obseditque inimica suas penuria terras.

Digitized by Google

Non Mars ista sinat prædari Gallicus arma
Longiùs, aut iustis in nos procedere castris:
Sed vanas gentis strepitus, atque irrita venti
Orsa ferant celeres, oppresso in limine bello.
Sic qua Phocæos ausa est inuadere portus
Classis, adhuc mediis ceu naufraga fluctibus hæret;
Infesisque hostes scopulis, ex aggere saxi
Deserti, frustrà Antipolim, nec littora longè
Massiliæ cernunt: rident vt in æquore merges
Stœchades, hóque infra Rhodanus procul ostia pulsat.
Mille supra, saluo, iam sexcentesimus annus
Et cum terdenis aperit se septimus, orbi:
Auspiciis ineat lætis, precor: aurea mundum
Pax renouet, motas Europæ & leniat iras.
Fausta super denis ô septima currite secla
RICHELIO, *& vestras vltra transmittite metas*
Incolumem: terris dum prospicit ille marique,
Pacis agit curas sacrato concolor ostro
Frater, ab æterna reducem quem sede Quirini
Expectat cupido famosa Colonia Rheno.
Hinc orbis speranda quies, hinc omnia pendent
Fata hominum: vota ipsa facit, bellúmque perosa.
Iampridem, optata per eos si numina donent
Pace frui, sua se debere fatebitur olim
Otia, germanis Germania tota duobus.

Digitized by Google

Ad Illustrissimum Virum D. D.

PETRVM SEGVIERVM FRANCIÆ CANCELLARIVM.

DE

ANTONIO SEGVIERO PATRVO, DVM VIXIT Senatus Præside.

IDYLLIVM.

QValiter aërias intrat quæ vertice nubes
Arbor, & ingentes expurrigit vndique ramos,
Conspicuum nemorum decus est: properata viator
Indigenæque omnes ad eam vestigia sistunt,
Ardua tollentem toto fastigia luco,
Mirantúrque apices: tum si quis in abdita rerum
Naturæ studio penetrat magis, arboris altas
Radices reputat, quæ tantùm in viscera terræ
Descendunt, superas quantùm ipsa assurgit in auras.
Te super euectum priuatæ culmina sortis,
Frœnáque sanctarum moderantem credita legum
Suspicimus SEGVIERE, *tuæ qui gloria gentis,*
Qui supremus apex: tum queis radicibus ista
Ad cœlum tantæ frugis se sustulit arbos;
Vtque patri, & patruis, & nobilitate verendo

Digitized by Google

Debueris generi tantarum ſemina laudum,
Scire iuuat. ſedenim ante alios ANTONIVS *omnes*
Poſterior fatis, noſtroque nouiſſimus æuo
Ereptus, magnis vita nos detinet actis.
Ille pater patruúſque tibi, quo præſide præſes
Naſceris, orbatam tibi qui genitore iuuentam
Atque tuo fratri, per auitos duxit honores
Sollicitus tutor: donec maturus vterque
Illius occaſu, ſimul emicuiſtis in alios
Heroûm tractus, & tu ſuper æthera, phœnix.
Intempeſtiuo ſed ne nos carmine quiſquam
Sollicitare putet manes, aut ducere ſeras
Exequias, decimo ceu nondum eluximus anno.
Non ætatis ſenio, carie nec temporis vlla,
Marcida tam claræ virtuti obliuia ſerpunt:
Sed memores tenet vſque animos, ſeſeque recenti
Semper flore nouans, æternum ſpirat odorem,
Et rediuiua ſuo maior de funere creſcit.
Quid primum herôis tanti mirerve ſecundum?
Iuſtitiæne priùs varios pro Rege labores,
An quanta ſtuduit cœlum pietate mereri
Eloquar? ille quidem liber, nec vincula tædæ
Nouerat, & nullis ſe voto obſtrinxerat aris:
Sed rigidus recti cuſtos in cœlibe vita
Caſta per auſteros traduxit tempora mores,
(Sic ſecum pactus) totóque excluſa voluptas
Limine plorauit, iuſſúſque faceſſere luxus,
Inque vicem ſubière labor, ſtudiúmque, precéſque
Et partita ſuas erandi certa per oras
Officia, Aſtrææque: grauem ſe præbuit vno

Digitized by Google

Censorem exemplo, sed nulli durior vnquam
Quàm sibi: sponte omnis domini domus ibat honestas
In leges, validos & heri reuerentia frœnos
Sola dabat, sanctæque suis imitamina vitæ.
Ille Sophos dudum veteres, doctúmque Platonem,
Socrticámque domum scrutatus, & omnia veri
Scrinia, doctrinæ largo ditauerat haustu
Ingenium: quoties manantia solueret ora
Flumine inundanti, fisci patronus, ad aram
Astræa, curuis mirans circumstetit vndis
Sequana dicentem, necnon qui pinguia lambens
Culta Liger, tumido ripas super aßilit amne,
Illuc vt Regis iussu transtata Senatus
Lumina, & è tanto conuenerat ordine quisquis
Non exúl, sed erat damnatæ transfuga sedis,
Atque rebellanti sese subduxerat vrbi.
Verùm vbi discussa est paulatim insania cæcis
Ciuibus, Hispanæque artes patuere dolique,
Victor & Henricus pariter regnique, suique,
Ad veros superûm cultus conuersus & aras,
Iam causæ causam victæ præciderat omnem:
Tunc licuit remeare domum, post tempora lustri
Vnius; amissosque recepit Sequanu fasces,
Et vidit reducem sedes antiqua Senatum,
Nec Themis auratis successit vt hospita tectis.
Hactenus orator solitus defendere Regem
Regius, & toties responsa refellere falsa
Iure super regni, contra tot partibus emptos
Hesperiæ geminæ, legis sine lege peritos,
Et de Tarpeiis exorta oracula Delphis;

Digitized by Google

Munere mutato septem inter sidera praeses
Sedit, vbi natu maior germanus habebat
Eximiam Petrus sedem, quae proxima prima,
Et duo tam clara radiarunt Pleiade fratres.
Quaeritur interea Venetam legatus ad vrbem,
Patritiósque adeò, quos Rex maiore colebat
Affectu, quòd erat nuper prohibentibus ausa
Nequicquam Hispanis, se prima agnoscere regem
Ex omni Ausonia, ditio: nam fœdere regno
Gallorum iuncta, & rebus sua commoda nostris
Olim mixta videns, & quo molimine dira
Factio, tentaret labefacti euertere regni
Iura, Valesiaca post vltima funera gentis;
Dissimulare caput vel non agnoscere rerum,
Momento nec sustinuit, liberque senatus
Legitimo haeredi certas adscripsit habenas
Indocilis falsi. nimirum prodere causam
Nutantis regni per iniqua silentia, visum est
Consessu indignum Veneto: vicinia quamvis
Reclamans Fidei obtentu, Tiberisque minaci
Assultu fremeret. fauit regnator Olympi
Decreto, rebus Francos miseratus egenis,
Ergo nec immemorem soeiis ANTONIVS *ire*
Testatum iussis Regem, fœdusque tueri:
Munere legati vt diuturnis gentis amicae
Hospitiis aleret studium, affectúmque teneret.
Ille grauem cepit morum granitate senatum,
Consiliis nam pondus inest & gratia dictis,
Et comes his pietas: nullum per cerula Marci,
Per liquidam passim regionem, vrbisque canales

Digitized by Google

Latior exigua circumtulit Adria cymba:
Aduĕtum Alcyonum, quacumque adremigat alnus
Esse putes, sterni maria, & mitescere fluctus,
Atque serenari nubes, & ponere ventos,
Vsqueadeò actorem pacis norúntque colúntque.
Inde per Eridani populos ex vrbe natanti
Ad solium Astræa, rursúmque ad sacra reuersus
Intermissa diu, stabili stetit ordine præses
Laudarique bonis meruit, prauisque timeri.
Cætera pars vno est vita transacta tenore;
Viuebat sibi parcus opum, succurrere largus
Pauperibus, quorum propior quàm sanguinis illi
Cura fuit: vitæ mensura angusta merendi
Visa nimis, voluit miseros post fata leuare,
Et sua venturos benefacta extendit in annos.
Hoc inopum tanto fundata colonia censu
Plurima testatur, puerique parentibus orbi;
Quæque in virgineis ætas immoxia septis
Manibus æternum sanctis obstricta, precatur.
Iamq; istota domus, iam fratrũ quinque superstes
Vnus erat. Prætor de quo nunc tanta resurgunt
Nomina, quique suæ genti fastigia ponit,
Iampridem vrbanas inter, sua stamina, curas
Finierat vitæ, teneros in limine natos
Ætatis primæ, desideriumque relinquens
Ipse sui, & magnum gemini tum pignus honoris.
Inde alios fratres ANTONIVS *extulit, & se*
Funere maioris, titulos iàm præsidis vnum
Ferre domum indoluit. tum sacram antistes ad ædem
Virginis, & summi pars idem magna senatus

Digitized by Google

Frater obit: aliusque etiam qui rector aquarum
Et nemorum, dignas curabat Consule siluas.
Extinctis tot luminibus, generisque domusque
Nobilitas vna stetit inconcussa columna,
Impleuitque vices cunctorum, & quattuor vnus
Suffecit fratrum curis, dum fata sinebant.
Quorum ritè memor soboles & filius omnis
Ad patrui cinerem, flores & lilia portet:
Nec priuata, domus, nec damna Astraea queratur
Publica: quinque sibi quod fratrum morte dolebat
Exhaustum, iam sors virtusque reponit vtrique
Largius. en pleno domus alta quiescit honorum
Solstitio. capiti sacro quod & infula velat,
Purpura debetur. solito quoque lumine fulget
Curia, dilectum renouans in Praeside nomen.

DE DVOBVS PILEIS CARDINALITIIS

EPIGRAMMA.

NOn solita Hispanus tegitur non casside Gallus
Pileus his bellis armat vtrumque caput:
Pileus at longo discrimine distat vterque,
Pileus Infantis ille, sed iste Viri.

Digitized by Google

Belli talio, & Landresij cum Castello & Capella comparatio.

Limitis Hispanus duo diuersoria nostri
Occupat: ingratus non tamen hospes erit
Landresio cedit nobis, & mutua præbet
Hospitia: vtque suos nôris vtrimque locos,
Desit aqua Hispano munimina parua tenenti,
Et bibitur sicco pigra lacuna solo,
Sabis potatur nostris, & plurima viuo
Hannoniæ sedat vena liquore sitim,
Vrbs pro castello est, próque vna, pingue, capella
Armentum: iustas quis neget esse vices?

Landresium alloquitur Cæsarem suum.

POsse capi, captam me rursus ab hoste tenêri,
Vique tua recipi nec potuisse semel
Non tantùm quarti iactura est ista Philippi,
Dedecus est famæ, Carole quinte, tuæ.

Aliud.

BIs capta est Francis armis vrbs Sabis ad vndam,
Ingens præsidium limite, Belga, tuo.
Quantus honos! nobis nam defensoribus olim
Austriaci scopulus Cæsaris illa fuit.

Digitized by Google

Apologia Lãdresij, quòd paucis diebus capta sit à C. Valetâ, Candalâ & Mileræo.

NOn pudet, & paucis fuerim cur capta diebus,
Si nescis, horum vis fuit arsque ducum:
Diuisi poterant euertere talia centum
Oppida: laus mihi sit succubuisse tribus.

De C. Valetâ & Candalâ fratribus.

SIc tandem fratrum virtus germana duorum
Affulsit rebus, Gallia fessa, tuis
Vt super, insanis Neptuni fluctibus actam
Ledæi fratres cum micuere ratem,
Par insigne ducum est gemini tibi Castoris instar,
Dissimiles geminis res tamen vna facit,
Quòd non alterna redimetur mortua sorte
Viuet at amborum gloria tota simul.

Capella.

PAn benè consuluit pecori, grex integer vt sit,
Erepta est auidis nostra capella lupis.

Locata.

QVas elephas Indus, Lybici tremuêre leones,
Vires Hispanas parua moratur anas.

Aliud.

AD CRITICVM.

RVstica cortis anes melius me fœmina nouit,
In specie, non re iam meus error erit.

Digitized by Google

Nec refert an anas an dici debeat anser,
(Vasconica similis voce fefellit auis,)
Esto sed vtrumvis: auidus ne gustet Iberus:
Nunquam tam crudos concoquet ille cibos.

Aliud.

MARTIVS *est Narbo, vicina ex arce facesse*
Si sapis, hîc gratis non habitare datur,
Conducenda domus, cui non est propria: grandi
Hanc mercede tibi Gallus, Ibere, locat.

Breda.

QVATTVOR *inuitis captam sibi regibus vrbem*
Spinola iactabat, non tamen absque mora:
Absq; mora, quarto cùm rursus adempta Philippo,
Rex quartus, quantum quattuor, ille dolet.

Castellum.

EXIGVVM, *cùm tot munitas ceperit vrbes,*
Castellum veteri nonne patebit hero?

Milleræus magnus rei tormentariæ Magister.

OMNIBVS *ingeniis, Sophiáq; potentior, vrbes*
Fulminat, & magni est armiger ille Iouis.
Promere quam nouit, ratio est hæc vltima regum,
Fata quoque inueniunt hac ratione viam.

Digitized by Google

VIRI NOBILIS PETRI PASSARTII PARISINI, EQVITIS, in prouincia Franciæ quæstoris TVMVLVS.

MASSILIÆ iaceo, domina qui missus ab vrbe
Hîc ego Phocæo littore Quæstor eram.
Festina nimium desideror aduena mortis,
Et me Quæstorum regius ordo gemit:
Sed fratris lacrymæ facient mihi funus acerbum,
Quique secuturus mox mea fata dolor,
Ille breui, reducem spe fratrem expectat inani,
Ad superos pro me fors quoque vota facit:
Officiis & amore pio certauimus ambo,
Concordes animi, gratia summa fuit.
Alter & alterius timuit sic esse superstes,
Vt nato genitor non superesse velit:
Hîc mea dum Regi, Regis sua tempora fratri
Ille dat; abfuimus corpore, mente simul:
Inuida, si cuiquam scires ignoscere, tantus
Parca tibi fuerat non dirimendus amor.
Ob sibi dilectum iuuenis Phocæus Orestem,
Nobilis affectus nomen in orbe tulit,
Nacta meos cineres Phocæa colonia, rarum
Fraterni exemplum nos & amoris habe.

Digitized by Google

RODVLPHI MAGISTRI nobilis filiorum Franciæ Archiatri EPITAPHIVM.

AVo, *patrique proximus cubat, longa*
Tandem senecta, sed vigente consumptus
RODVLPHVS. *ortu nobili Magistrorum,*
Capessere arma potuit aut magistratus:
Natura sed eò flexit, vt salutaris
Vsu medendi, principes apud, princeps
Clareret artis, & repelleret mortes.
Quid nobilius est? & sui propagator
Generis Rodulphus, hic sepultus accessit
Auo patrique tertium Nepos stemma.

Digitized by Google

Ad Eminentiss. Cardinalem D.

D. IOAN. ARMANDVM PLESSIVM DVCEM RICHELEIVM, &c.

ARA LVGDVNENSIS, siue AVREOLA ALPHONSI FRATRIS.

Calend. Ianuar. anni 1639.

IANE *redux, cui tot repetitos secula menses,*
Omniaque annorum debent exordia fasti,
Ingredere, & nobis non irrita suggere vota:
Si dextrum numen regi regisque ministro
Poscimus: vtque nouus currat fœlicibus annus
Auspiciis: vtque ambobus Deus alta secundet
Consilia, & quæ sunt alternæ gaudia sortis
Hactenus, æternum seruent stabilita tenorem.
Bina super rutilo stellati vertice cœli
Dolia sunt, & plena tument, hoc prospera terris
Continet, hoc aduersa: Deus dispensat vtrumque
Haurit & hinc illincque: minor mensura bonorũ est
Et parca iacit illa manu: sed copia maior

Digitized by Google

Alterius generis, quoties mortalibus ille
Infensus, crebras flammata vindicat ira
Offensas, largoque malorum depluit imbre.
Suauius ista Deus miscet, dum diuidit orbi
RICHELIVS *curas, & partem occurrit in omnem*
Hostibus. ex vilâ tenuit quam limitis arce
Hispanus nuper, totáque eiectus ab ora,
Finibus in nostris vbi iam vestigia figat
Non habet. annorum nihil huic valuere duorum
Adiectæ moles Castello & plurimus agger,
Non tulit irati vim fulminis: ocyus omnes
Quassari turres, sensitque dehiscere terras.
Æmulaque irrupit propius spectante iuuentus
RICHELIO: *certas virtus hoc teste probari*
Et præsens fulgor radiati muricis vrget.
Quòd si, vt consilio, sic tot quoque partibus, heros
Corpore sufficeret: iam victrix Gallia posses
Illius ante oculos, mundumque, videre, incentem,
Atque vrbes ruere, atque altos subsidere montes.
Ergo importuno iam liber ab hospite Gallus;
Non ita terrarum prædo, geminaque tenetur
Compede vinctus Iber: nobis duo pignora restant
Martis, & ereptas vrbes, hinc Sabis ad amnem,
Illinc intratis, Mosæ trans flumina, sylvis,
Germano & Belgæ limen per vtrumque vaganti
Fræna damus. nec sola tamen compendia belli.
Hæc superat: adde Austrasiam, tres adde Tabernas,
Cætera quæ Rheni propter sunt oppida ripas,
Et Rhenum, Francis iam progredientibus vltrà
Non indignantem stratos à Saxone pontes;

Digitized by Google

Saxone, quem stimulat proaui spoliata superbis
Magna domus titulis, & adempti iniuria regni;
Et nunc Austriacis inimica nepotibus arma
Indnit, & Francis, vltro implacabilis hosti
Militat auspiciis, munitamque abstulit vrbem.
Adde moræ spatium semper victricis, & hostes
Auxilio toties missos, totiesque repulsos,
Captiuosque duces, commissaque marte secunda
Prælia: Sarmatici tum fratrem regis adactum
Littoribus nostris, Ligurum dum nauigat æquor,
Miles & affines transit longinquus ad Austros
A Boxea, tumida iuratum in nomen & arma
Hesperiæ. nec se nullo iactauerit æstas
Vltima præterea successu, aut vna recepti
Gloria Castelli fuerit: terraque marique
Cessatum nusquam. vidit Neptunus vtroque
In pelago, quâque is terras circumfluus ambit,
Quâque secat medias, Hispano sanguine rubrum
Marmor, & in mediis hostem bis vicimus vndis;
Disiecta latè classes, pars hausta profundo,
Pars capta, & geminis seruantur rostra trophæis.

Hic aliud, maius quo secula nulla tulerunt,
Accreuit Francis, dominum cùm fœta secundum
Regia, prælustremque habuit natalibus annum
Delphini. lux illa omni certauerit æuo,
Qua superi lumen, spemque hanc ostendere terris
Dignati, tantoque labantem pignore mundum
Asserere. hunc ortum propè conspirantibus astris
Et Virgo, & iusta excepit vicinia Libræ:
Vnde iterum pacem fas & Saturnia regna

Digitized by Google

Sperare, Astraeque dari reuocabile numen.
Et nunc si qua manent saeui vestigia martis,
Iacturaeque graues, fortunarumque ruinae,
Delphini vna dies sat talia damna rependet.
Absurdum sit parua queri: pestisque famesque
Et duri rerum casus, hominumque labores
Hac mercede placent. iam Rex noua nomina laetus
Accipit: haud sat erat populi plaudentis ab ore
Esse patrem patriae, dedit & natura vocari
Vera prole patrem, dedit & sua gaudia matri:
Quamquam eanec soli gaudent sibi tota parentes,
Publica sunt, quoniam est votis communibus Infans.
Cunctorum, sinctas, hominum, impetratus ad aras.
At tanti partus ab amicâ nuntius aulâ
RICHELIO, *iussus Zephyros praeuertere cursu,*
Adnolat. ille datum terris regnique, suique,
Haeredem exultans, grates coelestibus actum
Ad delubra, duces procerescque ex more vocauit:
Et castra, & festis accendi compita iussit
Ignibus: oblata fuerit quis denique sensus
Laetitiae, ipse tenet, qui mox discesserit amplis
Muneribus, multoque oneratus nuntius auro.
Credo equidem, insignis virtus & talia rerum
Euenta elicuit pietas, superûmque frequentes
Ambo cultores & Rex & regia coniux
Non expectatum coeli meruere fauorem:
Is pietatis honos, sedenim vt corruperit omnem
Improbitas vitam, & vitiorum plurima pestis,
Insistatque pij rarus vestigia regis:
Tanta tamen non est lapsorum infamia morum,

Digitized by Google

Nec deplorati tam fœda licentia secli,
Vt non à vitiis, aliqua virtute redemptum
Emergat, priscæque etiam miracula famæ
Prouocet; est aliquis de multis millibus, omni
Illæsus contage, & tanta in nocte nocentum
Qui micet, atque facem mediis attollat in vmbris:
Nec procul est, prius indictus, noua sufficit, heros
Dicēda, & magnum mihi carminis addit honorem.
Audiet ARMANDVS, *propriis gentilia iungi*
Si patitur decora, & consors non esse recusat
Praternæ laudis: dum Belgas cominus ipse
Territat, & Morini venturum & Neruius horret;
ALPHONSVS *quibus interea pugnauerit armis*
Ad Rhodanum frater. nulli victoria maior
Contigit, & cunctos vna est prægressa triumphos,
Sydera ceu distant terris, æterna caducis.
Quamuis tantarum decoret te gloria rerum,
Et priscis maiora, & non æquanda futuris
Gesseris, & totum tua fama impleuerit orbem:
At fulgore alio tibi non ARMANDE *secundum,*
Et pietate parem non indignare, tuaque
Cum venia, sine me tecum committere fratrem.
Lentus Arar celeri Rhodano quâ flumina miscet
Insolita cœli tabe & feralibus Austris,
Vrbem corripuit populosam exorta repente
Dira lues, rapidoque anni desæuiit æstu.
Tristia per vicos crebrescere funera ciues
Attoniti mœrent; humanique irrita cessit
Iam penitus spes auxilij, & vis sæua per omnem
Ætatem ac sexum, medicis mussantibus, errat.

Digitized by Google

ALPHONSVS, miserante Deo, qui pastor ouili
Huic datus est, vrbem nusquam in discrimine tanto
Linquere sustinuit, mediaque in strage cadentis
Constitit intrepidus populi, non parcere vitæ,
Non opibus certus, si qua succurrere plebi
Afflicta, & seruare animas & corpora posset.
Illum sæpe agros in aperta peste iuuantem,
Vadentemque inter multa confinia mortis
Grex suus obstupuit, quodque æquis cernit ab alto
Tam pia facta oculis, meliori scilicet aurâ
Et circumfuso consepserat aëre numen,
Vitalique viri præcordia fouerat igne.
Iamque casas inopum lustrare adtesqua iacentis
Sollicitus, cunctis & plurima spargere morbi
Subsidia, & victu recreare & veste recenti,
Illunie infectos: lethi securior ibat
Contemnens terrena, & cœli incensus amore,
Largus opis præsul. non ille pericula cautus
Eminus adspexit, (fragilis quod in omnibus ipsa
Natura excuses, fortunaque tanta requirat)
Nec longè vitans hominum consortia, laxis
Porticibus latuit, spatiosive ædibus horti:
Sed circa artificum vulgus, tenuisque caduca
Mercis, & angustas, qua plurimus institor, iuit
Sæpe vias, tota cen fata lacesseret vrbe:
Quinetiam hospitium miserorum, & olentia tecta,
Ægra valetudo quibus illætabile nomen
Imposuit, sancto flagrans ardore petebat:
Pulsanti haud patuere fores; vrbs tota reclamat,
Atque vetat tantis caput obiectare periclis

Pontificem: hoc vno pietas est summa negati
Obsequij, maius crimen parere fuisset:
Et tamen his maiora adiit. duo namque propinqua
Morte sacerdotes cella in squallente iacebant,
Nondum confessi maculas: optantibus illud,
Pro se quisque timens, nemo non ferre refugit
Auxilium: at miseras animas quas forte dedissem
Exitio in seram dilata piacula noctem:
Formidata audax intrauit limina præsul,
Soluit & arcanis fassos sua crimina verbis:
Nec timuit, sibi ne morientum, inamabile virus
Spiritus halaret, seque vno inuolueret Orco.

Quis Lugdunensem præsul facturus ad aram
Ibit in exemplum non toto pallidus ore?
Hos animos ætas herôum in præsule forsan
Viderit, at nostris dudum est incognita seclis
Contemptrix lucis pietas & cura suorum.
Vsqueadeóne homini fortunæ in culmine summo
Aut blanditus honos, aut arridentia fata
Induerint nullum vitæ præsentis amorem?
ALPHONSVS *non hæc aliis imitanda relinquit*
Sed miranda magis. quis talia bellicus æquat
Audentem Maiors? nisi rerum vana secuti
Decipimur: non sic acies & classica terrent:
Nec tantùm feriunt oculos ferrumve cruorve,
Quantùm, pestiferi cùm præsens vndique lethi
Circunstat facies, & inermi funera campo
Hostibus absq; iacent, & eunt sine sanguine manes,
Cæcaque fata volant, tot operti vulnera teli,
Tot sine cæde neces, & inulta occumbitur vmbra;

Digitized by Google

Signant ora metus, & vbique est plurimus horror.
Contulit huc vires & fortia pectora præsul:
Proderit exemplum: quamuis non detur olympo
Affectare viam pariter, tamque ardua, virtus
Rara volet: tamen inde piis mortalibus aucta
Relligio est, hunc exæquat victoria cœlo.
Fortunatorum par fratrum, vestra potestas
Haud breuibus spatiis conclusa, soloque saloque
Diditur atque polo. germana purpura lucis,
Et consanguineum sydus, quos fixa voluntas,
Et mos electum qui vitæ insistere callem
Quemq; iubet, vocat ad diuina: sed arma tubasque
Inter, versari, nec amata assuescere bella
ARMANDVM *cogit res Gallica: sponte quietem*
Mallet, at in rerum moderamina poscitur heros.
Scilicet obsequium Regi ille, suamque negaret
Rebus opem, iussus aut detrectaret habenis?
Paret, & in cunctos regni se commodat vsus,
Otia nec carpit, nec tanta mole fatiscit,
Impositumque suis portat ceruicibus orbem:
Herculeis nimirum humeris, Atlante remisso,
Est opus, vt magni sustentent pondera cœli.
Sed non & nullas studiis quoque dulcibus horas
Fallit, & insanum demulcet Apolline Martem:
Tum multa in seros curat monumenta nepotes
Durare, atque domos & mille palatia paci
Ædificans, toto iam penè inscribitur orbe
Fundator. tenuere oculos pendentia lenti
Cœpta operis, nunc accelerant, visendaque surgunt
Atria Sorbona, quæ paucis indiget, inque

Digitized by Google

Laxius hospitium nihilo iactantior ibit:
Namque nec ipsa suos sapientia quærit honores
Fastiditve datos, placet ingens muneris author.
Expectant similes templa & collegia sumptus;
Nec, quæcunque colit doctrina aut hospita virtus,
Munificus princeps, loca non donata relinquit.
Sentit & has adèo duplex Academia curas;
Altera cui patriæ melior facundia linguæ
Creditur, affuditque nouum tutela decôrem
ARMANDI: *magnotum quæ venit altera censu,*
Flos vbi lectorum iuuenum, ingenuæque palæstra
Flectere equos discent descripti in puluere circi,
Inque arma, & vitæ proludent nobilis artes.
Dij nostras spes esse ratas & vota iubete,
Et seruate diu, tantis duo pilea rubra
Quæ data sunt meritis. germanis fratribus olim:
Et consanguineis simul hic geminatus haberi
Lege vetatur honos. sed grato murmure Tibris
ARMANDVM ALPHONSVMQVE *ciet reginâque mundi*
Roma, duplex iactat fraterni luminis astrum,
Et septemgemini respondent nomina colles.

Digitized by Google

V. C. IACOBO PINONI Theologo & Abbati Condæo.

VIR CLARISSIME,

Quod ingressus iter Genabum, pietatis causa, vt semper anteà consueueras, in latrones incideris, qui te dejectum equo & pecunia spoliatum in pedes destituerunt, ac tantùm non occierunt: res est acerbitatis plena, cùm iacturæ sensu, tùm recordatione periculi. Verumtamen casus ille te admonere potuit, in posterum cautiùs te in viam dare, si quando in Armoricam prouinciam, in Pictonas & Heduos, adeóque proximas Meldas, vbi sacerdotia possides, erit tibi proficiscendum, ne sis nimium, pro conditione temporum, securus. Ego, nescio cuius mali præsagus, cùm tu profectionem adornares, cogitaui non semel te à proposito deterrere, & penè apprehensa penulá retinere ac remorari: quando ne tu quidem nescius eras, vbique vim regnare, ius calcari, ob effrœnem & fando inauditam militum licentiam, omnúmque bonorum res & fortunas, vix intra muros vrbium, & parietes domorum, nedum foris & peregrè tutas esse. Itaque, licet illud iter non voluptatis sed religionis causá tibi susceptum esset, vt ad diem ma-

Digitized by Google

ximè omnium festum & solemnem adesses, idque Deo & hominibus acceptissimum scirem, tamen vt ab eo pietatis officio tantisper cessares, non minus te excusatum iri iudicabam, quàm si torrens aut æstuarium, omnem, qua tibi eundum esset, viam repente intercepisset. Agebam ego annum ætatis vndeuigesimum, cùm recepta est ab Henrico quarto Lutetia, & visus adesse finis bellis sex annorum ciuilibus. audito Regem vrbe potiri, pater me studiorum causa, præproperè Lutetiam amandauit, tumescentibus adhuc animis, & multis vbique partium reliquiis, itavt infesta essent latrociniis itinera, & nullius viatoris salus aut libertas non periclitaretur. Sed quò tutiùs ire viderer, addidit me comitem numeroso manipulo hominum vtcumque armatorum, qui sub custodia reum à municipali iudice damnatum, sed ad senatum, prouocantem, Lutetiam trahebant, plerique omnes vappæ & ebriosi nebulones, omnis consilij expertes ac improuidi, qui cùm vigilandum & iter faciendum esset, benè poti & madidi stertebant, cùm in diuersorio manendum, aut aliò deflectendum, & declinandæ insidiæ, semper intempestiui viæ non exploratæ sese committebant. Sequebar inuitus & æger graui melancholia, solusque esse, & meis auspiciis ire, quàm cum eiusmodi hominum fæce maluissem.

Tricassibus ventum erat prope Nogentum, cùm in vallis descensu, viginti circiter latrones, qui in ima valle occulti decumbebant, in nos atrocibus minis & clamoribus, nec minore impetu, districtis ensibus, catapultis quoque accenso funiculo directis insurgunt atque irruunt. Ij erant milites è vicino præsidio Pontis, vt vocant, Sequanæ, regiarum partium, qui furtim egressi, latrocinatum, transverso itinere, ad tertium vsque lapidem excurrebant, simulantes tamen è castro Theodorici profectos, quod multò longiùs, iter ferè biduiaberat, & fœderatorum partes adhuc fouebat, se iure belli regios persequi. Ergo nos & vehicula & equos ita deprehensos & ad resistendum impares è via seduxerunt in proximum nemus, ne à superuenientes aliqua viatorum turma, ab incœpta spoliatione impedirentur. Ego qui cæteris eminere videbar, indutus pullo amictu, ob aniam meam eo anno demortuam, minimè restitans, trudebar minùs contumeliosè & violenter quàm cæteri, tùm quod reuereri se simulabant me vt propediem sacerdotem & ordinum candidatum ducta ex habitu luctus coniectura, tùm quòd me aliquanto pinguiore præda onustum putabant. Circumsteterunt me omnes, catapultis in iugulum meum intentis, dum vnus eorum me excuteret, cùm interea Sardonium riderem, nihil

timens, & vitæ, ob ægritudinem ac sortem incommodam pertæsus, eorúmque catapultas manu, à vultu meo dimouerem, satis gnarus eos vicissim ex facti conscientia timere, & magis argenti quàm sanguinis auidos esse. Ne te morer pluribus, sexaginta libris Turonensibus me illicò exonerarunt, pallio etiam & aliis indumẽtis quæ triginta aureis minimùm æstimabantur, spoliatum, quod multò durius & damnosius fuit, Nogentum dimiserunt, inde conducta nauicula secundo amne Lutetiam deuehendum, vno hoc erga me quàm cæteros indulgentiores, quod contenti ea pecunia quæ primùm se ad manum dedit, nec me nudarunt, nec ad pudenda vsque, ne quid eos præteriret, excusserunt. Etiam alta pace, & rebus non solùm in Gallia, sed inter principes Christianos vbique compositis, nec peregrinationem carere periculo, idem ego expertus tibi affirmare possum, qui abhinc duodetriginta annis, vsus Tungrensibus aquis ex medicorum consilio, cum Aquisgrano animi causa Coloniam peterem, cum Fabro magnæ dignationis viro, Cancellarij Sillerij sororio, & Bullionis qui nunc summus ærarij præfectus est, socero: in sylua Iuliacensi, parum abfuit, quin vita & viatico priuarer, vno è nostris, qui latronibus obuiis primus ad resistendum properarat, duplici glande

ad vitalia trajecto, ipso Assumptionis die, & Berchis oppido ducatus Iuliacensis, postridie sepulto. Prætereo alia quibus penè puer defunctus sum pericula, vt qui flagrante bello, inter centum sclopetarios equites, ferè omnes populares & municipes meos, non ipse miles; sed tutioris itionis causâ quò tendebam, cum aliquot meis æqualibus, sexaginta milliaria emensus sum, non sine frequenti hostium occursu, velitatione, interdum etiam fuga & trepidatione eorum quibuscum eram, provt alternantis fortunæ sese facies aperiret. Quin & direptionib. vicorum interfui, in quorum vnum dum nostri scalis ascendunt, & ego prope fossam rei euentum expecto, sensi de muro pluere glandibus plumbeis per tenebras, & iuueni propinquo meo quem ad latus habebam, ictu catapultæ crus fractum, vnde diu æger & mutilus decubuit, etiam quod vitæ superfuit claudus. In alium vicum per portam, irrupi cum cæteris, crepitaculo effractam, & insolentis militis in miseros incolas crudelitatem, tristis adspexi. Sed mihi supersedendum est aliis infinitis exemplis, ne minus apud te valere rationes arbitrari videar, qui maximè omnium philosopheris, & benè subductis vitæ humanæ calculis non ignores, vbique naufragium esse, nec dari mortalibus vllum certum aduersus fortuita consilium, multò etiam mi-

tus perfugium, nisi præpotenti Deo fati fortunæque domino salutem nostram enixè commendemus, quem supplex adoro & veneror, vt te sospitem & saluum, omnique honesta laude, & rebus ad animi tui magnitudinem ac virtutem necessariis circumfluentem florentémque diutissimè præstet. Vale Lutetiæ 3. Calend. Iunij.

AD CLARISSIMVM ET DOCTISSIMVM VIRVM Iacobum Pinonem Theologum, Patritium, Protonotarium, Abbatem Condæum, &c.

Epistola extemporalis.

QVamuis sēper erit mora longa absentis amici
Laudo tamē, nactus quòd municipalia sacra
Sorte licet meritis tantò inferiore, reuisit
Sæpius, officiumque boni sic Flaminis implet.
Scilicet omnia plena Deo, suus æquus vbique
Est pietatis bonos, habitant quoque numina syluas:
Et famuli nusquam iusta mercede carebit.
In modico explorata fides, herus ordine clarum
Quem statuet maiore, suamq; admittet in aulam.
Iamq; tenet Genabū Ligeri quod Sequana pignus
Inuideat, captum dum relligionis amore
Sistere se sanctas Pinonem cernit ad aras,

Digitized by Google

Nulla recusantem, quamuis statione minori
Munera militiæ, & cælestia castra sequentem.
Necnon illecebris blandum ridentibus, ille
Captator locus est, Genabiq; haud vna voluptas
Euocat, & dominæ Pinonem surripit vrbi.
Plurimus hic veris decor est, & florida circùm
Delectat tellus, & amœnis flumina ripis:
Tum grauior sæui procul est iniuria belli;
Namque Liger solus pacatis labitur vndis,
Quem medio complexa sinu omnis Gallia cingit:
Du Mosam & Rhenũ, dumq; altas concutit Alpes
Mars ferus, & præceps in nos rapit arma Pyrene,
Cunctaq; in extremi vastantur limite regni.
O! mihi si tali secessu fata dedissent
Posse frui, & miseræ solari incommoda vitæ:
Iamq; velim infando latebras captare dolori,
Et fugere ingratæ ludibria protinus vrbis,
Atque oculum atque aurem duris auertere rebus.
Quamuis infesta nos vrget vbique procella
Horrida tempestas, quicumque Latina secuti
Castra sumus, rerũmq; vices toleramus iniquas
Et coniurati patimur fastidia mundi.
Nec mutare locum melioris commoda vitæ
Promittit, nisi fortè niualibus horrida nimbis
Gothorũm quis regna petat, Cimbrosq; Getasque,
Sarmaticasq; plagas, Romani vbi nobile feruet
Eloquij studium gelidæ sub tractibus Vrsæ:
Nam Romæ friget, friget vel vtrâque calente
Hesperiâ: iam Naso Tomis non fleret acerbum
Exilium, patriam esse putans: postquàm axe relicto

Digitized by Google

Migrauêre feræ gentes, atque aduena Tibrim
Gothus habet, Scythico est quærēda Borysthene Romæ:
Nec Latium in Latio est, nec habent solatia Musæ
Sedibus inuisæ nostris, quas colle Latino
Atque intrà celsos habitare Lutetia mures
Iusserat: en miseras nunc Curia spernit & aulæ,
Et tantùm patriæ miratrix Gallia linguæ,
Seclumque insipiens quæ non intelligit, odit.
Egregias verò laudes heroibus addent
Scriptores vernæ! quorum te, Sequana, carmen
Nusquam transibit, quorum vox peruia vulgo,
Commoumique sonat nostris nutricibus ore.
Attamen his & opes & concedamus honores,
Nos inhonora cohors vigilati præmia nulla
Aut studij, aut nigræ vix mucida frusta farinæ
Speremus. quare fixum immotumque sedebit
Indignanti animo non vltrà emittere verbum
Ausonium: iratis iam longa silentia Musis
Indico, nec amica satis, dum carmina poscor,
Respondens, seu quis librum quem publicat, ipse
Limine, vult nostro decoratum ostendere versu,
Seu quodcumque rogat, certus sum cuncta negare
De genere hoc. dolor & morbus mihi sustulit omne
Officij discrimen, & vni condere carmen
Condeo, Latias atque exercere Camœnas
Sustineo: reliquos deinceps vno ordine habebo
Mortales: tantùm me nulla redarguet ætas
Condei immemorem: cui spondet prospera cœlum,
Fortunaque domus, cultum melioribus addit
Artibus ingenium, vt possit fastidia secli

Digitized by Google

Despicere, & cuiuis laqueum mandare malignè,
Ignara aut pecudi. Crucior mensem amplius vnum,
Viscereque ardenti & cerebro stillante catharrus
Disrumpens latus, & rauca mihi pectora tussis
Concutiens, somnos misero noctesque diesque
Inuidet. ô! Pino fælicibus vtere fatis,
Viue, vale, superes hoc orat epistola, quam tu
Protinus aut vndis aut lectam porrige flammis.

IACOBI PINONIS Theologi ad Nic. Borbonium Epigramma.

MAceror inuidiâ titulos & scripta reuoluens
Queis tot amicorũ nomen in astra vehis,
Et moriar, nisi me tantis annalibus addas,
Inuidia sola est hæc medicina mea.

EIVSDEM PINONIS ad eundem Borbonium.

Quòd huius sæculi ignorantia à scribendo animum reuocet.

ODE.

SCriptor fuissem semper idoneus,
Fama & volasset non sine gloria:
Ignara verùm secla nostra,
Nobile propositum retardant.

Digitized by Google

Nam quis Latinos nunc didicit modos?
Cui non togato spreta latinitas?
Quis barbarum haud credat libellum,
Ad titulos apicesque solos?
Quis non Pedanis de regionibus
Prodire dicat, carmina si videt
Heroa, vel grandi cothurno
Surgere opus, placidóve socco?
Merces at alio magna silentio
Debetur, & non sustinet omnia
Horum modorum lex referre, &
Multa meo reticenda plectro.
Namque imperiti dentibus inuidis
Mordent peritos, & genij volunt
Doctesque, virtutesque magni,
Perpetuâ latitare nocte.
Sic omiuosâ nunc aue desero
Artes petitas Pieridum choris:
Plectra ergo supremique cantus
Barbiton, hac habeat papyrus.

AD V. CL. IAC. PINONEM Theologum, Patritium, Protonotarium, Abbatem Condæum, &c.

SCribere, ab effœta sed carmen quale senecta
Expectes, noster tibi me, doctissime Pino,
Iussit amor. tardum me deseruere sorores,
Tiotu & hisconti, refugo se proripit amne

Digitized by Google

Qui tuus est Helicon: potas nouus aduena fontem,
Marginéque ex omnitibi docta assurgitur vnda
Protinus, inque istâ regnas iam victor arenâ.
Sed proni affectus in me, nullásque merendi
Quod statuis metas: ingrata silentia rumpo,
Tempestiua licet, culpáque vt laude carere
Consilium est, & amore mihi quàm carmine vinci
Turpe magis. quisquis leget hæc incondita, saltem
Ingenuum cernens animum & debere fatentem,
Sic dicet: non iste alieni perfidus aris
Inficiator erat, nec culti carminis author.

Qua nostræ, incertum, conspirent fœdere mentes,
Téne mihi cœlum ac occulti sydera fati
Concilient: an fortè duces in amore fuerunt
Et pater & frater, domina quos purpura vestit
Astræa, gemini residens in luce senatus:
An te quod teneris Campania nutriit annis,
Quà mihi piscosus, patria sub mœnia, colles
Vitiferos, nitidis Alba interlabitur vndis,
Inde refers aliquam communis ab aëris haustu
Temperiem, videórque tibi haud indignus amari,
Atque eadem, nostrùm genius consentit virique
In studia, & similes agnoscunt pectora motus.

Quicquid id est, causas tanti haud inuitus amoris
Notas ignotásve colam, gratáque fauorem
Mente sequar, quem sors, & sorte humanior omni
Ostendis: nec me vlla mei fiducia tecum,
Sed simplex animus studia & communia iungent.
Sic fortuna tibi meritos depromat honores,
Non cunctata diu, tuáque insula tempora velet

Digitized by Google

Non vana promissa fide, haud indebita vestro
Et generi, & patris vita in regalibus acta
Iustitia templis. sed non aliena recurres
Ad merita, incumbens propriis: te nullius ipsum
Expertem laudis, pollentémque artibus, inter
Tot fortuna procos, & ab omni dote paratum
Inueniet. quærit, qui sacra ascendere possit
Pulpita, & affari populos, vitiisque minari
Cœlestes iras? quoties hoc exigit vsus,
Tu præstas virtute & non mercede; nec absunt
Plena tibi in prauas armamentaria sectas:
Si petere aduersos, scriptam aut defendere legem
Conueniat: nullus coram audeat ore nouator
Arguto, sanctos patrum conuellere ritus:
Vsque adeò validis errorum monstra palæstris
Vincere te docuit Sorbona, & cuncta peritus
Decertata tenes capita: vt mendacia prompto
Marte refutantem nemo te impunè lacessit.
His comes est morũ probitas, pudor integer, omnis
Impatiens probri nullisque obnoxia vitæ
Illecebris: tantùm est constans in amore voluptas
Librorum: rectique tenax sed frontis aperta
Dissimulata tibi est virtus, nec honesta recusat
Gaudia, nec tristi gaudet se ostendere vultu:
Non crapula aut pernox trahit alea: carmina solùm
Pro lusu tibi sunt, tuum est in carmine luxus,
Si quisis est, cui non vacuas nisi prodigis horas,
Nam grauibus studiis medias consumere noctes
Atque dies solitus, superest quod tempus amicis
Impendis, creber diuina volumina versas,

Digitized by Google

Et quicquid sophiæ est vsquam rimaris, & eas
Historias veteris transactáque secula lustras.
Mox procul à terris caput inter nubila condens
Signorum occasus ortúsque & cominus astra
Suspicis, in cœlique morans regionibus, altas
Per solis luneaque vias tua lumina voluis,
Pérque etiam variis dimensum partibus orbem;
Quódq; vel Euclides magna dedit arte, Conónve,
Quique Syracusiâ est olim obsidione peremptus,
Et tibi cunctarum natura est cognita rerum,
Ne quid inexpertum te fallat; quæque venena,
Quásque salutiferi medicatas graminis herbas
Terra parit; quæque ipsa suis effossa metalla
Visceribus, varios hominum producit in vsu.
Instructo tantis opibus, venerisque Latinæ
Arcana, & Musarũ adyta haud adeunda prophanis
Tota patent, & te perrhetoras atque poëtas
Detinet in nullo spatiantem pagina nodo.
Fœlix, quem placida studij haud ignobilis vmbra
Florentem, grato sinit indulgere labori
Libertas, & largatuæ indulgentia sortis.
Tempus erit, cum tu magno mutabis honore
Otia, debebisque aliis tua tempora: vine
Interea tibi: fortunæ nihil indiga virtus
Sufficit ipsa sibi, atque inuita gente Quiritum
Semper habet fasces, omnis secura repulsæ.
Ipse quoque inuidiam & nostri fastidia seculi
Non ignota canis, tua, Pino, agnosce: Latinæ
Eloquij siren cui non est spreta togatæ?
Firmauêre tuum consulta oracula carmen

Digitized by Google

Nuper, in historiam sermo hic tibi desinet: audi
Est deus occulto colitur qui Plutus in antro
Templum immane tenens, rectum mortalibus illuc
Hactenus haud monstratur iter, per deuia multi
Peruenium, & fata sibi, & responsa petentes
Rebus quisque suis: tripodes quæsita resoluunt.
Ciuis eò locuples longo delatus ab vrbe
Anfractu, Plutum super, hoc, hæredè rogauit.
Queis gradibus, qui magna alitur sibi filius in spe
Vnicus, ad primos consurgere posset honores:
Quî cumularet opes: num magna scientia, voti
Impleret summam: pueri quibus artibus ætas
Erudienda foret, num Græcis atque Latinis:
Continuò vox hæc penetralibus edita fertur.
Quantũ in doctrinâ Latiáq; ascendet in arte
Tantũ in fortuna & secli descendet honore.

NICOLAVS BORBONIVS IACOBO PINONI PATRICIO, Prothonotario Apostolico Theologo doctissimo Abbati de Condê. In Psalmos pœnitentiales ab eo luculentis versibus Latinè redditos.

EPIGRAMMA.

OLim Sorbonica probatus aulæ
Baccalaureus, & nouas mereri
Pergis eximius Poëta lauros:
Flentem carmine dum facis Latino

Digitized by Google

Dauidem sua stupra, concupîtam
Et cæsi nece fœminam mariti.
Sacrarum hinc tibi nulla litterarum,
Doctarum neque damna concionum
Emergunt, nec omittis hoc, nec illud,
Sed vir omnia singularis audes
Tanquam singula; & omnium capacem
Ostendis, (nisi retrahat voluntas,
Aut maior nisi vis vetet) Poëtam.
Nam quamuis secus imperita turba
Semper senserit, Arcadésque aselli:
Nil est ingenio inuium Poëtæ;
Vtque est nullus homo malus Poëta,
Sic est omnis homo, bonus Poëta.

V.C. IACOBI PINONIS ABB. CONDÆI, ET THEOLOGI doctissimi, de ineffabili CHRISTI natiuitate

IDYLLIVM.

VT Deus æterno, audistis, generauerit ante,
Perpetuò Verbum dicat & ore parens:
Natura at nullo natus discrimine distat,
Cum patre sed soboles concipienda simul:
Namque in diuinis pellucet originis ordo
Solus, nec minimi temporis vlla nota est.

Nec potis

Digitized by Google

Nec potis ipse Deus praecedere tempore natum,
Et pater in nato, filius inque patre est:
Vnicus vtque pater, sic filius vnicus esto,
Et nunquam poterit filius esse pater.
Si tamen vt trinus Deus ipse operetur & vnus,
Personis tribus his conuenit esse patrem.
Vno etenim fecit terras, mare, sidera verbo,
In nihil & verbi vis reuocare potest.
Omnia sunt adeò minimo bene subdita nutu,
Vt nil contra vim cuncti potentis eat:
Quoque magis vitâ sensuque carentia cernes,
Promptius hæc dices iussa Deumque sequi.
Atque ita dicetur natus Pater atque creator
Vt Pater, atque horum nexus amoris Amor.
Sic Deus ergo hominem finxit, rationis habenis
Subdita qui imperio cuncta regatque suo,
Filius hinc operis miro dum captus amore est
Vim decretorum tempora plena vident:
Corpore seque tegens, similisque per omnia nostri
Nascitur infirmæ conditionis homo.
Cauit at vt puræ, cœlestis, originis author,
Mater vt in terris sic sibi virgo foret.
Vtque duo semper debent genuisse parentes,
Et pater in cœlo, mater adestque solo.

Digitized by Google

GRÆCE REDDIDIT EX tempore NIC. BORBONIVS, & amicitiæ ergô, & vt doctrinam istam paucis tàm eleganter & dilucidè comprehensam, magis memoriæ inculcet.

ΑΙΩΝΩΝ πρόσσω καὶ ὀπίσσω, υἱέα γενεᾷ
Κικλήσκειτε θεὸς τὸν λόγον, οἷα πατήρ,
Καὶ φύσιν οὐδ' υἱὸς πατέρος διενήνοχεν οὐδὲν,
Καὶ ἅμα δεῖ νοέειν υἱέα σὺν πατέρι·
Τάξιν ἔχει γὰρ θεῖα μόνην σφετέρης ἀπὸ πηγῆς
Μὴ σημαινομένου οὐδ' ἐλάχιστα χρόνου.
Οὔτε πατὴρ δύναται εἶναι προγενέστερος υἱοῦ,
Εἴτε πατὴρ υἱῷ, υἱὸς ὅτ' ἐν πατέρι·
Ὡς δὲ πατὴρ μοῦνος πέλεται, καὶ μοῦνος ὁ υἱὸς,
Καὶ υἱὸς κληθεὶς οὐδέ ποτ' ἐστι πατήρ·
Ἀλλ' ἔμπης ὁ θεὸς, μονὰς ἢ τριὰς εἴποτ' ἐνεργεῖ
Καὶ τότε πᾶσα τριὰς τοὔνομα πατρὸς ἔχει
Πάντα λόγῳ γὰρ κτίσσεν ἑνὶ, τραφεράντε καὶ ὑγρὰν,
Ἀστράτ', ἀϊστῶσαι καὶ τὰ λόγῳ δύναται
Οὕτω πάντα θεοῦ μικρῷ ὑπὸ νεύματι κεῖται
Ὡς οὐδὲν τούτου κάρτεϊ ἀντιάσαι
Ἰνώσεις ἀτρεκέως, αἰσθήσιος ἢε βίοιο
Πάντα ἄμοιρα ἰδὼν, ταῦτα θεῷ ἕπεται·
Ἰαὶ ταυτῇ γνώμῃ γενετῆρα μὲν ὡς γενετῆρα,
Ὃς πάντα κτίζει τόνθ' ἁμ' Ἔρωτα κάλει·

Digitized by Google

Ἄνθρωπον δ' ἔπλασε θεὸς, λόγῳ ἡνιοχεύειν
Ἰδρὶν ἀεὶ, πάντων καὶ δεδαῶτα κρατεῖν,
Πλάσματος ὡσδ' ἥλω θαυμαστῷ υἱὸς ἔρωτι,
Θεῖα τότε πλήρης δεῖξεν ἀρεστὰ χρόνος·
Ἐνδὺς γὰρ καὶ σῶμα, καὶ ἡμῖν πάντα ὅμοιος
Ἄνθρωπος μοίρας ἡμετέρης μὲν ἔφυ
Καὶ καθαρῷ καὶ οὐρανίῳ ἐμέλησε μέδοντι
Ἔμμεναι οἱ ἐν γῇ μητέρα παρθενικὴν
Εἶτα δύο ὥσπερ τέκνον γεννῶσι τοκῆες,
Τὸν πατέρ' εἶχεν ἄνω, μητέρα δ' εἶχε κάτω.

EIVSDEM PINONIS AD NICOLAVM BORBONIVM in Idyllium quod Græcum fecit.

CVm spectabuntur Græcis permista Latina
Esse vnam nostris materiamque modis,
Obscurum discrimen erit voluentibus ipsa,
Interpres quis sit, tunc vel author ego,
Ni, cùm de Græco pulcherrima fonte petantur,
Continuò dicant versa fuisse tua.

Digitized by Google

De innoxio fulmine.

FVlmina quæ currum incolumem, intactosque relinquunt
Regis equos, dextro numine missa putes:
Nempe salutatus, Rex qui tractabat habenas,
A circumfuso blandius igne fuit:
Lora tenens, superùm manifesta luce fauorem,
Signaque cognati sensit amica poli:
At non auriga hæc impunè micantia vidit,
Solus enim fruitur Rex propiore Deo.

ALIVD.

AVriga est, non Rex, perstrictus fulmine: differt,
Visat Iunonem Iuppiter an Semelem.

DE BARDINO,

Imitatio Gombaldi V. C.

THesea ab antiquis nos Pirithoúmque poëtis,
Cúmque suo Pyladem scimus Oreste cani,
Quódque vades capitis par est illustre Sophorum,
Alter & alterius quòd subiêre vices.
Istius exemplum minùs haud memorabile nuper
Sequana, amicitiæ nec leuioris habet.
Hi merius simul & Bardinus in amne natabant,
Ille sed in media sessus anhelat aqua,

Digitized by Google

Fert Bardinus opem, & fatis occurrit amici,
Inque pio præceps mergitur officio:
Debueras illis, ô Sequana, mitior esse,
Exemplo, quòd non parcis vtrique, caret.

IN POEMA LATINVM IAC. SANNAZARII, De partu Virginis, oratione soluta Gallica redditum à Viro Clariss. GVILLELMO COLLETETO.

QVod toties digno Cirrham depleueris haustu,
Plenaque virgineis ora rigaris aquis,
Te patrios inter numerauit culta poëtas
Gallia. facundi nunc quoque nomen habes:
Namque soluta, nouis scatebris manantia, verba,
Diuinaque tibi flumina vocis eunt,
Dum das eloquio Gallis audire pedestri
Virgine Romanos de pariente modos.
Ausonius tanto fœlix interprete vates,
Et maius Veneto munere mumus habet.
Tu quoque mercedem referes à matre puella,
Pro meritis, Venetæ qua superentur opes:
Et quamuis eadem vestigia presseris, illo
Et quod es interpres, non eris inde minor.
Scribis vt Orator de partu Virginis, ille
Vt Vates cecinit, tu potiore loco es:
Sed licet immensum tibi debeat author, ab ipsa
Materia maius fertis vterque decus.

Digitized by Google

DE NOBILI ET SACRATO viro IOANNE DE GASTEBOIS Lingonensi.

POntifices, Reges, proceres, qui vera monere
Ausit, & ingenio liberiore loqui,
Solus hic est: penetratque aulas & limina regum
Fata quidem surdis non fugienda canens,
Nam solet vt Cassandra suis non credita Teucris
Soluere veriloquis irritus ora sonis:
Austrasiæ casus prædixerat atque Tholosæ,
Non minus euentus hæc habuêre suos.
Multa viri est virtus, fiducia multa, petitque
Insidiis aures, multus in ore lepos.
Dant libertatem fandi, flatusque remittunt,
Atque animo carpi se patiente sinunt,
Scilicet, ingenuos impunè expromere sensus,
Hæc illi merces vna laboris erit?
Cur non respondet meritis fortuna? nec ipsa
Saltem munificos improbitate facit?
Pontifices, Reges, proceres monitoris egentes,
Et vestri monitor tam diuturnus eget,
Reddite quæ meruit, sint empta silentia tandem,
Verba diu pretio si caruêre suo:
Nam modo, si vultis, pleno satur ore tacebit,
A vacuo vobis littera multa venit:
Lingonicus vili quem bardocucullus amictu
Vix tegit, huic mitræ conueniebat honos.

Digitized by Google

Ad Virum Nobilem & egregiè cordatum, ROBERTVM PASSARTIVM, sacri Consistorij Comitem, Franciæ ad Aquas-sextias Quæstorem; & Serenissimo GASTONI Regis Fratri vectigalium amplissimæ domus Censorem solertissimum.

De insignibus eius familiæ
EPIGRAMMA.

ESt insigne vetus quod gens Passartia sumpsit
Innocuæ, sibi tres, nobilitatis, aues:
Vnguibus hæ rostrisque carent: ad crimen inermis
Sic damnum cuiquam est nescia ferre domus.
Viuitur ore probo cunctis & more, nec omni
Est in gente nocens lingua, nec vnca manus:
Mens eadem semper, fora, castra, aulámve secutis,
Párque domi virtus militiaque fuit.
Præcipuo, Roberte, isthic decoraris honore,
Argenti, volucres, quòd tibi campus habet:
Tu GASTONIS *opes, tu regia commoda curas,*
Fratris, in argento, res vtriusque gerens,
Publica maiori non relligione Catones,
Integráque magis non habuêre manus,
Fortunæque intra patriæ mediocria septa
Consistens, nullis inuidiosus agis:

Digitized by Google

Scilicet argenti campo, tibi cedit ouanti,
Aureus, expertus pectora firma, nitor:
Id perhibent campi volucres: tribus vtere fœlix,
Vir plusquàm fausta viuere dignus aue.

De operibus IOANNIS FERNELII admirandæ doctrinæ Medici EPIGRAMMA.

PLus Asclepiadum veteri Fernelius vnus
Gente mihi, Côo plus sapit ille viro:
Nec par, Attalici licet ingens gloria regni
Galenus: minor est Celsus, & omnis Arabs.
(Ne mihi succense dicto violata vetustas,
Te veneror, tollo nec tua iura tibi,
Sed quia virtutes antiquas promis, ab ipsa
Inuidia coleris sæpe premente nouas:)
Herôas saltem priscos Fernelius æquat:
Scripta viri satis hoc, sed magis acta probant.
Is simul ac Franca medicus successerat aulæ,
Creuit felici regia prole nurus;
Viscera fœcundat cui pigra, potentibus herbis,
Atque vteri segnes increpat arte moras:
Desperata priùs tumuerunt pondera ventris,
Mater & è sterili mox numerosa fuit:

Digitized by Google

Ante diu fueras casura Valesia proles,
Pignora nî Medice tot medicata daret.
Ergo vterum potuit qui sollicitare morantem,
Naturæ clausas & reserare vias,
An dubites, (hæc si satis intellecta legentur)
Fecerit vt nasci, quin vetet ille mori?

EIVSDEM

Ad præstantissimum virum

G. PATINVM

BELLOVACVM,

Doctorem Medicum Paris.

EPIGRAMMA.

QVòd tibi curatur rursus Fernelius edi,
Multiplicis præstas hoc rationis opus:
Consulis in commune, Patine, sitúque recondi
Immensas medicæ non sinis artis opes.
Ars illi tecum est, patria & communis, & vnum
Sunt Samarobrini Bellouacique genus:
Sic facis esse tuos, alienos, iure, labores,
Alterius sic laus incipit esse tua.

Digitized by Google

DE QVINTO CVRTIO GALLICE DISERTISSIMO

Interprete V.C. BERNARDO FARGA *Tolosate.*

EPIGRAMMA.

ELoquio magis ille suo quàm tempore notus
Curtius, & scriptis par, Patauine, tuis.
Narrat Alexandri res vnicus ore Latino,
Nec teritur Crispo iam Tacitoque minùs.
Author & historiam dedit hanc sermone Pelasgo
Magniloquus, perhibẽt quem Xenophonta nouũ.
Solane Alexandrum sic Roma aut Græcia norit?
Francigenæ patria voce nec ista legent?
Tu modo Palladiæ quem præulit ora Tolosæ,
I fidens, ambos nec vereare sequi.
Nam potes (vt primas habeant partesque secundas)
Et non indecori tertius ire gradu.

Digitized by Google

ALIVD OB LIBRVM EMINENTISSIMO CARDINALI nuncupatum.

ORphea sudantem toto, stupuisse, metallo
Pellæũ, in Persus dum mouet arma ferunt
Ostentũ in dubio est; num quid graue fata minẽtur,
Num statua effusis illacrymarit aquis.
Vnus Aristander fatorum arcana resoluit,
Aque, ait, hæc faustâ bella parantur ane:
Victor eris, totoque ingens celebraberis orbe,
Iam magnum de te vatibus instat opus,
Ingenia inque tuas laudes sudantia cerno,
Dixit, & hæc rerum certa secuta fides.
RICHELIVS *dux iusta animo dum concipit arma,*
Frangereque Hispanas dum meditatur opes;
Cernimus in Domina sudantes Orpheas vrbe,
Accinctos patriâ bella sonare lyra:
Gallica se promit vario facundia cultu,
Hæc adstricta suis, illa soluta modis;
Et fœtus enixa nouos sublimia certant
Pectora, quos inter tu quoque Farga venis:
Millia Præconum sed sint; tamen amplior illis
RICHELIO *dabitur rem moderante seges;*
Crescite iam numero scriptores, crescite vates,
Argumentum ingens omnibus vnus erit.

Digitized by Google

In amorem victorem

CL. GARNERII

Parisini poëtæ eximij.

ODE.

QVIS se superbo tollit in æthera
Ales volatu? nubis & ardnos
Scindens meatus, concitatis
Fertur ouans per inane pennis?
Fallor? Cupido num redit ad suam
Victor parentem, Liberi & Herculis
Quondam triumphos æmulatus
Dum domitis redeunt ab Indis?
Is est: Ab vdo gurgite Sequanæ
Quâ possidentur regna Lutetiæ,
Matri, triumphatum poëtam
Horrificis agit in catenis.
Hem magne Vates pone ferociam
Amore victus, disce cupidini
Seruire GARNERI, potentes
Nam potis est superare diuos.
Impunè spreuit nemo cupidinem
Marremve: præceps Hippolytus ruit
Curru volutus dum iugales
Insolitas tremuere Phocæ.

Digitized by Google

Sed contumacis non animi graues
De te reposcunt aut Amor, aut Venus
Pœnas, tibi cerno redemptam
Iamque leui pretio salutem.
Versu canoro dum Venerem sonas
Et fulminantis tela Cupidinis,
Præcone tanto gloriantur
Suntque tuis faciles Camœnis.
Quâ se niuoso vertice Caucasus
Quâ se vel Atlas porrigit arduus
Per cunĉta terrarum fereris
Matris Acidaliæ poëta,
Quo non silentum, blandior Orpheus
In regna quondam se penetrauerit
Fretus lyra & raptam profundo
Eurydicem repetens ab Orco.
Duæ fauent heroïdes inclytæ
Tuis camœnis, CONTIA *regio*
Sublimis ostro, & LONGAVILLA,
Vtraque par Veneri & Minerua
Vultus decôre & mentis acumine
Queis nec tulerunt prisca pares, neque
Porro ferent ventura secla
Ante modò reliquis ferendas.

Digitized by Google

CLAVDIO GARNERIO
Poëtæ eximio

EPIGRAMMA.

CONiugis excitos blandâ testudine manes
Orpheus in superum penè reduxit iter.
Tu nobis mersum crudeli funere REGEM
Vocibus ad vitæ limina penè refers.
Vmbra suis gaudens huc laudibus aduolat, & te
Miratur tales ore ciêre modos.
Quod nisi fata vllâ mansuescere voce negarent
Parcarum & duro lex adamante foret,
HENRICVS *potuit per te rediuiuus in auras*
Surgere, & assueta sceptra tenere manu.
Cui si non reddis vitam, tamen Orphea vincis
Tot proceres Regni nobilis aure trahens.

Digitized by Google

IN GVLIELMI DV-PERATII, Regis Eleemosynarij, de institutione Regij Sacelli Commentarium

EPIGRAMMA.

HActenùs angusti fuerant penetralia Templi
Clausa, Sacerdoti vix benè nota suo,
Curaque queîs sancti Regum commissa Sacelli,
Tractabant dubiâ Regia sacra manu,
Hic velut Ædituus Francæ Duperatius Aulæ
Occlusas reserat claue sonante fores,
Ducit & in turbis adyta inconcessa profanis,
Vnica quà docto semita trita pede,
Edocet in propriis peregrinam ritibus Aulam
Religio quibus hæc orta vel aucta modis,
Et repetens altâ nostros ab origine Reges,
Retrò nascentem surgit ad vsque fidem.
Obsita quæ dudùm tenebris monimenta iacebant
Intrat, & Historicâ detegit illa face;
Scilicet haud alius priscum penetrauit in aulam
Altius, aut Fastis excutienda tenet:
Nec magis in Dominos constans amor, ille parentem
Quâ coluit, colit & te, Lodoîce, fide,
Et sacer ambobus qui prodit Regibus, istum
Authori, pietas extùdit vna librum.

Digitized by Google

SVMMA EMINENTISSIMI Cardinalis Ducis in tolerando dolore philosophia, Narbone æstiuis mensibus anni 1642.

EPIGRAMMA.

GAllica, perruptis tibi latè, Hispania, claustris
Arma, breui fuerant impositura iugum:
Nescio quæ mala vis nostris successibus obstat,
Et nectunt mœstas inuida fata moras,
Quæ, quia consiliis nullum ius nacta nocendi
RICHELII, corpus peste repentè petunt,
Inque vno cunctos se debilitare lacertos,
Cunctorum inque vno brachia posse putant,
Adiuuat insidias immitior ipsa calentis
Aura plagæ, aduerso flans & ab axe notus.
Interea totis sunt muta silentia castris,
Et faciem victi iam propè victor habet.
Torpor habet cunctos, tantùm certatur ab ægro,
Inde potens animus pugnat, & inde dolor.
Inuictum vis nulla virum labefecit, & acri
In morbi latebras se penetrante manu,
Visus ibi est medicos nihil exhorrescere cultros,
Ingentique animo talia verba loqui,
Pro patria, pro Rege, in Franci nomissis hostes
Scæuola sim vitæ prodigus, vre, seca.

Digitized by Google

Ad illustriss. Ecclesiæ principem
D. D.
AVGVSTVM POTIER
Episcopum & Comitem Bellouacorum, Parem Franciæ, magnum Reginæ Eleemosynarium, &c.

PRO GRATIARVM ACTIONE IDYLLIVM,

Armine facturus non sum cœlestibus vltrà
Inuidiam: nec, vt ante, mea contraria vita.
Fata querar: statuit nostros finire labores
Sincera fortuna fide: iam sidus amicum
Bellouaci affulsit mihi præsulis. ille deorum
Concilio, magnæque adytis penetralibus ANNÆ,
Et mole in tanta rerum, mihi sceptra Deamque
Conciliat, non promerito, sed sponte mereri
Ipse laborantes heros solet: ecce repente
Non expectati munus regale fauoris
Mittitur, & nostræ superis est cura senectæ.
AVGVSTE *antistes, nostri spes maxima secli,*
Et virtutis apex: dum nunc, toga candida, Romæ
Purpureum sacræ poscit tibi sedis honorem
Absenti. prensatque suo Regina Ministro,
Et certant cupidi pro te suffragia cœli:

Digitized by Google

Publica priuato tangunt me gaudia sensu,
Accedoque hominum votis & numen adoro,
Nec simplex mihi causa. velim quoque sidera lætã
Maturare diem, quoties nouus ille recusat
Oris honos, ardetque oculis tua purpura nostris,
Iam præsumpta animis. omnis veli ista cupido est
Impatiens. iam non sat festinantia vota
Impello, increpitoque moras, & tarda videntur
Tempora, tu placida securus mente quiescis,
Cui meruisse fuit maior quàm cura potiri.
Cor tibi, fortunæ dominum quod præstet, & æquum
Est animus, supráque procul mortalia surgit.
Sed licet expectes animo non ista calenti,
Afficiatque, nimis lenta dulcedine, mentem
Virtutis pretium: tamen ambitione labore.
Ipse tibi, fateor, nec opes, nec culmina rerum
Vlla, mei pro te mensuram pectoris implent:
Arcano quem tu pridem dignatus amore,
Cui tua, disiunctus totis procul Alpibus, hospes
Tybridis, ipse manu scripsisti prospera: cum te
Clauiger ille poli, Tarpeia maximus aulæ
Regnator, cui ius & vtroque potentia mundo,
Spectatum voluit tanto succedere fratri;
Teque ad Bellouacos, orbumque remisit ouile,
Ardua sacrata decoratum tempora mitrâ,
Protinus à domina, tua venit Epistola, Roma
Eloquij docti & Sirenis plena latinæ,
Quæ mihi pro magno seruatur condita censu.
Forsan & hoc, aliquo tibi me deuinxerit astro,
Ortu nostra tuo quòd se Campania iactat,

Digitized by Google

Quódque salutatas, blando tibi murmure, cunas
Matrona primus aquis & ouanti flumine lâuit.
Huc pater auratas ciuili Marte curules
Transtulerat, quando summi decora alta Senatus
Deseruêre domos, plebis pertæsa furores
Insanæ: pars ad Ligeri subiecta receßit
Oppida, pars illis fusus quibus Attila campis,
Constitit, augusta est viduatus Sequana sede,
Quisquis ibi mansit, tanti fuit ordinis exul.
Ergo sui quondam non immemor hospitis, amne
Ire tibi prono dominam quoque gestit ad vrbem
Matrona, nuncque tuos præsens visurus honores,
Sequanicæ (quamuis amisso nomine) ripæ,
Lætior ipse suam pater intermiscuit vndam.
Nunc AVGVSTE *tua, spero, virtute refellam*
Errorem probrumque vetus, quo nulla poëtis
Ex vero argumenta peti iactatur, & omnis
Carminibus detracta fides. tu namque vel vnus
Præstiteris, fictæ ne nos infamia semper
Materiæ premat, atque leuis sententia vulgi,
Dum procerum laudes, vatum mendacia credit:
Nam quæcunque tibi nostri præconia versus
Attulerint, actis longè cecinisse ferentur
Inferiora tuis, & quamquam incondita, saltem
Vera loquar, nostræque nihil debebitur arti,
Nec vates, sed ceu testis iuratus habebor.
Vsque adeo probitas cœlo explorata soloque
Et generosa fides, & aperti nobile robur
Pectoris, ingenuique tenax constantia recti,
Conspicuo rata fecerunt hæc vrbis & orbis

Digitized by Google

Assensu, venienque in ferrea tempora, praesul
Aureus, incedis secli melioris imago.
Auxiliis his tempus eget, cum Gallia Rege
Orba viro, pueri spes & crescentia sceptra,
Et rerum viduas ANNÆ *commisit habenas.*
Illa hodie nobis, Hispanis mater ab oris
Altera, molitur Franci sublimia regni
Frena manu, sedenim superat pietate priorem:
Quamuis & nati vitam, & tutata paternum
Imperium, & sanctis imbutum moribus, ipsam
Indigetem meritis tandem donauerit astris,
Iamque per innumeros, huius bis septimus hares
Nominis, ingreditur proauos, genus indole Diuûm
Herôumque puer referens, quem sidera mundo
Æqua vident, & fida regit tutela parentis.
Cœpta patri, auspiciis pueri quoque, bella geruntur,
Victricesque manus, & sensit auunculus arma
Infantis: postquam teneras inuadere cunas
Non fuit indignum, nec iusti tempora luctus,
Nec saltem illati spatiumque moramque sepulcro
Funeris, est hosti libitum expectare; sed ipsa
Vix conclamatos in morte lacessere manes.
Vno penè die nostris victoria castris,
Atque gubernaclis (non hac sine numine Diuûm
Proueniunt) ANNA *est admota recentibus, vnum*
Nunc nomen genitricis amans, oblita sororis,
Pacatos donec iungat concordia reges
Pristina, diuulsi coëant & fœdera mundi.
Irarum nam quis tandem modus? anne furoris,
Atque odij nondum satis est? tot sparsa cruore

Digitized by Google

Arua! tot alternis rubuerunt cladibus amnes!
Quo, populus iunctis si conspirasset vterque
Viribus, infidum sua sub iuga mitteret orbem,
Atque Asiæ multum & Lybiæ lugeret ademptum
Turca sibi, exueret ritus & terra profanos
Barbara, legitimos & haberent bella triumphos:
Sed quid ego surdis hæc auribus irrita iacto,
Arma inter, lituosque, & adhuc in puluere Martis
Stantibus, accensas nequicquam deprecor iras?
Nondum finis adest: animos iactantior addit
Gloria victori, victúsque resurgere certat.
Ipse pati, magnis iuuenis iam regius orsis,
Otia posse negat, qui tantis contudit hostem
Stragibus, & totos demessuit ense maniplos,
Grande rudimentum belli, fugientibu instat,
Vastat agros, trepidasque quatit terroribus vrbes
Victor, & in mediis iaculatur fulmina Belgis.
Mox aliò tendunt acies, atque itur ad vrbem,
Quæ Metim infesto Treuirosque intercipit amne,
Hac aperire viam, & perfringere claustra Mosellæ
Impetus est, pulsosque euertere fulmine muros.
Si nondum elatos, fracti tot cladibus hostes
Demisere animos; & tanta superbia victis,
Si dubia in nostris, fesso, successibus, orbi
Spes labat: at precibus Reginæ numina pacem
Exorata dabunt: his armis vincere cœlum
ANNA *potest, cunctosque orbis sedare tumultus*
Irati. nec præterea prudentia, nec vis
Viuida deest animo, nec ei contendere Pallas
Ipsa velit: forma decor & par eminet oris.

Digitized by Google

Maiestas, par consilium est: sed Palladis vna
Laus minor est hac parte: simul non contigit illi
Esse Deam & peperisse Deos. Ioue digna parente
Nobilitas stirpis, quæ Calpem & littora lata
Hesperiæ, extremos armis porrexit ad Indos,
Et regni spatium, quàm longo tramite currus
Solagit, haud positis dimensa est Hercule metis
Fama domus, radiique patrum, dos magna: sed alti
Coniugij prolisque datos sibi munere diuûm
Plus meminit titulos, propriisq; ingẽtior ANNA *est*
Nominibus. Regina potens, materque vocari
Castrorum, dum bella tument, assuescet, & ambos
Complectens gremio genitrix sua viscera natos,
Hæredem & regnum, delapsáque lilia cœlo
Seruabit candore pari. sedet illa verendo
Interea solio, hinc pietas apparet, & illinc
Iustitia, & populis pacem sperantibus, ambæ
Promittunt certas regni in solatia curas.
Circumstant proceres, quos relligionis auitæ
Tangit honos, quos clara fides; & cognita virtus
Ostendit famæ, quibus & maturior ætas,
Longáque magnarum dedit experientia rerum.
Consilij ius esse: viros celebrare frequentes
Iamque aulam tales, & regia limina cernas.
Quos inter, sacris heros qui presidet aris
Bellouacus, quamuis puram sine dote petiuit
Virtutem, nec auarus amans, tamen illius ampla
Præmia fert, fruitur qui non communibus vltrò
Reginæ studiis, ostrique assurgit honori,
Et Dea Romuleæ venit illi pronuba tedæ.

Digitized by Google

Multa virum meritis commendat gratia, multus
Gentis honos, & quam bis denis amplius annis
Regina est experta fidem, dum cura sacelli
Aulica, diuinique tenet reuerentia cultus
Augustos intra dominæ seruata penates;
Dumque in res vsusque pios, idem ille bonorum
Reginæ magnus dator est, magnusque sacerdos,
Sæpe sui aduertit maturis ANNA *ministri*
Consiliis animum, doctosque excepit ab ore
Sermones, & vera animæ solatia sensit.
Namque viro, pietas, rerumne scientia maior,
Æquata linquent vtrimque examina lance
Ambiguum. ad solers adiecit mentis acumen
Iudiciumque sagax, teneris, genus omne, sub annis
Doctrinæ, sophiæque, & plenas hausit Athenas,
Mox & in Astræa nitens fastigia, leges
Cæsareas, & Ius complexus vtrumque capaci
Ingenio, implicitos quos hæc prudentia ponit
Soluebat nodos, studioque & acumine, sensa
Conciliata dabat veterum pugnantia legum.
Vidi ego mirantem tunc de doctoribus vnum
Eximius, prima tantum potuisse iuuenta
Patritium: & sibi, tunc tales, senioque suorum
Optabat crebris succrescere Curia votis.
Iamque adeo iudex & magni pene vocatus,
Consilij assessor, Themidis successerat aulæ,
Cum Deus, incœptos extemplo flectere cursus
Impulit, atque nouo, reuocatum funere fratris
Imposuit solio, maioribus ire litatum
Numinibus iussum. nec primi nulla laboris

Digitized by Google

Vtilitas superest, aut irritus excidit vsus:
Nam modo, sacrorũ sexvir Comitũque Ducũque,
Cùm visum est, scandit supremum more tribunal,
Atque sub auratis causas laquearibus audit,
Ordine par, regni duodenis insitus astris,
Cuius & in dubia petitur sententia lite,
Liminaque ipsorum ius est insistere regum.
Postquàm aliũ, operam non seram, sacra potestas
Deuôuit studiis, auida cœlestia cura
Rimanti, patuere fores, & pernia fecit
Cuncta animus, doctas unsquã rudis ire per artes,
Doctrinaque sacra non agrè arcana reclusit:
Dum sternit facilem sibi, per loca vepribus altis
Obsita, perque scholæ spineta asperrima callem:
Scripturámque legit sanctam noctesque diesque,
Et Grãcos Latiosque patres, & plurimus illi
Septimius Florens memori versatur in ore;
Nullâque Cõcilia, aut hominũ monumẽta priorum
Irreuoluta sinit, parta annalesque salutis
Et rerum primo seriem cognoscit ab æuo.
Sed non illa vetant, aut otia docta morantur
Officium, curare animas, inuisere amatum
Sæpe gregem: segnes, cessatoresque ministros
Nolle patit, certum est; vrget præsentia tanti
Præsulis: ipse suæ cœlestia pabula plebi
Suffiait, exemploque praeit: non frigora terrent,
Non æstus, nec sæua lues, neque sordibus vllus
Iam locus est: simul ille coli meruitque timeri,
Qui fœdis, lustrans pagos atque oppida, bellum
Indixit vitiis, & totâ militat orâ.

Non

Digitized by Google

Non aliàs, sedis primum, quos afficit illo
Munere, tot docti templum tenuere sodales.
Insignem pietate virum meritisque locuti,
Nunc herôa damus fortem; quis pectoris ausis
Magnanimi, inducat taciturna oblivia linor?
Dissimulétve decus? fas est meminisse, quid heros
Roboris explicuit, medio discrimine belli
Qualis erat, quantusque propinquo apparuit hoste,
Quáque fide in regem. fluxit iam septima messis
Ex quo Belgarum necopina è limite surgens
Tempestas, latè populos se fudit in omnes
Quà Somona excultas includit & Oesia glebas:
Terror vbique ingens: namque improuisus, & antè,
Penè latens, nostros fines irruperat hostis.
Securasque, sui contemptu, oppresserat vrbes.
Hæ captæ, hæ potuere capi: visa ipsa timere
Tunc prope nuda suis deprensa Lutetia muris
Quid sileam? & regni, multi petiere pudenda,
Interiora, fuga. trepidi propiore periclo
Bellouaci quid agant? quartâ non serius horâ
Hostis adesse potest: vrbs haud munimine (quãuis
Plebe frequens, & fœta viris non segnibus) ipso
Tuta satis: non præsidium est, non miles iniquo
Tempore, direptis fumant incendia villis
Haud procul, auditurque alto vicinia luctu
Fortunas deflere suas, cædesque suorum.
Hîc Præsul tota volitans interritus vrbe,
Erigit attonitos ciues, vtque arma capessant
Imperat, & cunctis animum constantibus addit
Alloquiis, certusque mori aut defendere charum

Digitized by Google

Ipse gregem, regique vrbem seruare, iacentes
Spe recreat, tristique leuat formidine matres.
Tum quia virgineis plerasque excedere septis
Vestales profugas cogit timor, incola ruris
Plurimus & mystes, tutis inferre laborat
Sacra locis, & sese hosti pariterque ruinæ
Eripere: ex alto Præsul ceu vertice, signum
Pastorale canit, proprioque accersit asylo
Errantes, nec rebus opem non præstat egenis:
Præcipuè sacris aperit palatia tota
Virginibus, ceditque sua venientibus arce,
Ipse domo sponte extorris, prætoria mutat
Tecto humili, degitque alienis ædibus hospes:
Inde aliis aliisque homines & numina factis
Concilians, ciues vrbi, hoc discrimine pastor
Asserit, atque suam regi non degener vrbem.

Hos super AVGVSTI *sperato murice, vates*
Exili versus, antistitis, ore canebam:
Sola tamen virtus resides mihi prouocat annos,
Non fortuna viri, sin vltrò debitus illam
Ambit honos, æquoque premens vestigia passu
Consequitur, tantæ fuerit pars maxima nobis
Lætitiæ, nostroque lubens congratuler æuo.
Tunc quoque scribenti carmen mihi, grandior ori
Spiritus assurget, magnisque heroibus aptus,
Cùm pater Ausonius, quod tu Regina petisti
Annuet, & primis regni † *damnabere votis.*

† vel *donabere*

Digitized by Google

DE AMYNTA ET DAMONE Extemporale.

ANnis florentem famâq; salutat Amyntam
Ille nouo Damon dictus honore Pater.
Inceßitne animis discordia talibus? vllas
Scilicet, hos inter traxerit ira moras?
O Superi! condant hanc alta obliuia noxam;
Nec, precor, irarum sit memor vlla dies:
Me totum hoc seu fors, siue est iniuria fati,
Sincerâ iußit mens abolere fide.
Ignotos vultus inter se ad iurgia mouit
Tydea nocturnus cum Polynice furor,
Hi noti inter se rebúsque & vultibus, annos
Queis prope terdenos continuatus amor:
Sed nox absentes quadam commisit & error,
Quod neutri alterius pectora nota satis,
Rumorésque hominum lites & bella fouentum
Vtrimque iratis tela facésque darent.
Huius discussa sedenim caligine noctis,
Iamque redux crescat iam rediuiuus amor:
Qui rursus, non est quod cura fatiget Amyntam
Tramite transverso ne fugitiuus eat:
Est fuga seruorum; ingenuis sed culta Camœnis
Constant immoto pectora fixa gradu.
Dotibus eximiis & amari est dignus Amyntas
Omnibus, & magno dignus honore coli.

Digitized by Google

Quis meliora istis, retinendo credat amori
Vincula? talis amor qui queat esse fugax?
Testatur Damon arcana conscia mentis
Numina, quæ sanctæ fœdera pacis amant;
Et genium, RICHELÆE, *tuum, quo nititur orbis,*
Qui belli & pacis iura sequester habes;
Te quoque testatur præclara Academia Mater,
Fraterna lectos quæ pietate ligas.
Et quam nec Damon discors intrasset Amynta,
Quamque impacatam non RICHELÆE *finis.*
Quo colat affectu, quo complectatur Amyntam
Perdidit, vt lugens vt recipitque lubens,
Vnanimes viuent: quicumque infliget Amynta
Vulnera, se Damon sentiet ipse pati,
Et qui scribendo cedet, non cedet amando;
Arte minor Damon, par sed amore senex.

Borbonius.

Huic Elegiæ argumentum præbuit quod sequitur Epigramma.

BORBONIVS & BALZACIVS ostentato bello iterum amici.

ET Pater inter se Damon & Alumnus Amyntas
Bella gerent, sancta pectora iuncta fide?
Non ita: In Elysiis dabitur Discordia campis,
Secretósque Pios deseret ante quies?

Digitized by Google

Scilicet has rediturus Amor premiserat iras,
Imò erat in læso tunc quoque corde Deus
Vos tamen, ô Musæ, ô Charites, iam vincla parate,
Ne licet, vsque redux, sit fugitiuus Amor.

Balzacius.

In effigiem Ioan. Lud. Balzacij.

HOc fas æqua Themis piumque sanxit
Post tot deblaterantium furores,
Vt pictor daret omnibus videndum,
Quem virtus sua fecit inuidendum.

N. B.

Aliud.

FAcunda nullus ora Gallicæ Pithus
Potis est referre pictor, & color nullus:
Imago vt extet vera, quem vides, ipse
Sibi, esto Apelles vnus, hic Alexandro.

N. B.

Aliud.

QVa scribendo oculos, quæ fando detinet aures
Ista tibi Pithus forma videnda venit.

N. B.

De Iano viridi capto.

CVm Ianum veterē clausum tenuere Quirites,
Florentis signum pacis vbique fuit,

Digitized by Google

Nulla salus bello, pax toto poscitur Orbe,
Nec Ianum viridem clausimus, ecquid erit?

In eundem.

QVæ spes immodicas punit Rhamnusia, pœnas
Illa tui fastus stultitiæque petit,
A stabulo qui dux & vitæ sordibus, Vrbem
Nuper iactabas hanc tibi posse capi.
Sed tibi compensat natales bellica virtus,
Clarum nomen habes, hoc quoque nemo negat.
Nam te iamdudum populosa Lutetia cantat,
Factus & es pueris nænia Ponte nouo.
Sors nec iniqua minis captum te traxit in Vrbem,
Vt Famâ præsens hic fruerere tui.

AD NOBILISSIMVM atque amplissimum Senatorem D. D. BOVGVIER

Extemporale.

IMportuna venit tibi Musa, rogoque rogatus
A Patribus, Ius ut Galteri in lite molestâ
Commendatum habeas. Regis fuit ille Patronus
Magno in Consilio quondam: nunc rure moratur
Et tenerâ se vxore senex, sine dote bonisque
Implicitum sentit, quæ iam bis quinque parentem
Nestorum fecit, studium huic traducere vitæ

Digitized by Google

Sanctorum; & Latiæ linguæ ac Interpres Iberæ
Dat pia multa legi, dudum hunc Ecclesia nouit
Felix ô nimium! Si cælibis otia vitæ
Seruasset, magnâ vel si mansisset in vrbe
Regius Orator: nunc ad subsellia vestra
It supplex, Lis hæc aures præbente Senatu
Dicetur, tu pars hic magna & docta sedebis;
Viue, vale nostri Iudex æquissime secli,
Interea atque tuas iubeo saluere Camœnas.

IN SEPTEM DAVIDIS PSALMOS

A Col^mo & Am^mo

N. LE DIGNE

Gallicis numeris redditos

EPIGRAMMA.

MILLE per ambages, arcanáq; mystica Dauid,
Dum ferit Hebræa carmina culta lyra:
Non satis Hebræis est intellectus, & orbi
Externo visus non capienda loqui:
Qualia Phœbeis manant Oracula Delphis,
Quæ cortina Dei, quæ tripodesque ferunt.
Dignus at interpres, patrio regalia versu.
Sensa, Palæstinos soluit & ore modos.
Iamque reus ducens suspiria lenta Prophetes,
Ante suum plorat facta pigenda Deum.

Digitized by Google

Quæ tibi, Digne, sacros reseranit Pythia sensus!
Fatidicinæ dedit vertere Regis opus?
Nobilis illa, pium cui das matrona libellum,
Illa, tot Heroes cui numerantur Avi.
Quicquid id est, totum sibi vendicat, Itala Pici
Progenies, Phœnix qui suus orbis erat.
Scilicet hic in te rediuiuus, Digne, Prophetam
Rimari, arcanas fecit & ire vias.
Nam quod te afflauit tanta fauor Heroïnæ,
Et genius Pici, Gloria tanta tua est.

HYMNVS D. BRVNONI Cartusianorum Patriarchæ.

VOTIVA *Brunonis dies*
Emicans ab æthere,
Rore floridam recenti
Imbuat Cartusiam:
Induat sacras amœno
Flore solitudines.
EREMVS *inter ardua*
Rupium cacumina,
Te, Bruno, vocet parentem;
Et Brunonis nomine
Dumus, & myrica sertis
Frondeat vernantibus.

Digitized by Google

QVAS lacteis miſcet roſas,
Atque mixtas liliis,
Candido legit pudori
Copulata Caritas:
His Bruno dedit decorum
Ver iuuenta floribus.
VIRTVTIS *hanc ne decolor*
Aura formam laederet,
Fugit integer ſalutis
Criminiſque neſcius:
Bruno fugit, ô beatam
Sic Deum ſequi, fugam!
FVGIT *per inuium nemus,*
Nuda perque culmina,
Aridique luſtra ſaltus
Intulit palmam crucis
Diuitem ſerens trophæis
Arborem cœleſtibus.
DESERTA *per montis iuga*
Hortus Eden naſcitur,
Angeli ſacros per alta
Ruris alternant choros,
Qua Bruno verenda terræ
Fixerat veſtigia.
O SVAVE *quàm ſpectaculum!*
Vera noctis ſomnia!
Enchuntur aſtra ſeptem
Ex Eremi vertice,
Qua poli ſerena ſtellis
Permeant mirantibus

Digitized by Google

SEPTENA telluris sinu
Euolant quæ sydera
Sex, & Bruno quem sequuntur
Auspicem, sunt hospites,
Quos amor Dei silentem
Ducit in Cartusiam.
INHOSPITALES numinis
Templa redduntur specus:
Saxa, cespitesque sanctis
Seruiunt altaribus:
Solitudo facta cœlum,
Astra cœlis adijcit.
HIC mens Brunonis purior
Siderum fulgoribus,
Vincla corporis resoluit
Flammeum velut iubar,
Nubium sidus pererrat
Se librans in æthera.
DENSIS latentem saltibus
Cura Brunonem rapit:
Triplicis pater tiaræ
Hunc statim Romam vocat,
Sulcet æquor vt periti
Puppis acta remige.
SED quid moraris omnium
Mater & flos vrbium?
Quid moraris inuidentis
Hunc eremi principem?
Redde Roma, redde siluis,
Redde Brunonem sibi.

Digitized by Google

EN proripit rursus fugam
Bruno ridens oppida:
Triste verticis Calabri
Consecrat culmen Deo;
Et suis replet colonis
Innocentes cellulas.
POST cœlitis vitæ dies,
Et laborum tempora,
Terra corpus, & beatum
Poscit æther spiritum:
Languidis benignus ægris
Fons sepulchro nascitur.
O CANDIDI dux agminis!
O Pater Cartusiæ!
Quos tuæ seuera celæ
Vmbra solitudinis:
Ter beata fac in æuum
Intueri lumina.
SIT laus supremo, sit decus
Et potestas numini:
Sit Patri par atque Nato
Laus in vno Spiritu,
Qui suo sacrum Brunoni
Personare dant melos. Amen.

Digitized by Google

PRO GVIDONE PATINO, BELLOVACO, Doctore Medico Parisiensi eximio, qui anno 1642. die 14. Augusti, victor euasit in lite quam ipse in medio Senatu egit, aduersus quendam, qui de *Nebulonis* nomine, violati honoris pœnam aduersus Patinum à Iudicibus reposcebat.

NOn agitat Medicus mutas inglorius artes,
Nec tibi fas istud dicere, magne Mars!
Hippocratis Schola tota, Patinus *& ipse refellit,*
Orantem summo quem stupuere foro:
Causa fuit tenuis, tenuis non gloria, quando
Insigni palmam de Nebulone *tulit.*

DE SYNTAGMATE MILITARI & Commentario viri doctissimi Gabrielis Naudæi, Epigramma.

MIretur Latium quas, vir, sermone Latino,
Romulea, chartas, Gallus in vrbe dedit:
Cernat, inexhausta quàm larga scientia mentis,
Ausoniis quantas aduena portet opes:
Miror ego hæc eadem: ceu toto dissitus axe
In Tyberim socias Sequana voluat aquas:
Et me docta capit NAVDÆI *pagina. verùm*
Quam præstat res est prodigiosa magis,
Romam Marte satam, Romanos Martis alumnos,
Quando is Martis opus, militiámque docet.

Digitized by Google

ODE
EX GALLICO V. C. GVILLIELMI COLLETETI.

BELLONA *rupto fœdere gentium*
Signa explicabat partibus vndique,
Hinc Gallicis, illinc Iberis,
Per miseras metuenda terras.

Si quà est acuto terra rigens gelu,
Si quà est calenti torrida sub face,
Si quis procul princeps remotus,
Prona quoque huc sociabat arma.

Omnisque mundi pars habitabilis
Concepta latè incendia turbidi
Belli videbatur fouere,
Torre velut iaculante flammas.
Obsessa luctu pectora, lachrymis
Passim madebant ora fluentibus;
Et victus, & victor ouebat
Tenarijs fera bella Diris.

Quà Mars cruentos verterat impetus
Lento praibat sæua Fames gradu
Mortem, satellites antecedens:
Tum vapor vt stygius profundo

Digitized by Google

Morbum excitarat pestiferum lacu,
Exorsa quicquid cuncta metens lues
Orco pararat torua ferro
Militis hoc rabies peregit.

Tagum minantem vincula Sequanæ
Missos Leones è cauea duos
Spirare vidisses furorem
Iamque truces odijs iubisque.

Verum tremenda voce Leonibus
Conuersa Gallus terga fugæ dare
Cogebat Hispanos, procella,
Æolis titiusque ventis.

Aut nostra Iberum sæpius in caput
Librata certum fulmina ceu scopum
Strauêre humi Titanas illos
Pluuerè sanguineo volutos.

Inter tot iræ incendia turgidæ
Et tot tumultus terribiles, sola
Æquata, magnarum incebant
Mœnia diruta ciuitatum.

Et cum superbis arcibus aggeres
Alterna belli sors modò cœperat,
Et rursus amittebat, atro
Sanguine humus penitus natabat.

Europa cœcis acta furoribus
Erat cruentæ Scena Tragediæ,
Vnumque quò partes agebant
Tot scelerum facies, Theatrum.

Digitized by Google

VRBANVS ingens Christiadum caput
Orbisque Sancti conspicuus Deus,
Quem nostra libertas, salutis
Quem penes es sera tota nostra.

Ille ille dexter omnibus hercules
Grassantis hydra per populos videns
Late venenum, destinauit
Hac trepidas releuare terras.

Priúsque fauces quam premeret fera
Mollire adortus saxea pectora,
Quibus Dei nullus colendi
Multus erat, sed amor triumphi.

Hæc cœpta lætus ducet ad exitus,
O dignè Præsul, pectore cum tuo
Concepta sunt æquè, sed vni
Ille tibi dedit exequenda.

Europa sperat non temerè suam
Per te quietem, Romulidum parens
VRBANVS illi quam procurat
Dexteritas tibi tanta mentis!

Viuaxque virtus apta negotijs!
Vt efficacem Mercurium, neque
Fixum putet te totus orbis,
Eximijs habilemque rebus.

Non lapsa summis flumina de iugis
Torrentis vndæ; claustra nec Alpium
Vicina cœlo te morari
Atque tuos potuêre cursus.

Digitized by Google

Est illa nullis clausa repagulis
Virtus, & omnes transilit obices,
Te nulla deterrent pericla,
Réque doces liquidóque monstras.

Prorsus requiri plena Scientia
Et plena zeli pectora, talium
Miraculorum quisquis author
Esse tibi similisque certet.

Iam non ab alto desiliens biceps
In parta nobis hac Aquila inuolut,
Nec terret orbem, quam suorum
Horror habet propior malorum:

Sed hanc furentem vox tua fortior
Sedat loquentis: sic vbi Delius
Forma decorus, voce iuncta
Cum fidibus Superos remulcet,

Cœlum beato desidet otio,
Agunique gratas sidera ferunt
Ales sibi labi deorsum
Inualido finit vngue fulmen:

Negotiorum tot grauis arbiter,
Pacis Administer maxime, concitos
In mutuas, placa, ruinas
Compositis populos duellis.

Si vera Apollo me monet, hostibus
Suis amari REX meus incipio,
Quantum priùs dignus timeri
Iusta ferox vbi sumpsit arma:

Digitized by Google

Sic omnis huic deferbuit impetus
Ira, & serenus sceptra videt sua
Sublimius tolli, æmulorum
Inferius pariter relabi.

Insiste cœptis eia age grandibus,
Dum CARDINALIS te meus aspicit
De sede sublimi, tuoque
Pro pietate, fauet labori:

Fac Pacis alma commoda, & aurei
Tranquillitatem viuida seculi
Europa gustet, sicque votum
Omnibus hoc . . . . . esse

Prorsusque haberi tantus apud suum
Possit Quirinum, quantus Hero placet
Qui Christianorum supremum
RICHELIVS dominum secundat.

Anno 1635.

HORATII GENTILIS PERVSINI IN MAMVRRAM.

PArasitus audax strenuusque Mamurra,
Acer bonarum vertagus culinarum,
Cunctis diebus quem senex equus portat
Non rus euniem, diuitum sed ad quadras;
Sibi notatas quas in vrbe metator

Digitized by Google

Habet, replendo prandsis statis ventri;
Si quaeris à me qualis artifex viuat,
Est pædagogus, non is vnus è multis,
Sua sed olim canonas artis excessit,
Gaudetque vita non scholastica frugi,
Nec caterorum moribus magistrorum
Degit, nec illis vult manere cancellis:
Sed notus omni ciuitate grassatur
Assecla cocti suminis: nec est vllus
Ciuis beatus, aut senator, aut Præsul,
Harpya cui non inuolet dapes mense:
Græcatum opimas dum frequens it ad cœnas
Cathedra perosus solitudinem Græcæ,
Ollâmque in aula sequitur: hîc dedit pœnas
Linguæ petulcæ nuper axe detrusus,
Vbi hauriebat suaue cum Deis nectar,
Meruitque refugos Tantalus nouus fontes
Felicitatis imbrobo ore decoctor:
Quapropter oculis intuentur hunc torui
Equo sedentem quamlibet macro, virtus
Cui nulla redimit pædagogicas sordes,
Et vix aselli premere dignus est tergum.
Adulterinâ, regio charactere,
Fallit monetâ, damnu dans parum cautis.
Et sobriorum quî locum Gulosorum
Gurra occuparit istâ, gentis Auratæ,
Quo iure, mitto quærere, hoc scio tantùm
Græcum vocari pauperemque Mamurram,
Neque à Potente sic solere distingui:
A dignitate disparique fortuna

Digitized by Google

Communis fallat fortè nomen ambobus:
Mamurra tum sic disparatus illustri
Vt Graeca, audit alpha sycophantarum:
Professor esset qui fide nisi graeca,
Pedes ambularet, beta Paedagogorum.

HORATII GENTILIS PERVSINI DE MAMVRIO DICTATORE.

MAter & domina artium honarum
O Lutetia, cur tibi instituta
Frustrà tot cathedrae & Professiones
Impensis veterum fuere regum?
Ars verò interea tibi est omissa
Longè quae omnibus antecellit una?
Et cui sedula cura caeterarum
Sudans perpetuo labore seruit?
Ipsa nullius indiget fruendo.
Quae tandem est ea, quaris? ars edendi,
Quaque illi comes haeret ars bibendi:
Iactat vtraque deesse neo vetustos
Authores sibi: Lucianus illam,
Hanc Antonius edidit triumuir,
Et praecepta dedere regulasque,
Quî sit sumptibus haud suis edendum,
Quo sit gutture, qua fide bibendum.
Sic nemo parasiticam negabit.

Digitized by Google

Esse, ni siet imperitus, artem;
Cuius non habuit peritiorem
Prisca, nostráque non videt sophistam
Ætas Mamurio. sed ille nugis
Græcis & Latiis valere inßis,
Si de re bene publica mereri
Volet, nec sibi doctus esse tantùm,
Illam tàm bene quam colit facitque
Artem nos quoque publicè docebit,
Quæ fert commoda tanta, quæque sanis
Ad vitam vnica sufficit beatam.
O! si, regia, voce personabunt
Eius pulpita, pingue disserentis,
Quod bonum est aliena quadra summum.
Qualis buccina! quantus audiendi
Omnes vndique conuocabit ardor!
Fiet aula frequens, eruntque trita
Trium limina tunc Episcoporum.
Tunc præter citò dicta ne volarint,
Mille discipulos videns rogare,
Vt dictata etiam domum reportent:
Spernet nomina parua, nec magister
Appellabitur inde, nec Professor,
Sed nouo titulo superbus, artis
Dictator Parasiticæ feretur.

EIVSDEM DE EODEM.

ÆTas iam tibi gratulare nostra,
Fraternâ atque suâ celebritate

Digitized by Google

Non vulgaris homo, scholasticaque
Auctor historiæ, datur videri:
En Petrus redivivus est Comestor.

EIVSDEM DE EODEM.

Dictator Parasitici futurus
Quidni Mamurius sit iste regni?
Qui iam proxima scandit, & Magister
Si non est equitum, est eques magister.

EIVSDEM DE EODEM.

Dictator vt sit, proximo gradu fiat
Magister equitum, nunc eques magistrorum.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

NICOLAI BORBONII

In Academia Parisiensi Eloquentiæ Græcæ Professoris Regij

TVMVLVS,

Ad perpetuam viri doctissimi, humanissimique memoriam, & suæ erga eum superstitis obseruantiæ monimentum ab amicis extructus.

PARISIIS,
Apud ROB. SARA, viâ Cithareâ, sub signo Brachij Herculei.

M. DC. XLIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO DOMINO, D. CLAVDIO DE MESMES, COMITI D'AVAVX, Vtriusque Regij Ordinis Commendatori, & Status Ministro.

NICOLAI BORBONII tumulum quem è variis monumentis ære ac marmore perennioribus concinnaui, tibi vni dedico, Vir Illustrissime, quippe quem ille semper suspexit, quem & eximiâ beneuolentiâ, & literis sub ipsam vsque Arcton prosecutus est. Neque enim dubito quin pro tua sin-

Digitized by Google

gulari iactura, magnam quoque mœroris portionem in hoc luctu participes. Adolescentem ille te liberalioribus disciplinis instituit; prouectiorem, atque ad honores tua indole nitentem incitauit; virum denique omni virtutum genere cumulatissimum tam admiratus est, vt præ te in Gallia neminem. Tibi non blandior, Illustrissime Domine; &, si huic quoque gloriæ quispiam inuidus contradicat, habeo in promptu eos vniuersos, qui ad istius tumuli fabricam contulerũt, egregios fidejussores. Profitebuntur ipsi, quàm apud exactissimi iudicij sencm tuæ virtutis, atque eruditionis continua fuerit commemoratio, quàm suauiter tuas literas deosculabatur, quàm auidè de tuis insignibus factis, atque dictis audiebat, quàmque ho-

Digitized by Google

norificè de ingenio, de ſtylo tuo, de epiſtolis, variiſque orationibus tuis ſenſerit. Satis multę profecto iſtæ ſunt cauſæ, cur in hoc deducendo funere principem locum teneas. Idcirco ego qui venerandum ſenem ſępius adeundo, amicos eius præcipuos habui cognitos, eos ipſos non ad pompam modò funebrem per ſchedulas meas, ſed ad excitandum ipſi immortale monumentum inuitandos cenſui. Et verò iampridem illi non è Cypro, aut Paro æra, ac marmora, ſed ex fœcundiſſimis, & liberaliſſimis mentibus elogia quamplurima ſuâ ſponte deprompſerunt. Vellem literatos omnes ad iſtud idem officium eſſe compulſos. Verumtamen hæc non ex mole, atque cumulo, ſed ex arte, atque ordine commendari debent: paucæ certè gemmæ bene

Digitized by Google

elaboratæ, atque collocatæ ingentibus saxis, ac lapidicinis præstantiores sunt. Quæcumque verò ista sint, iudicare non est meum: quæ tua summa est in toto hoc genere peritia, ipse arbitrabere. Qui ex præjudiciis sapientiorum moueri solent, conspicient istic præstantissimorum artificum titulos, poteruntque vel ex solis nominibus aliquid exquisitum in argumento non vulgari conjicere. Id verò impensiùs credent cùm didicerint re, qui omnia prudenter, ac decorè facis, huic operi educendo authoritatem præstitisse; cùm videlicet illustre Memmiorum nomen per tot auorum seriem consecratum, per hodieque summa cum dignitate florentium Præsidum, ac Senatorum splendorem exornatum, celeberrimi præterea toto orbe Memmij

Digitized by Google

Auauxij cognomine insignitum, editioni meæ præfixum viderint: quod quidem vt pro tua humanitate sinas obsecro te quàm possum demississimè,

Illustrissime Domine.

ROBERTVS SARA
Typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

VARIA DE N. BORBONIO autorum testimonia.

Extraict du College Royal de France, ou Institution, establissement, & catalogue des Lecteurs & Professeurs ordinaires du Roy, fondez à Paris par le Roy François I. & autres Roys ses successeurs, composé par Guill. du Val, pag. 22.

XV.

NICOLAS BOVRBON, Champenois, Orateur & Poëte excellent, Grec & Latin, quinziesme Lecteur du Roy, en langue Grecque; encores, graces à Dieu, plein de vie à present 1643. il a succedé à Critton, & s'estant aquité plus que dignement de sa charge, s'est reduit par vne saincte resolution à l'estat Ecclesiastique, où il vit exemplairemét, s'estant

Digitized by Google

démis volontairement de ſon eſtat & charge de Lecteur du Roy, entre les mains de Pierre Valens, qui luy a ſuccedé, & eſt le 16.

Sçauolæ Sammarthani liber I. Elogiorum in elogio Nicolai Borbonij ſenioris.

Prodiit ex ea gente Borbonius alter priori cognominis, quem & regiâ Græcæ linguæ Profeſſione celebrem, & mirifica Maronis æmulatione conſpicuum Lutetia Muſarum alumna ſibi vendicauit.

Emericus Cruceus in ſupplici libello ad D. Rectorem & Academiæ proceres.

Nec enim Glauciæ vlli tantam labem aſpergent ſtudiorum vniuerſitati, quantum ei decus attulerunt Turnebi, Genebrardi, Syluij, Fernelij, Mureti, Critonij, & eos proximè ſequuti Paſſeratij, Marſilij, Borbonij, Grangerij, Morelli, & ſimiles magnæ animæ, quæ chartis immortalibus, ætati ſuæ atque Academiæ fuerunt honeſtamento.

Digitized by Google

Io. Aubertus in præfatione ad Cyrillum.

Nec tacitus abibit Nic. Borbonius, candoris & ingenij dotibus ornatissimus, qui luculenta nobis fragmenta intermediorum IV. librorum in Ioannem ex Catena Illustrissimi D. Episcopi Maclouiensis desumpta benignè tradidit.

Rodolphus Boteraus in Magno Franciæ Consilio Aduoc. in Lutetia, pag. 26.

Borbonium an sileam nisi digna Marone sonantem?
Assuetum herois pedibus, latioque cothurno?
Vnus qui Æneæ reliquos memorare labores,
(Mantuæ olor, fato quos intermisit ademptus)
Posset, & infernos raptus Iuuenis Auerna:

A. M. Auctor feriarum forensium, seu elogiorum illustrium Togatorum Galliæ ab anno 1590. in Epistola dedicatoria.

Asseruo autem, neque vmbris, iisq; Bibliothecæ meæ spissioribus exire patior probatum olim Scaligero, Sammarthano, Nicol. Rapino, Flor. Septimio Christiano, Nic. Borbonio,

Digitized by Google

Iac. Turnebo, Senatori. Dom. Harlæo Sen. Pariſ. Principi, aliiſque celeberrimis ac eruditiſſimis ſecli arbitris, poëma epicum, quod anno 1589. & 1590. &c.

Paſquier liu. 7. chap. 14.

Nicolas Borbonius, que j'eſtime l'vn des premiers Poëtes latins de noſtre temps, & de noſtre France.

Guido Patinus Bellouacus, Doctor Medicus Pariſienſis, in epiſtola Latina ad Ioannem Beuerouicium, quæ habetur in Spicilegio de Calculo, pag. 154.

Ex quibus ſingulis vnus eſt mihi inſtar omnium, nuperrimum illud Syntagma de ſtudio militari, quem ab omnibus doctis tantopere probatum video, præcipuè à digniſſimo illo huiuſce rei arbitro Nicolao Borbonio, linguæ Græcæ Ex-profeſſore Regio. Is enim Vir literarum, omniumque literatorum verè amans, vbi vel primas eius libri quem ad me ab Autore miſſum ei commendaueram, lineas

Digitized by Google

delibauit, non potuit quin ſummopere laudaret, ſuóque calculo lubens approbaret; elegantiſſimo nimirum epigrammate (cuius ipſe Nicolaus Borbonius mirus eſt atque egregius artifex) in Naudæi laudem contexto, cuius exemplar illicò Romam ad amicum noſtrum tranſmiſi.

Ioannes Beuerouicius Dordrectanus Medicus, in epiſtola ad Guidonem Patinum, quæ ibidem legitur pag. 164.

Inter eos etiam clariſſimum Morellum collegam tuum, & vtrique amiciſſimum Naudæum (addere liceat) noſtrum. Huius Syntagma de ſtudio militari, Autoris munus, vidi, legi, probaui. Et quid non ego, probatum optimo cuique & doctiſſimo, celebratumque à nobili Poëta Borbonio, cuius ego viri ingenium & ingenioſos verſus vnicè ſuſpicio.

Digitized by Google

Nicolai Borbonij, quondam in Academia Parisiensi Eloquentiæ Græcæ Professoris Regij, & in Ecclesia Lingonensi Canonici, ELOGIVM.

Fauete, quotquot Musis sanctissimũ obsequiũ addicit. Habetis hîc probum sine fuco, doctum sine fastu, Rhetorem sine procacitate, Poëtam sine dicteriis, æquum virtutis æstimatorem, morumque affabilium candore commendatissimum virum Nicolaum Borbonium, in omni genere literarum, sed humaniorum præsertim huius ætatis facilè primarium. Is ex Baro-ad-Albam Lingonensis agri oppido, patre Medico, oriundus, clarissimis eiusdem nominis propatrui vestigiis insistens, ita nomine ipse creuit, vt apud Sammarthanum priorem illum elogio nobili post Paulum Iouium celebrantem, sibi conscriptam laudationem etiam viuus meruerit. Vt autem bene nati ingenij culturæ nihil deesset, Lutetiam bonarum artium fœcundissimam alumnam iunior

Digitized by Google

adiit; vbi magistros celeberrimos, in Eloquentia Passeratium, in Philosophia Lucanum audiit, ipse mox eximius dicendi, philosophandiq; magister euasurus. Vtriusque specimen dedit, cum in Grassinæo, itemque Harcuriano Lycæo eloquentiam aggressus ita claruit, vt summo ratiocinationis vigore, & concinna dictionis elegantia austerũ Dialecticæ genium ad gratiores Rhetoricæ mores conuertisse iure videretur. in eo munere postquam plurimos annos gloriosè traduxit, impar deinceps tanto labori, seu veriùs otij domestici præsumpta voluptate delinitus, receptui cecinit. Vitam degebat contentus, ac honoris satur, cùm ad Suggestum publicum, sed in Schola regia reuocauit eminentis doctrinæ Iacob. Dauidius Card. Perronius, magnus Galliarum Eleemosynarius. Huic gratiæ occasionem præbuêre aliquot in execrandum Henrici Magni parricidium perpoliti versus excellenter factæ ad Poesim indolis testes; quæ quanta

fuerit vel ab ineunte ætate ad difficiliora ſtudia, ex eo conjice, quod vix duodecim annorum adoleſcens, integri Luciani & Philoſtrati non modò mentem attigerit, ſed & ipſa verba memoriâ apprime teneret! Vt verò nihil tenue gloriæ accederet, Crittonio Eloquentiæ Græcæ diſertiſſimo Profeſſori creatus ſucceſſor, eam præclariſſimam artem adeò gnauiter & induſtriè tractauit; vt in vno Borbonio quotquot anteierant maximi nominis Lectores rediuiui putarentur. Idem, quod ab Harcurio auocarat liberioris vitæ ſtudium, eò adduxit virum aliàs ſatis frequenti morbo, inſomniâ præſertim, etiam cùm maximè ſomnum appeteret, totius vitę decurſu crudeliter conflictatum, vt regiâ Profeſſione ſe ſe abdicarit; ac pridem tranquilliorem ſeceſſum meditans, in Oratorium Pariſienſe, veluti tutum pacis ac pietatis portũ, quodcumque ſupereſſet æui, ſubduxerit. Ibi Deo viuens, ſibi, & amicis ad inuiſendum ventitantibus, plu-

res innocenter annos quietus, non tamen ignotus transegit: alij enim eorum, ac inter doctissimos melioris notæ, excipiendis tot oraculis, quot sermones institueret frequentes aderant: alij de probandis literariis operibus Borbonij censurâ veluti Lydio lapide, maturum iudicium impigre consulebant; ita vt ne vel vnus è literatis proceribus, suum nisi ipso authore inter eruditos nomen referẽdum censeret. Hinc ex tot Europæ plagis ad Apollinem Gallicum emissa vota; hinc perenne epistolarum commercium; tanta fuit illius in omnes comitas, tantum de omnibus mereri potuit! Nec, si fortunâ conspicuorum hominum beneuolentia virtutis aliquando testis esse potuit, Borbonio defuit perhonestum stipendium Richelij Card. studio, & quam pluris duxerim, Potierij, illustrissimi Bellouacensis Episcopi magnifica gratia: huic enim vt primùm adspirare visa est aliquanto beatior aura fauoris aulici, se, quod Reginæ Regenti forsan

accepta forent officia, aut si quâ in rebus gerendis polleret industriâ, Borboni institutioni debere, palam apud eundem quem ad id inuiserat, plurimis adstantibus viris egregiis professus est. Digna pectore ingenuo verba, par excepit annui reditus munificentia. Sed ad fideliora virtutis argumenta conuertamur. Prostant artis tum Oratoriæ, tum Poëticæ, siue Græcè scripta, siue Latinè luculenta monimenta, quorum quidem editio peculiari amicorum enixè efflagitantium curæ debetur, in hoc vno non satis æquus ille, qui talia pignora modestiæ licet studio, tenebris damnanda decreuisset. Et quamuis plura, maioraque ab eo potuissent sperari, in iis tamen rerum & verborum vbertatem, linguæ castitatem, summamque vim deprehendas. Intereà ipse suis operibus acquisitæ iam laudis non ingrata potitus parte, ad septuagesimum ferme annum iucundiùs senuit, dum actæ piè vitæ sibi conscius, non minùs securè mortem expectaret. At

ne longum corporis & animi consortium solueret violentior exitus, sensim, & vt ita dicam, sine sensu, deficientibus vitæ principiis, ad vltimam ætatis periodum deductus, inter sanctos Christianæ Religionis affectus, animam ad Superos feliciter dimisit die 6. mens. August. ann. Do. 1644. Apud Patr. Orat. Paris. in communi sepultorum dormitorio situs, iudicium Dei expectat & clementiam.

Vos autem charæ, bonæque recordationis Manes, si quando lubet è feliciori cœlo ad nos diuertere, æqui consulite, superstitem amorem huius scriptiunculæ officio æternùm colendo nomini vtcumque parentasse.

DE GARABY LA LVZERNE.

Digitized by Google

IN EIVSDEM OBITVM.

Ad eruditos ipsius amicos Protrepticon.

NOn venio huc animo persoluere iusta dolendi:
Naturæ fieret nostra querela grauis.
Humanâ illachrymem resoluto compede amico?
Donatum cœlo uania nostra sonet?
Absit: nanque animum melioribus insitus astrîs
Gaudet non vanis nobilitasse bonis.
Gaudet, quos riuis deduxerat ante liquores
Eloquij, pleno fonte salire sibi.
Gaudet nectareo satiari flumine; gaudet
Cum docto tandem discubuisse choro.
Præterea quid agat Superûm sublimis in arce;
Quid curet, lector, si tua cura rogat?
Ex tot, quos facunda trahebant auribus ora,
Qui memores fuerint nominis, ille notat.

De Garaby La Luzerne.

Digitized by Google

NICOLAI BORBONII Poëtarum huius ſeculi Principis TVMVLVS.

NVnc quoque durat honos rerum, ſunt & ſua noſtris
Lumina temporibus; non vbertate prioris
Feſſa aui torpent Naturæ effœta parentis
Viſcera, ſicut anûs, quæ partu exhauſta frequenti,
Exucco ſterilique vtero laſſata fatiſcit.
Illa expers ſenij, & ſemper fœcunda, potéſque
Nunc etiam ferre ingentis certantia priſcis
Ingenia, Heroës nixu parit vſque beato.
Annorum fautrix veterum, noſtriſque diebus
Gens inimica, nouos inter, Vatum aſpice Regem
Borbonium, *præſens audet quo fortiter ætas*
Stare vetuſtatem contra. Viden' ille potenti
Vt genio fretus Libitinæ inſultat auaræ?
Vt ſapit antiquum Latium? gradiéſque decorâ
Maieſtate alios, minor vno, vt prouocat omnes,
Itala quos alunt quondam læto vbere tellus,
Et magnum inſequitur ſpatio propiore Maronem?
Manibus, vt fama eſt, antiquæ priſtinus artis
Reſtat amor, viuos nec in ipſa morte relinquit;
Fernida quæque pios Vates hîc cura tenebat

Digitized by Google

Carminis, Elysiá comitatur sede repostos.
Ergo (Borbonius narrare quod ipse solebat,
Nec sine teste graui, sit fas audita referre)
Vt Fortunatis Maro quondam inspexit in aruis
Bella per Æmathios, *ardentis grandia Musæ*
Orsa, timor subiit diuinam Æneïda surgens
Ne superaret opus: sed mox pars vltima versu
Deterior primi, series & tota sequentis,
Lectáque porro metum discussit pagina, longè
Visa sequi; tragicúmq; tumens, rutúq; suorum*
Pingue sonans, abiit despectus Batis alumnus.
Ast vbi Mincíades, retro voluentibus annis,
Borbonij vidit monumenta, & quis nouus, inquit,
Quis nouus exurgit tanto post tempore Vates?
Omnia Virgilio similis, numerúmque sonúmque,
Et nitidos cultus, & vera conscia formæ
Carmina, mentito nusquam fucata colore.
Aurea Musarum si talem secla tulissent
Augusto regnata patri, doctóque labori
Aspiruns, opibus Cæsar fouisset amicis
Mecum acies, pariterque canentem Æneïa bella;
Is tibi fecisset dubiam, mea Mantua, palmam.
Dissimulare vetat quisquã pudor, hac mihi virtus
Prima fuit viuo, hanc etiam post funera seruo.
Sin mœrita & dotes iuuat expendisse recentum,
Hactenus Ausoniæ steterit victoria genti,
Aonio in campo; nunc versis Gallia fatis
Ibit ouans, felix hoc Vate, hoc Principe; nostris
Non ea vis Italis, non illi ad carmina nerui,
Actius ornatu vario supereminet omnes

* Cordubæ nati Poëtæ pingue quiddã sonãtes. *Cic.*

Digitized by Google

Parthenopæus, habéq; meis plectra æmula plectris.
Ast sonus haud olli nec talis spiritus: alter
Mi propior Musâ est, tumulo ceu proximus alter.
Virgilius iam tum Elysiis sic fatus in oris,
His cum Nicoleos diuino carmine Manes
Sacrabat Magni Henrici, Dirisque *vouebat*
Infandum caput, & dextram quæ Regia fodit
Ah! cuso fornace Erebi præcordia cultro.
Nunc annis fessus, lustris ter quinque peractis,
Heros Borbonius tandem mortale reliquit
Hospitium, terris quem longùm exercita virtus,
Iam matura polo gaudentibus intulit astris,
Felices auctorum animas, vbi lacteus ignes
Circulus agglomerat densos. At mœret ademptum
Gallia, dilecto populosa Lutetia Vati
Dat lacrymas, & Rex fluuiorum Sequana, prenis
Auribus assuetus Reges audire canentem,
Ingemit, atque suas auget nunc fletibus vndas.
Illacrymat princeps Academia, pulpita plangunt
Regia, voce diu quæ personuêre docentis,
Et circumfusam ducentis in Hellada pubem.
Vatum præcipuè, Vatum quibus antra reclusit
Castalia, amisso luget pia turba Magistro.
It cunctis in verba dolor: prô Numina, quanto
Præsidio Latium, & quanto spoliantur Athenæ
Barbariem contra fœdam, reciduáque semper
Tollentem capita, & Musis fera bella parantem.
Franciadûm quis facta canet Manortia, rapto
Borbonio? Latias cui nemo ex agmine Vatum
Par animare tubas, æquare & classica cantu.

Digitized by Google

Ecquis io tali populos iam carmine dicet
Rege triumphatos puero? teneróque subactas
Hercule, Gallorúmque in nomen rursus ituras
Belgarum gentes? fastúque ausóque Gigantum,
Iam coniuratos rescindere Lilia Iberos,
Immortale suum munus quod protegit Æther.
Nos Ducis exortes, nunc plectra artémq; decoram
Ponimus, hæc illo viguit spirante, sepulto
Muta silet. Gratâ sedenim te mente colemus,
O decus, Aoniæ lux ô clarissima gentis,
Dum nos ætherea pasti superabimus aurâ.
Dúmque aræ affusus dicet pia verba sacerdos,
Visemus tumulum, & tumulo sua dona quotannis
Mittemus, thuris lacrymas, & olentia latè
Lilia, cúmque rosis & lacteolo narcisso,
Pallentes violas, & languentes hyacinthos.
Nec minùs & castæ Permessi ad flumina Diuæ
Mœrent, & Lachesim crudelem nomine dicunt.
Plurima Borbonij virtus, memoríque recursat
Plurima laus animo (meminerunt omnia Musæ)
Vna Oratorem, summum vocat altera Vatem,
Palladis hæc donis opulentum, hæc moribus aureis,
Omnibus in titulos ampla est seges. Adgemit illis
Cynthius, & citharâ abiiciens. Sua carmina mœstus
Deuouet, heu! tetricas ignara mouere Sorores,
Ferratis hominum voluunt quæ stamina fusis.
Necnon & mutas, quibus vnà præsidet, Artes,
Et vires cassas herbarum, & Numen inane.
Multa suum incusans Latonius, hei mihi, dixit,
Quòd sunt inualidis in lethum gramina succis,

Parcarúmque

Digitized by Google

Parcarûmque ferox & inexorabile pectus
Flectere non opis est nostræ! Vis nempe catenam
Rumpere fatorum præduro adamante rigentem
Nulla potest, & debentur mortalia morti
Omnia. Borbonij potuisset numine si quo
Seruari vita, & nostro seruata fuisset.
Illius at faxo viuax à funere nomen,
Trans Rhenúmque, Padúmq; Caledoniásq; pruinas
Fama volans, ibit per dorsum immane Pyrenes,
Herculeam ad Calpen, mundíq; nouissima claustra.
Autori & quamuis æternum spondet honorem
Clarũ opus, haud mortale sonans, altásq; per auras
Sublimem sua penna leuat, tamen insuper ipsi
Erigere est animus monumentũ, & marmore & ære
Durius, & dentem quod edacis rideat æui,
Pyramidésque premat Phariæ miracula terræ.
Hîc vbi turritum cælo caput inserit alto,
Vna vrbes pulchra ante alias, vrbs aurea Regum
Hectoridûm domus, infuso quæ flumine magnum
Intus alit mũdum, immanémq; coërcet opum vim:
Sunt nobis animæ illustres, gens ignea Vatum,
Et Phœbo soboles non inficianda parenti,
Borboniæque Chorus Musæ non degener hæres.
Nunc age quem viuum coluit, post fata Poëtam
Eximium, & sanctos veneretur carmine Manes.
Hac siluisse tenus satis est, desueta repente
Plectra viri plectra accipiant, sic mandat Apollo.
Vix ea, iámque micant fibræ, iam spiritus omnes
Afflauit sacer, & per corda agitata cucurrit,
Certatimque mouent resides in carmina chordas.

Digitized by Google

Ecce autem dum multa sonat testudo, labori
Et iusso incumbunt (numerosum Amphiona credas
Artificem pulsare chelyn) molimine blando
Assurgit Tumuli *moles, iámque imminet astris*
Ardua, supremas Orbis visura ruinas.
Scilicet illud opus non est mortale Guietus
Quod struxit, Graiæ decus, & linguæ Arbiter ingens
Ausoniæ, labra Pieriis qui proluit vndis.
Atque vnà magnus patriæ, scit Gallia quanta est,
Balzacus *Eloquij pater, Aonidúmque Sacerdos,*
Cuique Lyræ dedit imperium Polyhymnia France,
Et Francam altisonus qui cantat Amazona docte
Ore Capellanus. *Necnon vir factus ad vnguem*
Menagius, *Musæ Andino cui molle decorúmque*
Andini annuerunt Vatis, tenerique pudicas
Nasonis veneres. Tum Luzernæus *vtrâque*
Nobilitate nitens, & linguâ vtrâque paratus
Condere victurum carmen: dilectus, amatus
Borbonio immensùm, placidâ cui morte cadenti
Ore animam legit supremam, & lumina clausit.
Et meritis titulos, animæ pars maxima nostræ
Hallæus, *Suada facundus Mysta Latina,*
Regius Interpres pariter, paritérque Poëta
Regius, & cui Musa alto generosa canore,
Borboniique animos spirans, geniúmque Maronis,
Augustos habili donat celebrare triumphos
Ingentis Pueri, quo Francia Rege superbit,
Et formâ & forti cui pectore cedat Achilles.

ANT. HALLEY, in Cadomēsi Academia Eloquētiæ Professor Regius, & eiusdem Acad. Rector.

Digitized by Google

N. BORBONII CANONICI Lingonensis, in Academia Parisiensi Regij Professoris, Poëtarúmque principis sub Amyntæ persona deflétur obitus.

AMYNTAS, LYCON, THYRSIS.

THYRSIS.

QVa te causa, Lycon, aut quis dolor afficit agrè
Sic animum, abjectis vt dedignere cicutis
Arua sequi, molliqne greges componere cantu?
Non id mentis erat, cùm tu celebrare solebas
Dorida: nam memini pastores inter hiantes
Auritum pendere pecus cantantis ab ore.

LYCON.

Non iam, Thyrsi, leues calamos inflare sub vlmo,
Non agiles curo Dryadum lustrare choreas
Ampliùs, aut Syluis absconditus etia sector.
Non me ruris amor, minimũ quoque tangit ouilis
Cura mei, aut alta pendentes rupe capellæ:
Altiùs insedit quis me nunc opprimit angor,
Nec faciles etiam rumpuntur pectore questus.

THYRSIS.

Quæ te caussa tamen subitò mutauit, vt agrè
Nos quoque respiciens, inuet hunc celare dolorem?

Digitized by Google

Quem fors consilio, nisi possumus arte leuare,
Si lubet, ede Lycon, fidum nec despice Thyrsim.

LYCON.

Cura leuis loquitur, stupet altum pectore vulnus,
Et nec, vt occepso, tamen anxius edere possim,
Ipsæ te Coryli meliùs te arbusta docebunt.
Si tamen ignoras, viden' hæc vt languida torpent?
Vique cacuminibus matrem venerantia pronis
Deficiunt? viden' errantes per deuia nymphas
Indutas etiam mœsto lugubria vultu?
En & muta Pales, & lugent Panes in antris:
Vtque velis hunc me paucis absoluere casum,
Extincto musæ mussant, & Phœbus Amynta.
Omne decus ruris, nemorum decus occidit omne.

THYRSIS.

Nescio quid præsaga mali mens voluerat huius:
Læua improuiso manauit sanguine naris:
Tinnibant aures, & cor saliebat in horas,
Nec, quod erat, poteram tot adhuc dignoscere signis.
Quis Diuûm genus, aut obnoxia numina morti
Crederet? alterno germanus Castora fato
Dat superis, castum reuocauit ad ætheris auras
Hippolytii Phœbe: cur non & Phœbus Amyntam?

LYCON.

Diuis Thyrsi, pilæ sumus omnes, ludimur illis,
Queis bonus immeritò non æquiparetur Amyntas:
Hybleis condita fauis tantum ora leporem
Fundebant, omnes Deus Hercle dignus haberi
Pastores inter, si non & fata vetarent.

Digitized by Google

THYRSIS.

Quæ tandem cœlo dignum, considere terris.
Inuidia est? quorsum tanta indignatio diuûm?
Quis non cantantis miracula nouit Amyntæ?
Dij quoque laudarunt, stupuitq; Lycæa parantem.
Ipse pater madidos redimitus arundine crines
Matrona 1, *& exiliẽs tumidis caput extulit vndis.*
Sensit, sed nec erat, toto iam vertice nutans
Dissimulare potis sua gaudia, Lucus Amorum 2
Mõte Breuoniaco 3, *Satyros Nymphásq; videres*
Concordes vnà molles agitare choreas.
Illius ad numeros, Arbolotúmque 4 *tenere*
Attentum cursus, demirarique canentem,
Ac prohibere suis Bornellã 5 *murmura lymphis.*
Quin & mota loco, tam certa potentia cantus,
Ægidis *audito saltabat carmine* rupes 6:
Cur immortali sint hæc indigna fauore?

1 Vulgò, *la Marne.* 2 vulgò, *le bois d'Amours,* ad primum ab vrbe lapidem. 3 Mons ad Occidentem Lingonis oppositum, vulgò, *la montagne de Breuaine.* 4 Fons est ad radicem montis Breuoniaci, vulgò, *la fontaine d'Arbolote.* 5 Riuus est, ne dicam fluuium, vicum Breuoniacum interluens 6 Rupes inter vrbem & sacellum Diui Ægidij, vulgò, *la Roche Sainct Gilles.*

LYCON.

O bone, plura quidem maioráque fecit Amyntas
Quàm numerare vacet, quàm animo comprendere possis.
Quò tamen ista? nihil Clotho de iure remittit:
Surdior at scopulo, fœtáque immanior vrsâ,

Digitized by Google

Et ponto horridior, flecti mors improba nescit.
Fallere Thyrsi, putans homines cœlestibus vnquam
Dotibus acceptos istis, mortalia longè
Quæ superant, inuisa Deis, & liuor olympum
Tangit, & ingenio cœlum affectare videmur.
His super inuidiam superi caussantur, & iras,
Vt nullum patiantur humo se tollere læti,
Et sua sint illis odio quoque dona: pudétque
Humanæ artis eos, & ab hac sua numina vinci.

THYRSIS.

Parcite cœlestes, vestra hæc iniuria: saltem
Voluere Cumææ licuisset tempus arenæ:
Verùm stare loco, contentáque viuere nescit
Sors humana diu, nocituráque sæpius optes.

LYCON.

Hîc esset, numquámque tuas remeasset ad oras
Sequana, qui nostra malè nuper clade superbus
Quem bene non clepsti, thesaurum amittere dignus
Dum sinis effluere a. *Hoc etiam nos inuide priuas,*
Nam desiderium reuocantis vt Isidis *vrit,*
Nec veteres potis, b Audomate *restinguere flãmas*
Mors amor iste fuit, vitámque extinxit & ignes.

a Parisium, παρὰ ἴσιος b Audomatunum Lingonum, hodie ciuitas Lingonensis.

THYRSIS.

Non hunc fortè Lycon cursum prohibere licebat?

LYCON.

Quid non tento amens, quid non facióq; loquórque,
Sistere quo possim gressum, cursúmque morari:
At neque promoueo, stat abire, negátque teneri.

Digitized by Google

Me vocat Isis, *ait, quid non obnoxius illi*
Debeo? iussa capesso lubens, differre nec ausim.
Tu, mihi quando fides tua, quando certa voluntas
Nostra sollicitum lenire memento dolorem
Audomates, *luctúmque grauem solare monendo.*
Illa via spatium, veniam dabit illa, regressus
Spem modò fac, reducem paucis hæc ora videbit.
Argutam è molli cannam tum promit aluta,
Et Cycnaa canens reditum promittit inanem.
Vtque valere iubet, quam Tityrus ambiit, inquit,
Hac ego discedens, memorem te dono cicuta,
Nostri (chare Lycon) hoc pignus amoris habeto.
Hac decus Audomates *nuper cecinisse iuuabat,*
Forsan & hac olim meditabere Doridis ignes.
Dixit, & extremis tum demum amplexibus hæsit.
Quid facerem? solo gemitu responsa dabantur,
Os negat officium, summo hæret lingua palato,
Ipsos arescens oculos & deficit humor.
At nec in hos vsus hanc seruo, sed optime Thyrsi,
In monumentum animi, & nostri solatia luctus:
Nam quis præsumat tentare, quis audeat amens?
Quis labra admorit calamo temerarius isti?
Non Pan ipse, nisi contentus ferre secundas.

THYRSIS.

Visere quid tandem celsas iuuat Isidis *arces*
Audomatunæo *melius cum cedat in agro?*
O cæcas hominum mentes! ô cæca futuri
Pectora! sic Panacen æger, sic Pæonis herbas
Odit, & auerso poscit contraria sensu,

Digitized by Google

Non chelis heu fato, non cantus arundinis obstat:
Omne decus ruris, nemorum decus occidit omne.

LYCON.

Nunc mecum tristes ferale gemiscite saltus,
Marcentes fracidis mecum lugete corymbis
Purpurei flores oblectamenta iuuentæ,
Gurgite qui fontes violaria picta rigatis:
Impete nunc vndas omni diffundite vestras,
Omne decus ruris, nemorum decus occidit omne.

THYRSIS.

Nunc tumidi lugete lacus, lugete perennes
Nunc fluctus Albæ, primi lauistis Amyntam
Matris vt è gremio vitales exit in auras.
Nunc heu! lethæo, nunc Ditem carmine mulcet,
Nec posthac notas recreabit arundine montes,
Omne decus ruris, nemorum decus occidit omne.

LYCON.

Nunc Pandionia mecum lugete sorores,
Flebilibúsque modis residentes arbore summâ
Dicite, qui cantu nos oblectabat Amyntas,
Expeditque loqui, diuinus cantor obiuit,
Quî cum carmen obit, quî cum tua gloria Clio
Omne decus ruris, nemorum decus occidit omne.

THYRSIS.

Extinctum Aoniæ volucres lugete magistrum,
Et miserabiliter motas deflete per vndas
Interitum Vatis, canite olli funebre carmen,
Et cantu indignum funus decorate supremo,

Digitized by Google

Quo vos edocuit modulamine plangere cycni.

Omne decus ruris, nemorum decus occidit omne.

LYCON.

Nunc muti lugent colles, flet rupibus altis
Æmula labra tuis quod non mouet ampliùs Echo,
Quod non verba refert, cãtũque imitatur Amynta,
Te vestigat amans, quærítque per auia solum
Surda dehinc aliis, nec responsura canenti

Omne decus ruris, nemorum decus occidit omne.

THYRSIS.

At neque Iunices, nec pabula læta iuuenci,
Lanigerúmve pecus, postquam decessit Amyntas
Ampliùs attingunt, Cithyso gaudéntve capellæ,
Aut salices carpunt, sed languida colla trahentes
Flent capite obstipo campis, pascíque recusant,

Omne decus ruris, nemorum decus occidit omne.

LYCON.

Vt mel fingit apis, cerâ tabescit in ipsâ,
Extinctóne tuo est aliud qui fortè requirat?
Alma rosas aurora suas abiecit, & vdis
Pallida tota genis, natum sic mater ademptum
Memnona non fleuit, te nunc vt plorat Amynta.

Omne decus ruris, nemorum decus occidit omne.

THYRSIS.

Hic nihil æternum, facimus sed tempora luctus,
Hæc æterna Lycon, auidè fastidia sumptis

Digitized by Google

Et veniunt epulis, & quondam suauia fœtent.
Quando voluptatum satias est, esto dolorum,
Sat dedimus lacrymis, & amico soluere præstat
Iusta, superuacuis quàm fletibus ossa, piumque
Defuncti cinerem, & manes turbare quietos.

Steph. Courtet, Can. Ling.

Eiusdem ex eodem Epitaphium.

Frustra Borbonio tumulum fabricamus, amici,
Dignus qui faceret, condidit ipse sibi.

NICOLAO BORBONIO V. C.

optimo & poëtæ, & amico.

O mihi tot longos tractari, Musa, per annos
Desita, iamque procul iussa valere, redi.
Sæpè ego viuorum iurauì facta silere:
Sæpe loquì nostris nil, nisi sacra, modis.
Nec mutor: sacer est vates, & mortuus huic me
Iusta, licèt serus, soluere iussit amor.
Ille nouem vixit sanctissima cura Sororum.
Proh dolor! ille tuum vixit, Apollo, decus.
Magna illi Latij reseratæ totius artes,
Haustaque de plenis Attica mella fauis.
Cúmque graues lingua cantus vtraque sonaret,
Callimachum nobis, Virgilíumque dedit.

Digitized by Google

Longè illi vesanus erat cum matre Cupido,
Luderet obscenis qui mala furta iocis.
Nec niger vllius perstringere nomen adegit
Liuor, & immeritam rodere dente cutem.
Sed neque, carminibus quanuis iocus omnis abesset,
Cum pueroque Venus, rustica Musa fuit:
Nec neruis caruere sales, nec acumine nerui;
In nullum quamuis strinxerit arma caput.
Ars, dociles te per numeros, venerandaque testor
Per sacra, quid vates non habet ille tuum?
Te patiens operum, & doctis, labor, addite curis,
Dic, rogo, quid vates non habet ille tuum?
Aptus vt inuentis primùm felicibus ordo,
Dignaque verborum copia rebus erat;
Sedula munditiis, & cultu intenta seuero,
Assiduè cœptum lima polibat opus:
Incudemque dies & nox tundebat eandem;
Ah toties vati nox vigilata meo!
Scilicet in studium morbus se verterat acer:
Capta nec vlla oculis, mente nec vlla quies.
Vtque frequens corpus partes insomne per omnes,
Versabat tacito sic sua sensa toro.
Nec contentus erat se iudice: sæpe minorum
Non fastiditam grandior vrsit opem.
Carmina sæpe mihi recitauit inedita coram,
Iudicij expertus libera verba mei.
Contrà ego me caro committere certus amico
Quid dubitem, aut gratam sollicitare vicem?
Et mea Borbonius Christi mira acta relegit,
Et mihi tot Iobi carmine flera mala.

Digitized by Google

Arbiter his, monitorque fuit, censorque libellis:
Nugarum hoc videor vindice habere minus.
Par aly officium, memini, sensere poëtæ,
Et sibi de tanta sedulitate placent,
Gratanturque suas, quas fecerit ille, lituras:
Multaque adhuc simili pagina laude tumet.
Nempe erat is, cui non frustra considere quisquam,
Iudicio mores æquiparante, velit.
Ipse viri candor, procul inuidiaque, dolisque,
Quamlibet eualuit demeruisse fidem.
Cuius ita ingenio certans prudentia, vt arti
Par labor, vt iunctus cum grauitate lepos:
Ergo profana caput violauit Parca sacratum,
Surdaque diuinis cantibus vna fuit?
Viuit auarus, iners, & luxuriosus, & excors,
Cuique boni non est vmbra pilusque viri?
Viuit, doctrinas qui quas ignorat, & odit,
Nec facit ingenuas vnius assis opes?
Occidit antistes claræ celeberrimus artis,
Doctrinæ probitas æmula cuius erat:
Occidit innocuis operata industria Musis,
Qua specimen nullum Gallia maius habet:
Haud de te, Natura, tamen, plenissima cùm tu
Bis septem huic dederis viuere lustra, queror.
Et felix sat morte sua est, cui deinde tueri
Ereptum patriæ turpia damna suæ.
Quod pretium ex studio (sileantur cetera) honesto
Percipit, æque suis culta Minerua libris?
Ecquis bonos Phœbo, meritis quæ digna Camœnis
Præmia, quis vati plausus, vt ante, datur?

Digitized by Google

Quinetiam & Phœbi neglectum numen egere
Sensimus, & Musas pene perire fame.
Indignosque ideo calamum conuertere in vsus,
Præla, typos lingua prostituisse mala.
Felle sales tristi suffundere, crimina chartis
Illinere, & probri, quà licet, omne genus.
Atque incompositis vlcisci versibus hostes:
Atque ignaua stilo bella mouere rudi.
Spondeat infaustis quis iam meliora poëtis,
Et fore, quo debent, quoque fuere, loco?
Denique quid speres, spernit si scire Latinè,
Dedisci patrio Gallus & ore loqui?
At tu, fortuna dum nos luctamur iniqua,
Nec studia ingratus subleuat vlla fauor,
Vtere sorte tua, vates diuine: beatos
Exige sidereis cantibus vsque dies.
Assiduo neque enim sine cantu viuitur istic.
Non aliud cæli fungitur ales opus.
Carminibusque sciunt præbere silentia Diui;
Carminibus pretium dicere scitque Deus.
Cúmque choro immistus Superûm, de numine tau-
Dixeris, humanas adde iuuaque preces. (des
At de me, veteres vbi commendabis amicos,
Ne sile, &, Hic vates, dic, & amicus erat.

Franciscus Vauassor Societatis Iesu
lugubre carmen scribebat.

Digitized by Google

EPICEDION NICOLAI BORBONII

præstantissimi Poëtæ, & Regij literarum Græcarum Professoris.

Occidit ille sui lumen Borbonius aui,
Eloquij pariter Pieridúmque decus.
Funde tuo lacrimas victrix mea Gallia vati,
Gallia non alio funere mœsta magis.
Et tu docta tuum plora Lutetia ciuem,
Tu quoque non alio funere mœsta magis.
Et vos ô Vates vestrum lugete parentem,
Ductorem Aonij deliciásque chori.
Vos quoque magniloquum Heroës vos plangite Va-
Qui cecinit forti prælia vestra pede. (tem,
Ipse sed ante alios illum mœstissimus omnes
Flebo; nec nostris finis erit lacrimis.
Et meritò; quis enim, quis nos magis alter amauit?
Quísve fuit nobis alter amabilior?
Ille mihi tenera dux & tutela iuuenta,
Et nos Pieridum duxit in antra prior.
O nimiùm dilecte Senex! ô maxime Vatum!
Ergo, mihi numquam conspiciendus, abis?
Hei mihi! te nũquam adspiciam dulcissime rerum,
Dimidiâ vitam nec nisi parte mei.

Digitized by Google

Te sine Borboni posthac quæ gaudia nobis?
Omnia tecum vnà nostra sepulta iacent.
Omnia fracta iacent Musarum gaudia tecum,
Scribendi studium desinit ex animo.
Hei mihi! te nũquam adspiciam dulcissime rerum:
At certè Manes semper amabo tuos.
DI facerent illos nostræ celebrare Camœna
Doctarum possent versibus Aonidum.
Nunc ego crudeli sed pectora saucius ictu,
Mente iacens & iners quid nisi flere queam?
Quid nisi perpetuos mœsto de pectore planctus
Exequiis postem persoluisse tuis?
Vos sancti Manes, nostri vos Numina luctus,
Hos quæso planctus accipite & lacrimas.
Ingenij quodcumque fuit dolor abstulit omne;
Si tamen in nobis quid fuit ingenij.
Vos animæ illustres Phœbi Latialis alumni,
Et vos, quos gremio Grajus Apollo fouet;
Vos animæ illustres Academica turma potentis
Armandi, extinctum carmine flere decet,
Carmine quo Daphnin Andinus flesse Menalcas,
Aut Siculus fertur flesse Biona senex.
Nos humiles animæ lacrimas libabimus illi,
Vináque fundemus dulcia de pateris.
Ipse vnguenta dabo, manibus dabo lilia plenis,
Spargam & humum foliis, alloquar & cineres.
Et tumulum faciam, tumulóque hæc carmina po-
Fletibus æternùm carmina sparsa meis. (nam;
Cõditur hîc paruâ magnus Borbonius vrnâ,
Interpres Graij Regius eloquij.

Digitized by Google

IN EIVSDEM

Αγρυπνίαν.

ΠΡεσβυγενὴς, ὁ βίου πολλὸν χρόνον ἀγρυπνήσας,
Αἰδίως εὕδει ἐνθάδε Βορβόνιος.

Ægid. Menagius.

NICOLAI BORBONII Manibus.

IAm cessas vigilare, malas & ducere noctes:
Te iam vera quies, te sopor altus habet.
Imò nouâ insomnes oculos dulcedine pascis,
Primáque purgatâ lumina mente vides,
Sub pedibúsque diem & Phœbeos despicis orbes
Arduus, & summi te tenet aula patris.
Elysios quamuis mirentur carmina campos,
Christicolas, Damon, certior ora manet.
Illa pios capit ora, & pectora Numine plena;
Illa sacros vates, fatidicúmque Ducem;
Quos inter, non Hectoreos memorare nepotes
Ampliùs, ac Regum fortia facta loqui,
Sed Christo iuuat æternos te dicere versus,
Et canere inuictæ sola trophœa Crucis.
Sic nolis Latio, Damon, comes ire Maroni,
Dum Solymæ possis proximus esse lyræ.

Digitized by Google

EISDEM.

DAmonis Manes, natiiam Numen Amynta,
O pater, ô cœli qui modò cuncta vides,
Natum visa doce, mundique arcana latentis,
Et tenebras certâ discute luce meas.
Quæ vis temperat Alta? Estne illic plurima syren,
Quæ celeres mirâ torqueat arte polos?
Æthereæne domus seruatur limen ab Horis,
Per quas effusis floreat vsque rosis?
Serusne Hesperias Titan se condit in vndas,
Multiplicésque habitant sydera vestra fera?
Dic etiam an vestro descendant carmina cœlo;
Et veniat castis mentibus inde furor?
Quàm tibi nunc, Damon, dulce est mẽdacia Graiûm
Et calcare artis somnia docta tuæ!

Ioan. Lud. Balzacius.

Maphæi Barberini Summi Pontificis
Nicolai Borbonij Summi Professoris
P. M.

POpulus dolentum lugubris Poëtarum
Te, Barberine, teque, Borboni, flemus;
O Inclytorum Principes Poëtarum:
Vterque functi dispari tamen sorte,
Alter tiarâ nempe cinctus illustri
Clarum superbâ verticem extulit Româ,

Digitized by Google

Et iura cunctis arbiter dedit terris;
Tantasque Latiâ lenit lyra curas.
Coryphæus alter Galliæ Professorum,
Postquàm latinæ regnum adeptus est linguæ,
Epicique primam carminis tulit palmam,
Arcti latebrâ carceris caput condens
Lentum cruentis pabulum dedit morbis:
Ac triste fodicans agrimoniâ pectus,
Omni abdicauit se volens voluptate,
Nisi quòd amicos non grauatus affari,
Tamisper atras sic fefellit arumnas.
O Inclytorum par sacrum Poëtarum;
Vos vna dirè falcis ambitu carpsit
Libitina, & vnâ messuit duos Lunâ.
Nunc æqua simplex ferula grandibus sceptris,
Nunc est vtrique dempta corporis larua.
Vestræque puris Angelis volant mixtæ
Animæ, nec vltra dignitatis elapsæ
Alie tuentur orbe prærogatiuam.
Gaudete celsis lucida polis mentes,
Scientiarum fontibúsque profluta,
Et gratiarum diuites penu totâ,
Vestræ benignos caritatis influxus
Fundite piorum cordibus Poëtarum.
Heu! Iam calenti luce pectus afflari,
Numinéque penitus sentio quati vestro.
Quod si beatis esse iam licet vobis,
Opibúsque vestris nos beare. cur porrò
Te Barberine, teque Borboni flemus?

Carol. Ogerius.

Digitized by Google

IN MAGNI NICOLAI BORBONII obitum.

GRande ruit columen doctis, oracula cessant,
Arescit vatum, Pegasidúmque liquor.
Doctus vt indoctas moritur, mors cuncta profanat:
Borbonio sauas intulit illa manus.
Nec minùs est perculsa istâ mens morte, parentem
Quàm mihi cùm cœli Numen vtrumq; tulit.
Quis canet ergo mei posthac praeconia regis?
Heroas ducet quis & in arma viros?
Grandia Gastonis quis iam memorauerit acta?
Engueinique animos, armáque fausta Ducis?
Magnus Alexander magno pleraui Homero
Cantandis gestis sæcla carere sua:
Quid si victâ Asiâ, tot post & funera regum,
Parca ferox vati tristia fata ferat?
Non fuerit curâ hac virus praesentius vllum,
Et si quo perit lentius illud erat.
Gasto, Engueine modò dolor hic comitatur euantes.
Omnia sic aliquo prospera felle madent:
Vos igitur semper crescens in nomen ituri,
Tam citò tam magnum flete perîsse virum.

Digitized by Google

Hic vnus potuit quantum valuistis in armis
Dicere, & heroo bella referre pede.
Perge tamen regum soboles tibi quærere lauros:
Vt vates desint fama loquetur anus.

Iac. Pinon Abbas Condæus.



IN OBITVM NICOLAI BORBONII Poëtæ Clarissimi.

BOrbonium gelido postquam Libitina sepulchro
Composuit: Vatem fleuit Apollo suum.
Carminá que exosus, lauróque à fronte reuulsâ
Deposuit plectrum, deposuitque lyram.
Et tacuit lugens, tandem est via facta dolori,
Taliáque iratus protulit ore Deus.
Crudeles superi, crudelia numina parcæ,
Non à Borbonio continuisse manu.
Qui tot mortales diuino carmine pollens
Eripuit morti, Debuit ille mori?
Viuet ut inuitis etiam post funera fatis,
Nec peritura mei gloria Vatis erit.
Scripta Viri æternùm maneant, quæ fulmina, & (ignes,
Ira Iouis magni, non abolere queant.
Donec erunt artes, graïa, latiæque Minerua
Borbonij celebret nomen vterque polus.

Digitized by Google

Miretúrque inopem somni exegisse senectam,
Nec tamen à nostris abstinuisse choris.
Suspiciant seri tot carmina docta Nepotes,
Fudit in angustâ quæ vigil æde senex.
Hoc licet insomni se Gallia iactet alumno,
Qualiter ipsa suo Mantua Virgilio.
Dixerat, assensere Dei: sic fama Poëtæ
Maior ab exsequiis, morte fremente, redit.

C. Feramus.

IN OBITVM NICOLAI BORBONII Epigramma.

Borbonius nuper maturo funere raptus
Cùm campos felix iret ad Elysios,
Multùm auersatus lethæas dicitur vndas.
Ingratos latices quid mihi fertis? ait.
Non ego si totam sorbens exhausero lethen
Vllius ante rei, non meminisse queam.
Nil obliuisci potui dum vita manebat:
Hic obliuisci nunc quoque nil cupio.
Ille bibat cui mens est noxia. nil ego feci,
Nil dixi, quod me non meminisse iuuet.

Digitized by Google

Eiusdem Nicolai Borbonij Elogium.

Tv quoque laurigeros inter spectate Poëtas
Borbonide nobis commemorande venis.
Tu Proceres olim celebrasti carmine Gallos,
Quos chlamys, aut toga, quos coccina nobilitat.
Vt qui Borbonio laudatus carmine non est;
Hunc nullo numero fas sit habere virum.
Ergo tuas etiam pangemus carmine laudes:
Debueras alio quamlibet ore cani.
Docte Senex Graiis Latiisque exculte Camœnis,
Felix ingenij iudicisque bonis.
Cuius inexhausto manabant semper ab ore
Sermones docti more fluentis aquæ.
Quèis concurrentes mulcebas gratus amicos
Laërtæ vt quondam filius Alcinoum.
Nil vnquam oblitus: memori sed mente tenebas
Quæ vel legisses, vel semel audieras.
Tam memor ergo Senex non immemoratus abibis,
Donec erit Musis carminibusque locus.
Atra tuum numquam carpent obliuia nomen,
Gnatæ Mnemosynes hæc tibi dona dabunt.

Henricus Valesius.

Digitized by Google

MEMORIÆ SACRVM.

NICOLAO BORBONIO Barrensi, Viro optimo atque doctissimo, & vsque in comparationem veterum Poëtarum Latinorum euecto,

HADRIANVS VALESIVS fecit amico dulcissimo.

E De agedum planctu, lacrimásq; Lutetia funde,
Orba Professoris reddita morte tui.
Albáque turbatis marens praeterfluat vndis
Triste sui Barrum funere Borbonij.
Et vos in primis Phœbi Latialis alumni
Rectorem vestri flete capútque chori.
Nemo illo melior commissa reposcere menti,
Ac velut è plena promere lecta penu.
Nemo fuit melior Procerum describere laudes,
Magnáque Romanis pangere facta modis.
Quo fit vt à functo veniam poscamus amico,
Quem tenui audaces carmine deterimus.
Materies maior nostris est viribus: vnus
Borbonium potuit dicere Borbonius.

Digitized by Google

NICOLAO BORBONIO viro optimo, doctissimóque.

BOrboniy Manes, & cœlo reddita rursus
Sancta anima, vnde tibi fluxit origo priùs,
Annua quæ tibi nunc libamina votáque reddam?
Officiy, obsequiy, quæ monimenta mei?
Castaliæ penitus nobis exaruit humor,
Nec venit ad partes Musa vocata meas.
Hæret in immenso meritorum gurgite nostra
Nec velis agitur remigióve ratis.
Parce, precor, si te pleno cum corde salutem,
Vix exauditâ voce ciere queo.
Particulam culpæ senium sibi vindicat huius,
Sed partem magnam tardius ingenium.
Non implere tuas valeant præconia laudes
Nostra, alio longè dignus es ore cani.
Hæc Luzernæo est prouincia debita vati,
Mella natant doctis cuius Hyblæa labris:
Quem nemora ac fontes Parnassi inuisere certum
Non dedignatæ ducere Pierides,
Et choreis miscere suis, mollique sub vmbra,
Cui fesso latices exhibuêre suos,
Vnde satur dulci compressus lumina somno,
Ascræo vidit somnia visa seni.

Ille

Digitized by Google

Ille catus gemina commercia nectere lingua,
Et Gallos Latiis conciliare modos,
Vtraque mellifluo panget modulamina cantu,
Et gemina geminos instruet arte sonos.
Quod meritis laudes si non æquabit, at ingens,
Quà fas est, nomen tollet ad astra tuum.
Ore fauens, auidáque bibens simul aure secundas
In partes veniam, votus vtrique cliens.

ALIVD.

COmmendent alios tituli, suffusáque fictis
Pagina, & artificis marmora sculpta manu:
Te tua, Borboni, commendant scripta, nec vllus
Partem opere in tanto prædicat esse suam.
Marmora temporibus cedent, euictáque putri
Litera concedet pulueruleuta situ.
Accolet Aonidum iuga dum chorus edita Pindi,
Dúmque sacros latices vngula fundet equi.
Dum dilecta Deo præbebit Vatibus vmbram
Intonso intonsus laurus opaca comas.
Sæcula, sancte Senex, vincet tua Musa superstes,
Te tuus Alciden tollet in astra labor.

Aliud eidem.

FLoribus & lacrymis oculos exhausta manúsq;
Hos gemit ad tumulum Calliopea modos.
Aut mihi Borbonium mites nunc reddite Manes,
Aut campis reddar protinus Elysiis.

Digitized by Google

Aliud eidem.

BOrbonius situs hîc, lacrymis ne parce viator.
Terna Charis iacet hoc, ter terna Camœna se-
(pulchro.

Aliud eidem.

BOrbonij exuuium hîc tegitur tellure capaci;
At miranda animi munera mirifici,
Nascenti quæ contulerant, repetita tulêre
Extincto Eurynome, Mnemosynéque satæ.

Aliud eidem.

Βορβονίου σῦφαρ στέγει ἐνθάδε πανδόχον οὖδας,
Δῶρα δὲ θεσπεσίου σιγαλόεντα νόου,
Γοινομένῳ ἐρανισσάμεναι, πάλιν αὖ φθιμένοιο
Λαζοντ' ἐυρονόμης, μνημοσύνης τ' κόραι.

Aliud eidem.

EXiguum ingenti monimentum & pignus amo-
Hoc tibi, Borboni, ponit amicus iners. (ris
Plura quidem vellem meritus tu plurima, verùm
Iam sterilem Musam demetit ipse dolor.

Hos tibi dum pono luctus solatia, versus,
Seria futilibus tædia fallo iocis.

Digitized by Google

Eidem.

NE tumulum immunis mea dextra accedas ad istum,
Cui Phœbi sacra dat munera tota cohors,
Anser olorinos cantus imitarier audax,
Has fero Borbonii Manibus inferias.
Quid dix: inferias? quid Manibus? haud habet
Cœlicolûm Manes: haud capit inferias. (aula
Hos opiços ergo indigeti pius offero versus,
Accepios solum quos facit officium,
Septima post bis lustra, trebus decoctus ab annis,
Canitie & solâ ex anfere factus olor.

Addict. sodalis septuagenario
maior N. F.

NICOLAI BORBONII piis Manibus.

BOrbonij subitâ perculsi morte Poëtæ,
Mille premunt querulis conscia Fat medis.
Hic dolet extinctum Patrem, dolet ille Magistrum;
Ingemit & Vatum natio tota Ducem.
Flebilibus passim respondet vocibus Echo,
Chartáque vix tantis questibus vlla sat est.
Cùm Genius, comiti media inter somnia Mopso,
Non sine Castalidum numine missus, ait:

Digitized by Google

Parcite, mortales, cœlum violare profano
Murmure, sat lacrymis officioque datum.
Non solùm vobis natus; non omnia debet
Borbonius, diui portio magna chori.
Viderunt terris bis septem lustra micantem;
Eu aliò Superûm prouida cura vocat.
Hunc dum Parca metit, vestræ si commoda sortis
Plangitis, immeritus quid iuuat iste dolor?
Sin hominis fatum exanimi præcordia tangit;
Hactenus errori debuit esse locus.
At nunc laudatum studij mutate tenorem,
Nunc animos spirent pectora vestra nouos:
Et quem plorastis malè docti huc vsque sepultum,
Indigetem factum iam celebrate virum.
Sic eat; & vester fuerit pietatis eodem
Diis vt Borbonio munere gratus amor.

In illius sepulchrum sub Altari positum EPIGRAMMA.

Borbonij tumulo quod fortè Altare superstet,
Quanquam mortali, debita vota docet.

Aliud de frequenti ad inuisendum amicorum consessu.

VNius immotus venientes incola cellæ,
Mulcebat linguæ dulcibus illecebris.
Stabat Borbornius certum hîc oraculum amicis;
Atque illis idem doctor, vt hospes erat.

De Garaby la Luzerne.

Digitized by Google

ΕΙΣ ΤΟΝ

ΝΙΚΟΛΕΩΝ ΒΟΡΒΟΝΙΟΝ

τὸν πάνυ, ἐν τῷ βασιλικωνύμῳ τῆς Κελτίδος μουσείῳ τῆς ἑλλάδος γλώττης ἐξηγητὴν βασιλικόν.

ΕΙΝ ἑνὶ φωτὶ δύω διζέσκετο φοῖβος Απόλλων
Ηδυεπῆ ΛΥΣΙΑΝ, ΜΑΙΟΝΙΔΗΝΤΕ σοφόν.
Μῦνον ΒΟΡΒΟΝΙΔΗΝ ἀμφοῖν ἀντάξιον εὗρε,
Τῷ δὲ μὲν εὖ μέλπειν, τῷ δὲ καὶ ἡδυεπεῖν.
Αν τε Αρειμανέων φημίξῃ θέσκελα Φράγκων
Εργα καὶ ἠνορέην, νῦν τε ἐγερσίμοθον,
Καὶ μέγαν ΕΡΡΙΚΟΝ κρατερόφρονα, τειχεσιπλήτην,
Μοίρης ἀνδρομέης τέκτον' ΙΒΗΡΣΙ βαρύν.
Οσσα καὶ ἰθυδίκης ΛΟΔΟΙΚΟΣ θαλλὸς Αρηος,
Ωκεανὸν δήσας πρῆξε Βρεταννοκρατῶν.
Οσσα δ' ἐν Αὐσονίῃ, βλοσυροῖς δ' ὅσα ῥέξε Σικαμβροῖς,
Οσσα τε Ρηνοκράτωρ ςῆσε τρόπαια φέρων.
Αττα δικαιοσύνης ὑπὲρ εὐνομίης τ' ἐμόγησε
Δῖα διοτρεφέων ΒΟΡΒΟΝΙΔΩΝ γενεή.
ΒΟΡΒΟΝΙΟΣ Διὸς ὄρνις ἀοίδιμος, οἷσι μέλεσσι
Θελξινόως ὑμνεῖ, ἀρχὸς ἀοιδοπόλων·
Τὸν πάλαι ΑΡΚΟΥΡΟΙΟ ἀειςοπόνοιο μέλαθρα
Εὐεπίης πήγην θαύμασε καλλίρεον·
ΜΕΜΜΙΕ παντοδαὲς μουσοτρόφε, τοῖο μαθητὴ
Εσσὶ σύ μευ μύθων μάρτυς ἀληθοεπής.

Digitized by Google

(ΜΕΜΜΙΕ Εὐρώπης μεγαλώνυμος ἱερακήρυξ,
Σὸν μέρος Εἰρίωνος λαοφόρου βεβεούς)
ΒΟΡΒΟΝΙΟΥ ἐπὶ μουσαγέτου ἐεικοσέα Μυσῶν
Δῶρα, κλυτὶ Πειθὼ, καὶ σοφίου ἐδάης·
Τὸν καὶ Απόλλωνος Βασιληΐα δώματ' ἀγάσθη
Ρήτορ' ἀειροεπῆ, μουσοπόλον τε σοφον·
Εἶτα ΒΕΡΓΑΛΙΑΔΟΥ ἰσαγγέλου εἰς χορὸν ἐλθὼν,
Ωδε θεοτρεπέως ἐξετέλεσε βίον,
Καὶ θάνε, τῷδε θανόντι σαυῶχετο μοῦσα Μάρωνος,
Μαιονίδου τ' οὖχος, Χειραίου τ' σέβας·
Πῶς θάνεν; εἰγ' ἀρετὴ ὁ δυσμόρου ἔμμορε Τύμβου,
Ναὶ, μὴ τὸν πότμον ζῆ θάλος Αονίδων·
Α τρὶν ἀμαλδύνειν ΚΡΟΝΟΣ ἤθελε παμβόρος ἀφὴν,
ΒΟΡΒΟΝΙΟΥ, δυσμὴς Κιμμερείησι βελών.
Αντίκρυνος ΓΑΡΑΒΗΣ διὰ χαλκοτύπειο μειμήνης,
Ες φάος ὀν μέσσης ἤγαγε λησθόνος·
Καλλιόπεια φίλη σὺ χαειζεό σεω ὑποφήτη
Αἰὲν ἐφυμνεῖσθαι πᾶσιν ἀοιδοπόλοις.

P. DUBOIS, Eloquentiæ Græcæ Professor Regius.

Τοῦ αὐτοῦ Εἰς τὸν αὐτόν.

ΔΙΟΝ ΒΟΡΒΟΝΙΔΗΝ δήεις φιλαοιδὲ ὁδῖτα;
Νηζεκὲς εὑρήσεων δίζεο πάντα τόπον·
Οσσα γῆ, θείλω ψυχὼ Διὸς ὑψερεφὲς δῶ,
Αθάνατον μιμήμω κόσμος ὅλος κατέχει.

Εἰς τὸν αὐτόν.

ΤΟΥ πάνυ ΒΟΡΒΟΝΙΟΥ κορυφῆ τύμβειο χάραξον·
ΕΥΕΠΙΗΣ ΚΕΙΤΑΙ ΚΑΙ ΣΟΦΙΗΣ ΚΟΡΥΦΗ.

P. DUBOIS.

Digitized by Google

ΕΙΣ ΤΟΝ ΜΑΚΑΡΙΤΗΝ ΝΙΚΟΛΑΟΝ τὸν ΒΟΡΒΟΝΙΟΝ

ἀῴδεα ἐλλογιμόφατον, & τὰ ωεφῶτα
ῥῶ καθ' ἑαυτὸν ποιητῶ ἀνέξηωῖα.

ΕΙ ἑτὸν παῤῥέωῳ τά κ' ἔρωξέ τις ἔνηομόν ὄζι
Καὶ θεῖης σοφίης εἵνεκα ϗ βεοτέης,
Πῶς ἀκ αὖ τοιῆσδε τύχοι, φθιμένος ὢν, ἀμοιβῆς
Κῦδος ἀωδοπόλων πάμμεγα ΒΟΡΒΟΝΙΟΣ:
Ητοι ὁ ῥ' ἤειτε Λατινίδι μυείᾳ φωνῇ,
Ελλάδι θ', ὡς ἄκρων ἀμφοτέρων ἐπιβάς.
Οὐ μὴν λευγαλέας ἐπέων ἀπομόῤῥαξατο κῆρας,
Οἷας μουσοπόλων ῥεῖα κέκευθε σελίς.
Αὖτη δ' ἐμπεφυῖα διαύδιχα νοῦσος ἐπαυθεῖ.
Η γὰ ἀωαιδείης αἰῴρεον ὄδωδε μέλος.
Νὲ χόλῳ ἐφέπκαν ἐειδμαίνοντες ἀπηνεῖ.
Μύθοις τ' ἀλλήλοις κερτομίοις ἔβαλον.
Οὐχ ἥτως ὁ ἀοιδὸς ἐμός. Καὶ πάμπαν ἀσινῆ
Νῆα δ' ἐκ σκοπέλων ἤλασεν ἀμφοτέρων.
Ως Σκύλλης, ὀλοῆς & Χαρύβδιος Οὖτις ἐχέῤῥων
Μεσόθι ναυτιλλῶν, ἰῶ ἐσάω ῥεδίω.
Οὐκ ἦν ἐμμανέος, ϗ ἀσέμνε πώποτ' ἔρωτος·
Οὔτε μὴν Αφεῤῥοιῆς μνήσατο γοναμβύκης.
Οὔτ' ἄλλον πινὰ λῆρον ὁμοίϊον οἷσι πόνοισιν
Ενθετο, μυθώδοις πλάσμα χαλιφεῤῥεμύκης.

Digitized by Google

Οὐκ ἀδεὶς τόδε, μήτε φρεσὶν ὀπιδεύει θυμῷ,
Καίπερ ὀπ πλείστων αὐτία φρεσαπάμενος.
Οἶ νόμον ἐυεπίης τάδ' ἐλέξκα, καὶ χάεν ἔρον,
Ἡ ῥα τέως λογίοις πῆμα κάκιστον ἔφυ.
Εως ὁ ψεῦδος ἔλεγξε τόδ' ἔμμβαα, ἠδ' ἀπεπλόν,
ΒΟΡΒΟΝΙΟΣ μέσσιν ἐγκεράσας ἐτέρῳ.
Τέτου γοῦν μηδὲν καθαρώτερον εἶχες αὖ εὑρεῖν.
Οὔ τι δ' ὅμως κάλλοις, ἀγλαΐης τ' ἀπέλω.
Δεύτερον αὖ ἐπὶ τῷδε σοφῶν ὑπὸ μῶμον ἄλυξε,
Τίω θάμ' ἀπ' ἰδμοσύνης φυομένω ἔεσθα.
Ζῆλος ὅταν, δόξης τ' κορύσσεται ἄπλετος ὁρμὴ,
Δεινὸν ἄρουσα κακὴ νεῖκος ἐπεσβολίη.
Αὖτη δὴ νόσος ὀξὺ, τοῦ ἰῶ ἀπάλαμνα πέφυκε
Τἄλλα τῶν ἐν ἀγλαῶν ἔθνεα μουσοπόλων.
Εἴ τῶν ὀγ' ἐξ Ασπρης θεόθεν νημερτέα βάζων
Τεχνίτη κοτέειν πάνθ' ὁμότεχνον ἔφη.
Εν δ' ἄλλοις καὶ ἀοιδὸν ὀπίφθονον ἔμμεν' ἀοιδῷ.
Αλλὰ τόδ' ἠμετέρου ψευδὲς ἔδειξεν ἔπος
ΒΟΡΒΟΝΙΟΥ. ὅς γ' ὑπ κακῶς πνα ῥέξε, καὶ εἶπε,
Μᾶνον αὖτ' αἰνῆσαι πάντοθεν ἔρχον ἔχων.
Πολλοὶς δὴ κύδηνεν, ἐς ὑψηνὸν ἔντεσι μολπῆς
Θεωτοσης ζῶντας, καὶ φθιμένους ἀνάγων.
Φειδιακῆς δ' σῦρημα πάλαι χερὸς οἷον ἔκλυτο,
Κλεινὸν Αθήναιης ἦμος ἔτευξε βρέτας.
Τῷ γὰρ ἔπ σφέτερον γλυφαύῳ λάθε τοῦνομα κλέπτων,
Ισόθεον δ' αὐτῷ μνῆμα σοφιζόμενος.
Τοῖον ἀρ' ἠμέτερος μηπόστατο. δὴ γὰρ ἐτ' ἄλλων
Αἰνῆσαι μεμαὼς ὅ, τι κεν ἐθλὸν ἔοι·
Λαμπρὸν ἀμ' ὑμνηθεῖσιν ἔοι κλέος εἰς μέγ' ἄειρε,
Καρπὸν ἐπηείης ἀυτόθεν ἀρνύμενος.

Digitized by Google

Ως ἀπόναιτο καὶ ἄλλος ὁμοίϊον εἰς νόον ἐλθὼν
ΒΟΡΒΟΝΙΩι Μουσῶν, καὶ Χαρίτων στροφίμῳ.

Dionysius Petauius Soc. Ies.

Εἰς τὸν αὐτὸν Βορβόνιον τὸν καὶ διαφέροντα τῇ ποιητικῇ, καὶ θεῖον ἐν νοσακερῷ τῷ σώματι νοῦν κεκτημένον.

ΒΟΡΒΟΝΙΟΣ νόῳ εἴπερ ἴσην ἔχε σώματος ἀλκὴν,
Καί τοι θνητὸς ἐὼν, οὐκ ἂν ὅμως ἔθανε.
Μᾶλλον δ' ἀδρανὲς ὅττι, καὶ ἀβληχρὸν λάχε σῶμα,
Εἰς νόον ἐξ ὕλης πάγχυ θανὸν μετέβη.
Οὐρανίοις ἵν' ἀοιδὸς ἀοιδοῖσ' αἰὲν ὁμιλῶν
Αξιον ἀμφοτέρων ᾆσμα θεῷ προϊῇ.

Dionysius Petauius Soc. Iesu.



In obitum viri clarissimi NICOLAI BORBONII

PErnigilis tandem laxatus carcere vitæ
Borbonius campos cessit ad Elysios.
Illic populeâ stertit securus in vmbrâ
Posthabitis Vatum lusibus atque iocis.
Vos Orpheu, Musæ, viro ne rumpite somnum,
Hunc oculis numquam viderat ante suis.

Digitized by Google

In eundem.

TRaxit in angustâ qui tot quinquennia cellâ
Pervigil infirmo corpore Borbonius;
Æternum mediâ gustans in morte soporem,
O bene, ait, tandem dormio, Vita vale.

Franc. Guyetus.

In eundem.

REgius ingenio, titulis, & nomine vates
Hic iacet, hic potius Musa Latina iacet.
Inclyta Borbonidûm cinxit cui Sceptra canenti
Et lauro & palmis vincta corona caput.
Ille triumphatos Lodoïci viribus hostes
Dum canit, Hectoridûm nomen ad astra vehit.
Vt meritò credas, patriæ quòd contulit Autor
Plura canendo, valent quàm superando Duces.
Marte Duces peperere, suâ quæ mente tueturs
Id fortunati est, hoc Sapientis opus.
Gallica Borboniis debet quæ Regibus auctum
Gloria, Borbonio vate perennis erit.

PH. LE SVEVR de Petiuille,
Rotomagensis Senator.

Digitized by Google

ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ.

Εκπεσεν, ὦ Μοῦσαι, Βορβώνιος, ἔκπεσ' Απολλον·
Νῦν θρηνεῖτε νόον, καὶ στόμα ὑμέτερον.
Ον κήρυκα θέμις ποθεέσκει· ὀδύρεται Αρης·
Εγχεα καὶ ῥίψας ἡσυχίαν φιλέει.
Αλλά γ' εἰρήνη νοστοῦσα βραδύνει ὀλύμπου·
Οἶδεν ἀοιδὸν ἑὸν κεῖσθαι ὑπὸ σπιλάδι.
Πρὸς τάφον ἑζόμενοι κύκλῳ κλαίουσιν ἑταῖροι.
Τύπτουσίν τ' λύρας, καὶ φορέουσιν ἰά.
Τί χραισμοῦσι γόοι; καὶ μακρὰ ποθήματα νεκρῷ;
Φεῦ; θανάτῳ δμηθεὶς ψιλὸς ἄρ' ἔστι κόνις.
Μὴ μάλα. μοῖραν ἐπεὶ ταυτὴν ὑποδέξατο μούσαις·
Εστι καὶ ἀμβρόσιος, ζῶσιν αὖ ἀθάναται.

Eadem Latinè reddita.

Occidit heu! magnus Borbonius. eia Sorores,
Et Phœbe, os vestri flete animúmq; chori.
Cassa suo Præcone Themis tristatur, & armis
Abjectis Mauors otia pacis amat.
Pax tamen ætheriâ cunctatur ab arce reuerti:
Pacem namque pari qui canat ore, deest.
Ad tumulum mœsto lacrimantur in orbe Sodales,
Et spargunt pulsis florea serta lyris.
Quid dolor, & luctus prosunt frigentibus vmbris?
Heu! iacet, ac tenuis nil nisi puluis erit.
Non ita. sortitus fatum commune Camœnis
Viuet, si Musis vita perennis erit.

Petrus Halley, Poëta & Interp. Reg.

Digitized by Google

NICOLAI BORBONII Epitaphium.

ADes VIATOR, *hôcque, quod legis, lege.*
Ingentis ille mentis hospes, Artium
Filius, & idem genitor, ille ore & manu
Vita artifex, dum facta versu diceret,
Ille ille pretium Principis Academiæ
Siue Harcuræos, siue Graßineos docens,
Seu deinde Lector Regius Græca explicans,
Populos sequaces auribus suspenderet,
BORBONIVS *eruditionis arbiter,*
BORBONIVS *Orbi nomen ô amabile.*
Tandem quieti debitus, Christo sacer,
Scriptúsque Patres inter Oratorij,
Ætate tandem & laude longæuus senex,
Penè assecutus septies annos decem,
Mortalis esse desiit. quo sit loco
Si fortè quaris, quare quo virtus iacet.

Fran. du Monstier, Eloquentiæ
Professor Regius.

Digitized by Google

Incomparabilis Poëtæ NICOLAI BORBONII Epitaphium.

BOrbonium rapuit mors importuna Poëtam,
Qui magnum induerat pectore Virgilium.
Tam sapit hûncque refert diuino carmine, vt ipsum
Virgilium, longè qui fuit ante, putes.
Iam mihi Pantheoïde, fas si sit credere, pulsas
Corporibus rursum corpora inire animas;
Mens tibi Virgilij quæ corpore fluxerat olim,
Hospes Borbonij *pectoris ipsa fuit.*
Fata vtinam morienti animam exsuxisse dedissent,
Tertius audirem nunc quoque Virgilius.

Io. Henricus Auberius
Societatis Iesu.

Sur la mort de Monsieur Bourbon. Sonnet.

AV trépas de Bourbon les Muses desolées
Changerẽt leurs doux airs en lamẽtables cris,
Et le bras & le sein de mille coups meurtris
Coururent par leurs monts toutes echeuelées.
Hippocrene tarit, & ses eaux ecoulées
Laisserent leur canal sans honneur & sans prix.

Digitized by Google

Le temple cheut par terre, & son triste débris
Du sainct bois des lauriers confondit les allées.
Pour comble de desordre on vit mesme Apollon
Errer plein de fureur par le sacré vallon,
Et briser sur les rocs son archet & sa lyre.
Mais se voulãt du sort pleindre deux & trois fois,
Il se trouua muet au fort de son martyre;
Car n'ayant plus Bourbon, il n'auoit plus de voix.

Chapelain.

A la memoire de M. Bourbon. Sonnet.

IAmais tant de doctrine & de simplicité;
Tant de melancholie auec tant de sagesse;
Tant de maux dans vn corps en l'extreme vieillesse,
Sans que l'esprit eust part à son infirmité.
Iamais si grand Poëte exempt de vanité;
Iamais dedans Paris plus de Rome & de Grece;
Iamais plus grand fauteur de la docte ieunesse,
Ny plus mauuais logis qui fust plus visité.
Mais, Bourbon, ton merite attiroit ce grãd monde,
Qui venoit pour puiser dans ta source feconde
De la Prose, des Vers, du Grec & du Latin:
Maintenant que la mort en a couppé la veine,
Nos Muses sont à sec, & le mesme destin
Qui t'a rauy la vie, a tari leur fontaine.

F. Ogier.

Digitized by Google

Sur les Vers de feu NICOLAS BOVRBON excellent Poëte Latin.

EPIGRAMME.

QVi gouste de BOVRBON *la doctrine & le style,*
Dont la phrase est si noble, & le sens est si beau,
Peut douter qui des deux honore ce tombeau,
Ou l'esprit de Bourbon, *ou l'esprit de Virgile.*

G. Colletet.

Sur les Poësies de feu NICOLAS BOVRBON Professeur du Roy és langues Grecque & Latine.

EPIGRAMME.

BOVRBON *dans ses beaux vers qui forcent le destin,*
Porta si haut l'honneur du Grec & du Latin,
Que Pindare confesse, & que Virgile aduoüe,
Qu'il a fait rougir Thebe, & fait pâlir Mantoüe.

G. Colletet.

Digitized by Google

Traduction des Vers du Reu. P. H. Aubery Iesuite, sur la mort de NICOLAS BOVRBON, excellent Poëte Latin.

STANCES.

LA mort cette Archere indiscrete,
Qui ne tire iamais en vain,
Nous a donc rauy ce Poëte
Qui logeoit Virgile en son sein!
A voir la force de son style,
Sa pompe, & ses charmes diuers,
Qui n'eust crû que le grand Virgile
Eust esté l'Autheur de ses vers?
La fable du vieux Pythagore
Nous tient lieu d'vne verité,
Puisque Virgile fut encore
Le mesme qu'il auoit esté.
Apres qu'il eut rempli le monde
De sa doctrine, & de son nom,
Son ame errante & vagabonde
Anima le corps de BOVRBON.
Reynes de ce monde fragile
Parques, lors que BOVRBON *perit,*
Pour estre vn troisiesme Virgile
Que ne receu-ie son esprit!

G. COLLETET.

Digitized by Google

Sur la mort de NICOLAS BOVRBON excellent Poëte Latin.

SONNET

IArdins plus estoillez que la plaine des Cieux,
Ruisseaux de qui le cours chatoüille les oreilles,
Solitaires forests, vos profondes merueilles
N'ont rien d'assez puissant pour arrester mes yeux.
Si ie quitte Paris pour visiter ces lieux,
Ne croyez pas pourtant que s'y trouue des charmes,
Ce n'est que pour verser des soûpirs & des larmes,
Et pour plaindre la mort d'vn de nos demy-Dieux.
C'est de ce grād Bourbon, *cette ame sans secōde,*
Dont la Muse ēpandit tant de thresors au monde,
Qu'on le vid regner seul sur le sacré Vallon.
Souffrirez vous grāds Dieux ce cruel homicide?
Qui nous enseignera les sentiers d'Apollon,
Puisqu'en perdant Bourbon, *nous perdons nostre guide?*

FR. COLLETET,
fils de G. COLLETET.

Digitized by Google

HOMMAGE

A MONSIEVR BOVRBON sur son eloquence & sa politesse en Poësie Grecque & Latine.

BOurbon, ie tasche en vain par mes foibles eloges
D'atteindre iusqu'au Cieux où maintenant tu
Pour loüer vn genie & sans pair & sans prix: (loges,
En vain ie veux mesler mon indigne ramage
A ces nobles efforts de tant de beaux esprits,
Qui d'vn air plus poly te viennent faire hommage.
Quoy que ta pieté qui t'approche des Anges,
Merite d'estre icy l'obiet de mes loüanges,
Et que ta docte veine exige ce deuoir;
Pour faire l'vn & l'autre il te faudroit toy-même,
Ou faudroit que ie peusse égaler ton sçauoir,
Egaler ton adresse à dresser vn Poëme.
Aussi ce n'est pas tant pour chanter ton merite,
Que s'excite ma voix, & mon esprit s'irrite
De la sainte fureur dont s'animent les vers,
Comme c'est vn effet de la recognoissance
Que chacun doit aux tiens si beaux & si diners,
Et dignes qu'Apollon leur ait donné naissance.

Digitized by Google

Toutefois si ma Muse a bien eu tant d'audace
De porter son essor au plus haut du Parnasse
Pour loüer d'vn Bourbon la Royale valeur,
Et transmettre ses faits à la race future:
Peut elle craindre apres cette illustre chaleur,
Qu'en loüant ta memoire elle te face iniure?
Au moins pour bassement que sa veine te loüe,
Quelque foible que soit son effort, se l'aduoüe,
Pour vn deuoir si iuste, & de si nobles droits,
Te loüer d'vn mesme air dont elle a fait l'histoire
De tant d'exploits diuins du plus grand de nos Rois,
Quel plus haut point peut-elle adiouster à ta gloire?
Elle ne craint non plus d'égaler vos fortunes,
Et non moins que vos noms vous les rẽdre cõmunes,
Quelque inégal que fust le sort de vos destins:
Car tel que son pouuoir fut sur toute la France,
Tel le tien sur les Grecs, & tel sur les Latins,
Si les Sceptres estoient le prix de l'Eloquence.
Qu'il ait à bras armé par ses exploits de guerre
D'vn rare estonnement remply toute la terre,
Fait admirer son nom, & reuerer ses loix;
Ta plume n'a pas moins acquis par ses doux char-
Dans la tranquillité de tes doctes emplois, (mes,
Que ses mains ont gagné par la force des armes.
Cét gloire estoit deüe au nõ d'vn grãd Monarque,
Que mesme dans son ombre il en portast la marque,
Et qu'il eust en toy mesme vn Royal Escusson;
Quand d'vn art eloquent les innocentes ruses,
Et tes discours formez d'vne auguste façon,
T'ont fait estre le Roy des plus sçauantes Muses.

Digitized by Google

Souffre donc, grand Bourbon, qu'vne mauuaise
Te puisse au moins icy témoigner mon estime; (rime
Et si quand tu viuois tu me fus incognu,
Pour honorer dés lors vne vertu si haute;
Puis que par tes suppostz ce bien m'est aduenu,
Permets que cet hommage en repare la faute.
C'est trop peu de te rendre vn hommage si iuste
De l'air qui des sçauans te rend le plus auguste,
Ie te le rends François comme Grec & Romain:
Car si recognoissant ta merueilleuse adresse,
Rome & Grece te cede, & reuere ta main;
Par toy la France regne â Rome, & dans la Grece.

F. Iean Nicolai.

Epitaphe de MONSIEVR BOVRBON excellent Poëte Grec & Latin.

CY gist ce grand Bourbon, le pilier du Parnasse,
Apollon n'a plus son appuy;
Son temple desormais sera tout plein d'ennuy,
Puis qu'il n'en verra plus l'ornement, ny la grace.
Mais cessons de gemir d'vn malheur tant pleuré;
Ne croyons plus aussi que sa trame est finie;
Si la mort emporte sa vie,
Son esprit nous est demeuré.

François Tiraqueau.

Digitized by Google



Perenni ac immortali memoriæ
NICOLAI BORBONII
præstantissimi & clarissimi viri,
atque inter Poëtas tum Latinos, tum Græcos eximij
sacra Musarum elogia.

Ex clarissimi Ecclesiastæ Domini FR. OGERII Gallico Epicedio.

NVnquã tanta simul doctrinæ affusa profunda
Simplicitas, tantus sincero in pectore candor;
Nunquam cum sanæ felici aspergine mentis
Tantum atri qui sensa solet peruertere, succi;
Nunquã tam varius moribũdo in corpore languor,
Tamque simul nulli mens agri obnoxia morbo;
Nunquam omni vacuus fastu vacunsque tumore,
Tantus & augusto tam dignus honore Poëta;
Nunquam plus mediâ Franca ditionis & ora
Metropoli, Latij pariter Græcique lepôris.
Nunquam eruditæ tantus in tanto solo
Fautor iuuentæ, tantus haud vnquam parens,
Vel tantus vnquam Doctor ac Ductor fuit:
Tam modica nunquam tot viris passim patens,
Tot visitantum peruia omnimodo agmini,
Vestigiisque trita tam claris casa.

Digitized by Google

Scilicet hanc tantam tua fama & gloria turbam
Accibat, tantos tibi conciliabat honores,
Tot meritorum ingens cumulus, tot symbola magnæ
Qua dederat diuina fruitte gratia mentis:
Tot virtutum agmen seriesque ac summa tuarum,
Tot fœcundæ animi dotes, totque artis amœni
Quos indefesso fructus tibi legerat æstu
Conatuque labor, genij tot dona sagacis,
Facundæque simul tanta ornamenta loquelæ,
Queis magnos nosses insigniter edere sensus.
Hanc, hanc frequentem, Borboni, turbam tibi
Tot ad iocabant tanta naturæ bona,
Tot studia tam præclara, quæ claræ indoli
Per tot labores, artis addiderat lepor;
Vt inde tanquam ex fonte certatim sibi
Latina quisque, quisque non facili minùs
Fœlicitate, nec minùs facili modo,
Haurire posset Græca, nunc stricto quidem,
Nunc & soluto quale Rhetoribus placet
Orationis genere conuersim edita.
Sed modò cùm venam tantâ vbertate fluentem
Abscidit atroci mors lamentabilis ictu,
Exsuctæ remanent vitali flumine Musæ,
Heu! dolor! exsuctæ remanẽt, remanentq; rigentes,
Nec vigor his antiquus inest; & quæ improba vitã
Sors tibi, natiuum visa est his sistere fontem.

F. I. Nicolai.

Digitized by Google

Aliud ex FRANCISCI COLLETETI, clarissimi iuuenis funebribus gallicè decantatis.

HEm! vos, tam variis distincti floribus horti,
Æmula stellatis viridaria terrea campis:
Vos qui dulcifluo strepitantes murmure riui,
Mulcetis pronas placidis decursibus aures;
Vos nemora, & falso sylueſtres nomine luci,
Vos procul à noſtris ſemotæ obtutibus umbræ:
Vos vaſtæ, nullus quas incolit hoſpes, Eremi,
Deniaque ac denſis vernantia pegmata dumis:
Nulla meos mulcere oculos miracula veſtra
Sufficiant, aut vlla meos defigere nutus.
Lutetianam ſi modò tandem, velut
Pertaſus, urbem diſero vt turbis procul,
Procul & tumultu, veſtra percurram ſata;
Iuga veſtra ſubeam, veſtra quà latè virent
Spatia peverrem; Ne tamen, ne credite
Ineſſe vobis quidpiam blandum ſatis,
Quo genius iſthuc allici poſſit meus:
Me querulus, vt lamenter, huc tantùm rapit
Ac dirus horror, vtque quo luctu licet,
Ferale magni funus Heroïs fleam.
Huc, huc, ô nemora, ô ſylua, lucique nigrantes,
Hortique, ac dumi, vobis nouus incola, vobis (atris
Nunc nouus adſum hoſpes, magnũ illum vt fletibus

Digitized by Google

Borbonium lugere aueam, cui nullus in Orbe
Par genius, nullus tali par sorte Poëta:
Illum, inquam, cuius venâ tam dinite, tantas
Omnibus in terris Latij quas aura venustat
Eloquij, non docta minùs quàm florida Musa
Fudit opes, vt Apollinei super agmen amœnum
Seminis Aonia solus regnarit in Aulâ.
Eheu! ille, cecidit! cecidit, Ah! vocem asperam!
Cecidit vir annis dignus aternis frui!
Heu! tristis illum Parca tam toti vtilem
Phœbi caterua morte crudeli abstulit!
Adeó-ne tam ferale, tam dirum, horridum,
Immane fatum, Numina, potestis pati?
Phœbaea quinceps adyta quis pandet? sacrâm
Quæ ducat illuc, ecquis ostendet viam?
Quando simul nostrũ mystámq; ducemq; pharúmq;
Borbonio nobis periisse dolemus in vno.

F. I. Nicolai.



NICOLAO BORBONIO, fama seruata.

BORBONII est animus patriis modò redditus astris:
Templa quiescentis molliter ossa tenent.
Verùm fama viri, sparsis hinc inde libellis,
Omnes solliciti ne moreretur erant.

Obstitit

Digitized by Google

Obstitit & sidus chartas collegit amicus,
Disiectásque vno codice clausit opes:
Ac manet æternos decus immortale per annos,
Quale est Mæonidæ, vel Maro quale tibi.
O iam igitur felix! cuius post funera cessit
Mens superis, Orbi gloria, corpus humo.

Ren. Vallinus.

Aliud ex GVILLELMI COLLETETI clarissimi Poëtæ sepulcrali carmine verbis gallicis exarato.

BOrbonij doctam quisquis libauerit artem,
Sensaque sublimi tam bene compta stylo.
Nutet, vtrã tumulo huic decorãdo insistere mentem
Borbonij-ne magis, Virgilij-ne putet.

F. I. Nicolai, Ord. Præd.

Aliud ex clarissimi adolescentis FRANCISCI TIRAQVELLI Epitaphio Gallico.

HIc iacet Aonia moles firmissima sedis
Borbonius: columen perdit Apollo suum.
Implebit tetricus deinceps templum illius horror,
Implebunt querulis tædia dira modis.
Nimirum antiquum cernet periisse lepôrem,
Ornatum ac lucem cernet abesse suam.

Digitized by Google

Sed procul hinc luctus, procul hinc lamẽta, querelæ,
Nostraque feralis qui premit ora dolor:
Non casum hunc vltra, non tristia fata queramur,
Non talem nobis occubuisse virum:
Absit &, atroci tam chara vt vita putetur
Per Parcæ furias interiisse manu:
Si nobis corpus periit, mens ipsa relicta est,
Quam viuam scriptis indidit ille suis.

F. I. Nicolai, Ord. Præd.

Aliud quod prædictis, eorundem Traductor suo marte addidit.

NEmo Borbonium iacêre dicat:
Hoc nunc in tumulo iacens putetur,
Qui insomnis omni penè vitâ
Vix proprio iacuit cubili?
Sic stellas medio polo micantes,
Dum totus placidè quiescit orbis,
Inter profundæ noctis vmbras
Peruigili statione spectes.
Sic Solem videas, vbi peracto
Nobis creditur occidisse cursu,
Nostroque cerni cessat orbe,
Antitheto vigilare mundo.
Sic illæ superi poli phalanges,
Illi tam vario decôre clari,
Nouêre nullam, siue cœlo,
Siue solo, Genij quietem.

Digitized by Google

Num sic Borbonius vigil vigensque,
Vt sidus vario nitore fulgens,
Vt Sol minores inter ignes,
Vt Geniis similis supernis?
Non sic Hesperij putatus horti
Custos vaniloquis Draco Poëtis,
Vt poma custodiret aurea
Tanto habuit vigil esse iure.
Non sic centoculus minister Argus,
Pauonis vario colore pictus,
Custodiendam cui dedisset
Iuppiter, vt simulant, Ionem.
His vt Borbonius longè maiora tueri
Queis nullum par sit pretium meritumq; putan-
Maiori quidni studio curâque tuendis (dus,
Inuigilet? nullique sinat se cedere somno?
Ne dubita, vigilat: Tumulo ne finge iacentem:
Stat mens, quæ quouis meliùs vigilante Dracone
Immunem inuidiâ vel tanti nominis vmbram,
Tutaque ab insidiis monumenta tot aurea seruet.

F. I. Nicolai, Ord. Præd.

Aliud ex GVILLELMI COLLETETI iam superiùs recensiti elogio gallico.

BOrbonius tam concinnis qui tempora vincunt,
Vincunt feralis fata improba & inuida Parcæ,

Digitized by Google

Versibus, ac vario tam culti carminis ausu
Quo nunquam occiduum sibi conciliauit honorem,
In tam altũ Græcas culmen, tam altumq; Latinas
Euexit, quas Aonius chorus excolit, artes,
Pindarus vt patrias fateatur cedere Thebas,
Perfundique rudi pudibunda his ora rubore:
Quin Thebanã etiam, propriũ cui Mantua nomen,
Virgilius non ipse neget pallescere terram,
Dum sua testatur, vel adactus, vterque minora,
Quàm quæ Borboniæ potuerunt pangere Musæ.

F.I.Nicolai, Ord.Præd.

Εἰς ὃ μνῆμα ἐν μνήμην ἀθάνατον
ὀξοχωτάτου ἀνδρὸς
τοῦ ΝΙΚΟΛΑΟΥ ΒΟΡΒΟΝΙΟΥ
ἐν τοῖς Ποιηταῖς, Ελληνικοῖς τε
καὶ Ρωμαίοις, κρατίστου.

ΒΟΡΒΟΝΙΟΣ τέθνηκεν, ἐὰι, τέθνηκε τοσοῦτος
Αονίου μύστης ἀρχιερεύς τ' νεώ·
Τέθνηκεν Μουσῶν ἱερὸν στόμα, γλῶττα τ' ἀοιδὸς,
Ισ' ἀυταῖς γλυκερῶς ἄσματα φθεγξαμένη.
Εὐφώνου τέθνηκε φάος, φέγγος τ' χοροῖο,
Αρχηγὸς, κρείων, πρέσβις, ἐραστὸς, ἄναξ.
Φεῦ, φεῦ. Πιερικὴ σάλπιγξ τέθνηκε, καλόντε
Φοιβηΐου φθόγγου βάρβιτον ἡρεμέει.

Digitized by Google

Κλαίετε, Πιερίδες, χαίετε δ' ἅμα κλαίετε, κοινὸν
Αμφοτέρης ὑμῶν τοῦτ' ἀτύχημα χρεῖς.
Ἴσον Ομηρείοις ἔπεσιν, καὶ ῥήμασιν ἴσον
Πινδαρικοῖς, λιγυρὸν κλαίετε Πιερίδες·
Καλλίπλοκον ῥοδόεσσι χαείσμασιν ἠδυλογοῦντες
Χρησμῳδὸν, χαίετε κλαίετε μηδόσσυσι·
Τυτυὸ καλλίσων τεθνηκότα τέκτονα χρησμῶν
Ἡμκυστῷ τ' ἀγγι κλαίετ' ὁμοιοπαθεῖς·
Οἷος γὰρ ἀθανάτων ὑπεράξιος ὤλετο ζωῆς,
Εἷς γενεῶν ἑ μέλαν χῶρον ἀνεδράμετο·
Οὗτος ὅτ' ὑμετέρας βασιλεὺς ὑπεδημώνος ἀρχῆς,
Τμετέρου μεγάλη ὤλετο δόξα χορεῦ·
Ὅπε πικρὸν μοίρας πυμάτης ὑπεδύσατο σιγῶ
Βορβόνιος πάντων πρεσβύτος ἀοιδοπόλων.
Τμέτερον, χαίετε, μετ' ἐκείνῳ ἀπώλετο κάλλος,
Τμέτερον, Μῦσαι, πᾶν μέλος ἐξέλιπεν.
Οὐκ ἔτι σὴν σοφίαν, ἢ σὴν μεγαλαύχεα φωνὴν,
Αἰνῶσ' Ἠρῴας, Καλλιόπεια, βαρεῖς.
Οὐκ ἔτι, Μνημοσύνη, δύναμιν τὴν σεῖο πραγῳδὴν,
Η σὸν ἔτι, Κλείω ἱστορέουσα, κλέος.
Οὐ σὴν, Τερψιχόρη ἔπεσιν τέρπουσα χορείοις,
Οὐ σὴν, Εὐτέρπη, τέρψιν ἀοιδὸν λυκῆ·
Οὐ θάλλοντας ἔτι πλοκάμους, αὖθηρε θάλεια,
Η τῆς σῆς, Ερατὼ, τέρπνον ἔρωτα λύρας.
Οὐ σὰς, Οὐρανία, καὶ σὰς, Πολυύμνι' ἀοιδὰς,
Ταὶς μὲ ὑπερχθονίοις, ταὶς δ' πολυχρονίοις.
Ταῦτα γε Βορβονίου τέθνηκεν ἅπαντα θανόντος,
Καὶ κρύφθη κείνῳ εἰν ἑνὶ πάντα τάφῳ.
Ὑεύδομαι· οὐκ αὐτὸν χωρεῖ τάφος, οὐδὲ φορεῦσης
Μοῖρα (θανεῖν ἀτελῆ) ἔκτανε Βορβόνιον·

Digitized by Google

Οςέα μ̃ ϗ κωφὸν ἔχει κενὸς ὄνομα τύμβος;
Αθανάτοις ᾖ ζάων δέρκεται ἐν σελίσιν.

F. I. Nicolai, Ord. Præd.

NICOLAVS BORBONIVS ΑΥΤΟΠΡΟΣΩΠΟΝ.

ET *mihi* REGIA GENS, *& dat* VICTORIA *nomen,*
Impleui fatum nominis, ingenio.

I. T. A. REG. PROF.

DE MORTE N. BORBONII doctissimi & humanissimi viri, amici iucundissimi.

BORBONII *lugent non soli funus amici;*
Flent quoque queis tantùm nomine notus erat,
Tantâ omnes, dum vita fuit, dulcedine cœpit:
Heroo pangens carmina culta pede.
Priuatim at caros doctis mulcebat amicos
Dictis, & grato commodus alloquio:
Quos etiam morum probitas, sinceráque vita,
Et non fucatus conciliabat amor.
Si fleuere licèt maturo funere raptum;
At si interceptus præcoce morte foret.

Digitized by Google

At reliqui egregios communi sorte Poëtas
Subjectos parcis indoluere mori.

ROLANDVS DESMARESTS.

IN OBITVM N. BORBONII Poëtæ Laureati,

Ex ἀωρυπνίᾳ præmaturum.

BORBONIVS vates Romanæ gloria Musæ,
Borboniæque idem fama secunda domus,
Languebat dulci priuatus lumina somno
Æger, & integrâ nocte diéque vigil;
Expectate veni, dicebat, somne, & ocellos
Ah! nimiùm vigiles, somne, sopore leua.
Audiit hunc ægrâ mors somnum voce vocantem,
Impleuitque vices fratris iniqua sui.
Numina, si qua pij tangit vos cura Poëtæ:
Hunc facite optatâ posse quiete frui.

Mœrens ponebat IACOBVS MARTIN Parisinus, Doctor Medicus.

Digitized by Google

LES MVSES EN DVEIL
sur le trespas de Monsieur BOVRBON.

SONNET.

QVe les chapeaux de fleurs que la gloire façõne
Soient desormais changez en Cyprez odieux;
BOVRBON *est allé prẽdre vn rang parmy les Dieux,*
Et l'Helicon se plaint que BOVRBON *l'abandonne.*
Ce qu'aux doctes trauaux le Ciel veut que l'on donne,
Ie sçay qu'il le reçoit maintenant en ces lieux;
Toutefois le regret se fait voir à nos yeux,
Quoy que dedans le Ciel la gloire l'enuironne.
Que le marbre esclatant pare vn autre tombeau
Où l'art fasse briller ce qu'il a de plus beau,
Dans mille ieux diuers que fait l'Architecture.
BOVRBON *fut en viuant vne source d'appas,*
Et pour en bien iuger, dedans cette aduanture,
Voyez neuf Deïtez pleurer à son trespas.

Du Pelletier, Parisien.

Digitized by Google

La vertueuse resolution de Monsieur BOVRBON à la mort.

SONNET.

VEritables témoins de ce serein visage
Que BOVRBON *fit paroistre aux accez*
de sa mort,
Comme vn homme au sortir d'vn penible voyage
Nous le vismes alors se rendre dans le port.
Socrate en ce destroit n'eut pas tant de courage:
De ses derniers Adieux le discours fut moins fort:
Et celuy-cy luy peut disputer l'aduantage
D'auoir sceu mieux que luy s'accommoder au sort.
La douleur épargnant ce digne personnage,
Laisse agir la foiblesse à la suite de l'age,
Pour le rendre à loisir certain de son trépas.
La mort auroit eu tort d'y venir d'autre sorte;
Et le Ciel n'a pas deu deuant cette ame forte,
La voulant rapeller, ne le témoigner pas.

Epigramme.

A Lors que BOVRBON *meurt, Lecteur, tu dois apprendre*
Qu'entre les plus sçauans vn Phenix meurt aussi;
I'y trouue tout égal, hors qu'on ne void icy
Rien de semblable à luy renaistre de sa cendre.

Digitized by Google

Musarum curæ
ANTON. LVZERNÆO
N. F. S.

ANnuus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo BORBONIVM *Pimplæi collis alumnum*
Condidimus terrâ, meritisque sacrauimus aris:
Nunc quoq; perpetuos mœsti instauremus honores

RESPONSE.

Nous auons déja veu l'vn & l'autre solstice
Du depuis que BOVRBON
La palme dans la main sorty de cette lice
Ne vit plus icy bas que par son noble nom.
Ministres des neuf Sœurs qu'il a si bien seruies,
C'est à vous auiourd'huy
De témoigner qu'icy vos plus belles enuies
Se bornent au deuoir de trauailler pour luy.
Mais quel party choisir parmy tant d'abondance?
Quel esprit docte & fort
Peut si bien animer sa feconde eloquence,
Que pour n'en dire assez, il ne luy fasse tort?
Parler de son humeur si facile & candide,
Loüer sa probité;
Et dans le haut éclat d'vne vertu solide
Vanter sa modestie, & sa ciuilité.

Digitized by Google

Dire mesme qu'apres que son ame est rauie,
Il n'est pas encor mort;
Que sa plume luy donne vne seconde vie,
De cela tout le monde en est il pas d'accord?
Belle Ombre à mes pensers si chere & si fidelle,
I'atteste icy la foy
Qui nous vnit iadis d'vne amour immortelle,
Si quelqu'vn te cherit plus dignement que moy.
Mais le pouuoir defaut à la passion forte
Que i'ay de le monstrer;
Et mon ame ne peut en vser d'autre sorte,
Que de se tenir ferme au vœu de t'honorer.
Ie l'ay fait, ie le fais, d'estimer ta memoire
Iusques à mon trépas:
Car quand j'auray passé les bords de l'onde noire,
C'est de quoy, cher BOVRBON, *ie ne me vante pas.*

Pardonne-moy si i'ose auecques si peu d'art
Entreprendre, BOVRBON, *d'orner ta sepulture:*
Viuant tu m'estimois pour n'auoir point de fard;
Reçoy mort ce deuoir de pareille nature.

De Garaby la Luzerne.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google